

EMERSON

42

SANCTI
AUGUSTINI
OPERA OMNIA

24


BR65

A5

v. 24

1835-42

007987



1080014527

EX LIBRIS FLAMMAM
VERITATIS
HEMETHERII VALVERDE TELLEZ
Episcopi Leonensis




UANL

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN



DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS



AUGUSTINI

PATRES QUINTI ECCLESIAE SÆCULI.

SANCTUS
AUGUSTINUS.

TOMUS XXIV.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

SANCTI
AUGUSTINI,

HIPPONENSIS EPISCOPI,

OPERA OMNIA,

MULTIS SERMONIBUS INEDITIS AUCTA ET LOCUPLETATA.

EDITIO NOVA,

ACCURANTIBUS

D. A. B. CAILLAU,

CANONICO HONORARIO CENOMANENSI ET CADURCESI.

NONNULLISQUE CLERI GALLICANI PRESBYTERIS.


TOMUS VICESIMUS QUARTUS.



FONDO EDITORIO
AVARDE Y TELLEZ



Capilla Alfonsina
Biblioteca Universitaria



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECA

PARISIIS,

APUD PAUL MELLIER, BIBLIOPOLAM,

PLACE SAINT-ANDRÉ DES ARTS, 11.

1842.


S.-GLODOALDI, E TYPOGRAPHO BELIN-MANDAR.

44678

2.
250
C.

BR 65

AS 24
1835-42



DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

25011

VINDICLÆ

SERMONUM SANCTI AUGUSTINI

INEDITORUM.

QUICUMQUE opera sive nova, sive antiqua, stampis submittere præsumit, publicæ hominum sententiæ obnoxium se ac devotum sciat necesse est. Nec ulla ipsi querendi causa potest emergere, si a doctis veritatisque amantibus viris, severo etiam subjiciatur examini. Unum est quod scriptoris vel editoris permovere animum queat, mens scilicet malevola, et aliqua cupiditatis labe infectum iudicium. Quod utrum nobis acciderit, non tam nostri est asserere, quam lectoris subodorari. Duo etenim adversariorum genera nostris insurrexerunt laboribus, quæ omni suspitione prorsus immunia non videntur. Prior quidem, non temporis, sed dignitatis ratione, in nostras inelamavit lucubrationes, doctrina quidem conspicuus, Reverendus in Christo Pater DD. Guillon, Marochensis Episcopus, sed ideo hostilis factus, quod in quibusdam, quas recensere vanum et grave foret, rerum catholicarum circumstantiis, ejus agendi rationi annuere non potuerimus, nec proinde consilium circa hanc Augustinianam editionem accipere. Inde iræ; inde libellus iste, qui in publicum emissus est apud fratres

CXXXI.

a

007987

Gaume, in-8°, anno 1837. Cujus insuper commotum jam animum adjuvasse, si non et excitasse credendi sunt recentiores doctoris Hipponensis editores, de republica christiana et litteris aliunde benemeriti, et quos, ex eo quod humanum aliquid perpessi sint, non minus commendandos prædicare delectamur. Nemo est autem qui nesciat, quantus inter homines etiam generosos zelus exardescat, quando de captanda concivium, imo et extraneorum approbatione agitur, præsertim si ex hac approbatione magni cujusdam ad facultates temporales pertinentis negotii pendeat eventus. Clavem habes; aperta janua, pandatur jam mysterium. Duæ Sancti Augustini editiones simul in lucem dabantur, una in-8° cum ineditis quibusdam sermonibus apud Parent-Desbarres, altera in-4°, sine hac ineditorum accessione, in officina fratrum Gaume jam superius nominatorum. Hinc timor ne prior posteriori præferretur; hinc latina primum dissertatio, quinto operum Augustinianorum volumini inserta, qua recentius inventi beati Doctoris foetus doctorum indocorumque contemptui propalabantur; hinc, cum præfata dissertatio a paucis legeretur, imo et a paucioribus fuisset deprehensa, solertior ad libellum gallicum recursus, qui simul et operis nostri, cui non sine lucro præfixum erat scribentis contemnentisque nomen, perpetua depressio, et editionis adversariorum foret exaltatio perpetua; hinc semel atque informe istud opusculum qualitercumque absolutum est, sollicita ejusdem et gratuita ad omnes, ut gallice dicunt, *subscriptores* emissio. De quo quid amplius dicamus non superest, cum jam objecta om-

nia in pulverem redegerimus in nostra *responsione*, edita Parisiis, apud Parent-Desbarres, anno 1838, quam videas. Restat igitur ut pauca dicamus de latina dissertatione, quæ nihil aliud profert quam difficultates ab Episcopo Marochensi oppositas, cum præcipue ipse argumenta inde extraxerit, et in gallicum redegerit idioma.

In procinctu autem hujus disputationis, primam hanc mihi liceat præmittere cogitationem, nempe talem esse apud optimi ingenii liberaliorisque instituti viros scientiam virtutisque amorem, ut locutionis urbanitatem non excludant. Sic docti omnes nostri antecessores gravi inter se moderatoque sermonis genere contendebant. Quam vero alienus ab hac lepida elocutionis castigatione fuerit noster adversarius, facillime patebit ex facietis illis hinc et inde intermixtis sermoni verbis, tanquam si fila serica pulchro tapeti quis intromittat, *inepte dicta, quisquiliæ, simia, ampullæ mercæ blateronis, dignus misero sermone finis! eloquendi inopia, pueritia, ancilla loquens puerulo quem manu ducit, absurda, blasphema, hæretica*, imo et *blasphemie peiores quam quales ab hostibus fidei unquam in eum (Augustinum) conjectæ sunt*. Si docto critico fides, *nullum fuit prævium examen, antequam apographus typhetis traderetur*. Adde etiam puncta admirationis et exclamationis passim disseminata, cum signis stupefactionis et indignationis *ohé! apage*, etc. Quin etiam editores Collectionis selectæ ita inepti sunt et ignobiles, ita contemptui publico devoti, ut si forte Benedictinis adversentur, isti nullis egeant advocatis, quando *TALES adversarii liti-*

gant⁴. Ut autem omnia uno verbo concludamus, videte *exhorrescentem animo* scriptorem, novos sermones primo supplemento adjiciendos cogitantem.

Primæ huic cogitationi secundam insuper adjiciamus, scriptorem videlicet disquisitionem evidenter incoepisse et persecutum fuisse, cum præfixa intentione omnia in partem malam accipiendi, ita ut approbare studeat, quæ approbare omnino non fuimus ausi, et condemnare omnia quæ a nobis non fuerunt condemnata. Sufficiet lectori primas transcurrisse paginas, ut hujus assertionis clarissimam adipiscatur veritatem. Unde, ab initio, certissimas critices regulas, aliter eas accipiendo ac fuerunt propositæ pervertit. Dixeramus quidem requiri: 1° ut sermo qui tribuitur Augustino, nomen ejus in codice præferret; et criticus noster regulam hanc incontrastabilem infirmare contendit, annotando omnia spuria nomen habere beati Doctoris. Habeant istius nomen, et sint spuria aliquando; hoc concedimus. Si vero sermonem aliquem Augustino tribuere præsumat aliquis, licet nullus codex nomen ejusdem habeat, hoc severissime damnamus. Nomen igitur in codice præfixum non est argumentum authenticitatis peremptorium, sed est conditio sine qua nullus legitime sermo beato Patri adjudicari potest. 2° Dixeramus iterum exigere insuper certæ critices severitatem, nihil in sermone contineri quod aut tempori, aut ingenio, aut stylo scriptoris contrarium deprehenderetur. Quæ quidem regula ita est certa, ut illam ne attingere quidem tentaverit adversarius noster, sed

¹ Pag. LXXV, ad Serm. LIII.

tantummodo annotaverit ad hoc dijudicandum *magna doctrina, subacto sensu, limato judicio opus esse*, quod idem est ac innuere doctrinam nullam, sensum minime subactum, non limatum judicium in editoribus Collectionis selectæ reperiri; unde nobis illum gratulandi pro laudum lepiditate ampla datur occasio. Miratur ibidem in minusculis sermonum initio præfixis annotationibus hæc tantum pauca verba aliquando adesse, *stylus concordat, nihil sancto Doctori contrarium*, non attente sine dubio pensans, argumentum negativum probationibus non indigere, nec satis memor consuetudinis Benedictinæ, qui sæpius sine alia demonstratione dicunt *non sapit Augustinum*. Ante oculos mihi obversatur sermo qui nomen præfert Augustini; hunc attentius lego, et præsumptam a me emittens sententiam, non legem aliis imponens, nihil hic occurrere, quod sancto Doctori repugnet pronuntio; quid ibi, quod probetur occurrat? Si aliqua exurgat difficultas, tunc illam explanandi datur, nec prætermittitur occasio, ut a nobis factum videre est Sermone I, II, et alibi. 3° Dixeramus denique non stricte exigendum esse, at saltem anxie desiderandum doctis mentibus, ut plura inveniantur quæ cum scriptoris cogitationibus et communi dicendi genere concordent. Hanc regulam evertere contendit noster adversarius, asseritque non plura quæ concordent requiri, sed omnia; qui certe nostram sententiam minime assecutus est, aliunde illam, utpote evidentissimam, non aggressurus. Indulgeat mihi si illum in errore versantem palam traducimus. Legatur quilibet sermo, sive alterius, sive

beati Augustini, integri aliquando numeri, aut saltem integræ sententiæ deprehenduntur, quæ, si solæ essent, non ita scriptoris quasi sigillum præ se ferre viderentur, ut absque hæsitatione tali vel tali possit assignari. Sunt autem hinc et inde emicantes scintillæ, quæ uniuscujusque ingenii ita typum gerunt, ut simul atque oculos perstrinxerunt, mentis assensum rapiant scriptoris quasi certam notitiam assequentis. Si anonymus quidam occurrat sermo, cave illum nemini ascribas, nisi ubique hos distinctivos deprehenderis characteres. Ubi enim alia deficit auctoritas, intrinsecæ illæ notæ auctoritatem extrinsecam deficientem resarcire debent. Non ita vero iudices, si agatur de sermone vel fragmento, cui vel unus vel plures codices, scripto auctoris nomine, evidenter favent. Tunc illum abjicere non audeas, nisi graves exigant rationes, id est, nisi quædam emergant quæ a cognitis scribentis principiis, vel ab assueto ejusdem dicendi modo evidenter recedant. Quod si insuper accedant cogitationes communibus doctoris sententiis, vel dicta sæpe recurrentibus passim in operum collectione verbis proprius accommodata, vel auctori præsumpto particulares Scripturarum allegationes aut interpretationes, hæc omnia tanquam confirmantia assume argumenta, non velut necessarias probationes require. Non enim semper oratori, præcipue ex abrupto loquenti, easdem datur ingenii flammæ emittere, sæpiusque fit ut sive ob rerum præoccupationem, sive ob fatigationem corporis, sive ob temporis ad se orationi accingendum requisiti defectum, infirmiores quasdam lectiones declamet, quæ, licet

nihil characteristicum complectantur, nihil tamen continent dicentis doctrinæ contrarium. In eo igitur errat adversarius noster, quod datas a nobis regulas separatim voluerit satis astute perpendere, non autem, ut propositæ fuerunt, conglobatim, cum evidentia sit evidentiæ auctoritatem plurium codicum, quando vetustate sunt commendabiles, non posse debilitari, nisi positivis quæ illorum evertant testimonium, argumentis.

Quid autem dicemus de adversarii nostri eruditione, stylum duplicem distinguentis, grammaticum scilicet et rhetoricum, ut ostendat prorsus in nostris sermonibus ineditis neutrum ex his duobus perspici. Sed quid refert sententias aliquas sancti Augustini allegare, in quibus de latinitatis puritate loquitur, cum in iis contrarius alleganti sese demonstrat? Hic enim contra latinitatis puritatem attentius requirentes clare et evidenter insurgit? *Dum*, enim ait, *omnes instruuntur, grammatici non timeantur... Quid ad nos, quid grammatici velint?... Nec quærant grammatici quam sit latinum sed Christiani quam verum*. Cur hæc verba citaverit adversarius noster ad demonstrandum nullam barbariem, ut dicit, apud sanctum Augustinum reperiri, satis assequi non valeo? Fateor equidem beatum illum Doctorem, non barbarum frenduisse idioma, sed mecum simul fatendum est plura inveniri in ejus operibus verba quæ ad puram Ciceronis, vel Quintiliani, vel aliorum aureæ apud Latinos ætatis scriptorum dictionem non assurgant; et in iis plura hic possum enumerare, quæ præsertim apud ineditos sermones fuerunt, tanquam

sancto Augustino indigna, gravius severiusque vituperata. Talia sunt hæc dicta *imprægnare et imprægnari* (1), *epithema* (2), *vox corvina* (3), *destina* (4), *manganæ* (5), *enthecu* (6), *injuriare* (7), *meniana* (8), *molendinum* (9), *perventio, perventor* (10), *fiere* (11), *fetalia* (12). Nec inde sanctum Augustinum barbara scripsisse incusamus, sed excusamus eum his usum fuisse verbis, quæ degenerem ad latinitatem hoc temporis pertinebant. Exemplorum contra nos allatorum confutatio hæc clarius elucidabit. Quoad autem stylum rhetoricum, qui difficilior iudicatu quam grammaticus asseritur, ita forte de cæteris, sed non ita prorsus de sancti Augustini foetibus pronuntiandum est. Nullus unquam forte scripsit Doctor, cujus dicendi modus possit planius et promptius agnosci. Unde, cum adversario nostro, aut potius cum Benedictinis profiteor, quod *ubique agnoscitur Augustinus proprio quodam eloquentiæ genere*; imo et illud genus *grave et serium procedere, nec comptam et affectatam elocutionem captare, nec iudicio, vel prudentia, vel pietate deficere*; non tamen, cæcus admirator, genus illud ullo prorsus defectu laborare contendo. In hoc omnes omnino Christiani Catholicique critici consentiunt, ut illum oppositionibus verborum sæpius abuti fateantur; unde et ex his verborum oppo-

(1) Enarr. in Psal. xxxix, n. 28. — (2) Serm. ccliv, n. 6. — (3) Enarr. in Psal. cii, n. 16 et alibi. — (4) Serm. xii, n. 12. — (5) Epist. viii, n. 1. — (6) Serm. cclv, 5. — (7) Serm. xlv, n. 31. — (8) Serm. ix, n. 3. — (9) Enarr. in Psal. xxxvi, n. 2. — (10) De Consens. Evangelist. lib. ii, n. 43. — (11) Epist. lxxxii, n. 29. — (12) Serm. cxlii, n. 1.

sitionibus scripta ejus possunt inter cætera distingui. Plures sane alii, ut sanctus Leo, et sanctus Fulgentius, his verborum oppositionibus nimium indulserunt; ex quo difficilior exurgit beati Augustini operum quasi divinatio. Peccaret certe contra critices et veritatis leges, qui ex hac solum nota sancti Doctoris foetus vellet dignoscere; sed ab iis minime dissentiret, qui, proposito sermone, apud plures antiquos codices sancti Augustini nomine insignito, ex his verborum oppositionibus authenticitatis aliquam deduceret confirmationem. Lectori igitur parcere bene fecisset noster adversarius, lepidissime sane et jocosè pulchram hanc scribens sententiam: « Non sufficit dicere » fronte alta, naso adunco, etc.; invenirentur enim cito » alii quibus eadem ipsa descriptio conveniret. » Ibi enim quid amplius mirer, comparationis ridiculam electionem, an infidam veritatis absentiam, non satis dicere prævaleo. Nunquam enim in hac verborum oppositione ineditorum sermonum authenticitatem statuimus, sed illa codicum auctoritate, et quidem antiquorum simul ac plurimorum, solidius stabilitam, oppositione verborum non inepte corroborare curavimus.

Una sit adhuc prævia annotatio, antequam ad singulare sermonum ineditorum examen deveniamus. Cum Episcopo Marochensi, latinus noster adversarius, tanquam blasphemum quid et impium nostram exagitat audaciam, qui in Benedictinorum congregationis Sancti Mauri excellentiorem doctrinam quædam objicere præsumpsimus. Hos infallibiles fuisse vere credideris; anathematizetur quisquis ad hanc Dei arcam manum porrexerit temera-

riam. Quidquid sit autem de hoc anathematis fulmine, hic clarius iterum meum et aliorum in antiquitatis cognitione magis versatorum iudicium proferre non verebor. Benedictinis magnam in editione sancti Chrysostomi negligentiam objicio, sive quoad textus integritatem, sive quoad vix correctam veterem versionem, sive quoad notarum sæpius necessariarum defectum, ita ut hanc nimis laudatam lucubrationem inter imperfectiores doctæ hujus congregationis labores recenseam, totisque optem desideriis, docto cuidam ardentique viro sanctum incumbere propositum, non stampis iterum jam edita latineque versa beati Doctoris opera submittere, sed novam concinnare novam translatione editionem. Benedictinis objicio continuam erga diutius propugnatos errores propensionem, qua fit, ut falsis accommodandas opinionibus sententias accuratius annotent, silentio transmissis quæ favent veritati. Benedictinis objicio sanctissimam erga Virginem hinc et inde emicantem repugnantiam, qua ad id impelluntur, ut opera omnia gloriam ejus dignitatemque exaltantia inter apocrypha amandare perpetuo allaborent, hoc uno innixi fundamento, quod primis Ecclesiæ sæculis hi vel illi tituli Beatæ Mariæ non tribuerentur; quasi potius, ex tot tantisque operibus, quæ veterum Patrum nomine insignita, honorem Dei Matris evchunt, non esset concludendum hos vel illos titulos primis a sæculis illi fuisse tributa. Benedictinis denique objicio, quod Ecclesiæ Romanæ non semper congruentem deferant honorem, et, ut unum afferam exemplum, affec-

tent in ipsa sancti Augustini editione inter spurios rejicere quosdam sermones, qui in Breviario Romano tanquam Augustiniani leguntur, aut saltem cum malitiosa quadam lætitia annotare, hos ibi male adjudicari beato Augustino. Nec primus, nec solus ego sum, qui Benedictinos in quibusdam impugnandos crediderim, maxime in periculosissima Doctoris gratiæ operum editione, et ut sileam de justa reprehensione illis objecta a Patre Frangipane, qui eos exinde arguit, quod italianas bibliothecas vix transcurrendo inspicere dignati fuerint, audiant temerarii eorum admiratores, quid ea de re scripserit doctus simul et pius Fenelonius: « Benedictini Patres multum » peccaverunt, nec venialiter, in sua editione. Durissimas et intolerabiles notas fecerunt. Hæc verbi gratia, » quam excusant in præfatione, omni excusatione indigna » est: *Necessitas non pugnat cum arbitrio voluntatis* (1). Crederes audire Baïum aut Jansenium redivivum. Multa alia sunt ejusdem farinae. Præterea auctores illi non tantum in eo quod dixerunt sunt damnandi, » sed etiam in eo quod non dixerunt, et quod dicere debuerant. Intolerabilis est in illis silentii affectatio perpetua de dogmate catholico statuendo in textu Augustini contra novatores, qui illo textu abutuntur ad suos » errores probandos. Ubi cumque apparet gratiæ efficacis » vel umbra, notas multiplicant, ut gratiæ efficacissimæ » sono aures lectoris obdurescant. Contra vero in omnibus locis ubi Augustinus gratiam sufficientem vel directe docet, vel ex suis principiis indirecte astruit, ab

(1) Nota PP. BB. in cap. XLVI lib. de Natur. et Grat.

» omni nota sese cavillose abstinere. Insuper quoties-
 » cumque de gratia efficaci agitur, illam vocant simpli-
 » citer et absolute gratiam Christi : quasi in statu naturæ
 » lapsæ nulla esset vere gratia interior et proprie dicta ,
 » præter eam quam clamitant gratiam per se efficacem.
 » His artibus lector sensim sese assuefacit ad hoc systema
 » quod vocant Augustinianum , ita ut nullam gratiam
 » Christi in Augustini libris inveniat , præter efficacem.
 » Hoc est venenum quod lector incautus propinat in le-
 » gendo textu cum illis notis... Licuit-ne Benedictinis
 » marginales notas Augustino attexere, ex quibus nihil
 » nisi hoc systema naturaliter insinuetur? Licuit-ne gra-
 » tiam efficacem , ut solam , veram et proprie dictam
 » gratiam Christi incessanter inculcare, et gratiam suffi-
 » cientem amandare , aut silentio suppressere , ut quid
 » putidum et indignum quod reperiatur in Augustino?
 » Hac via Pontificiæ Bullæ deridentur. Audias , si pla-
 » cet, quid respondeant Benedictini. Nemini, inquit,
 » obscurum esse debet, nos penitus abhorrire a quibusvis
 » partium studiis (1). Quasi vero *partium studiis* favissent
 » et partiales sese ostendissent, si non confundissent passim
 » quamcumque gratiam Christi proprie dictam cum ef-
 » ficaci, et si non suppressissent in notis quaecumque
 » sufficientis vestigium! quasi vero editores catholicos
 » non deceat ostendere se abhorrire a novitate Baiiana et
 » Janseniana! Quasi vero zelus servandæ catholicæ ve-
 » ritatis sit aliquid a quo, ut a *partium studiis* Bene-
 » dictini abhorrire debeant! Quasi vero ipsamet Eccle-

(1) Præfat. gener. pag. 5 versus initium.

» sia , Jansenii erroribus infensissima , sit una e sectis a
 » *quarum studiis* editores abhorrire debeant! » Et
 » deinde : « Hi sunt qui in marginali nota absque ullo tem-
 » peramento posuerunt : *Necessitas non pugnat cum*
 » *arbitrio voluntatis*. O terribile effatum ! o indignum
 » et scandalosum axioma ! Præterea quid magis redolet
 » Jansenianum errorem quam duplex hæc nota margina-
 » lis : *Gratia Dei ea proprie est , quæ bonos a malis*
 » *discernit* (1). Augustinus eo loco duplicem gratiam
 » docet , alteram quæ *bonos discernit a malis*, alteram
 » que *communis est bonis et malis*. Editores declarant
 » efficacem quæ discernit , solam esse quæ *proprie* gratia
 » dicatur, ac proinde quamcumque communem et ineffi-
 » cacem, nomine gratiæ improprie tantum appellari.
 » Secunda nota sic habet in eadem pagina : *Posse ha-*
 » *bere fidem vel charitatem , naturæ est hominum ;*
 » *habere autem , gratiæ fidelium*. Hinc sequentur
 » hæc duo : 1° quod gratia quo fidem vel charitatem
 » habemus, sit sola gratia proprie dicta fidelium ; 2° quod
 » posse naturæ sit, et præcepta eo sensu sint creden-
 » tibus possibile, quod etiamsi destituantur auxilio
 » gratiæ *proprie* dictæ , scilicet victricis , habent tamen
 » illud posse remotum , quod naturæ est. Infinita sunt
 » alia ejusmodi (2). »

Hinc duo iterum deducenda videntur, 1° editores re-
 centiores operum omnium sancti Augustini apud fratres

(1) Tom. x, p. 757. — (2) Fenelon. Epistol. ad *** de generali præfa-
 tione Patrum Benedictin. in novissim. S. Augustin. oper. editionem; Lebel,
 1823, tom. xv, pag. 88 et seqq.

Gaume in eo peccasse quod Benedictinam editionem integram repræsentaverint, cum pravis reverendissimorum Patrum notis, et sine prætermissis ab eisdem legitimis notis; 2^o editores Collectionis selectæ prudenter egisse, cum plerasque Benedictinorum notas omiserint, imo nec prorsus a veris principiis defecisse, cum operæ pretium duxerint stampis iterum subjicere duos primos inter ineditos sermones, licet a Benedictinis jam in appendice editos, sed cum ponderosis variantibus, quas de industria dissimulat noster criticus, rescribendo tantum eas, quæ minoris esse momenti videntur. Cur non hanc citavit sententiam a nobis emendatam: « Appetita est venenosa » dulcedo mortis, et contempta est salubritas perpetuæ vitæ, » in qua codex noster phrasim convenienter librat, addita voce mortis, quæ deest in editis? Cur non istam: « Homo, pomum rapiendo, epulatus est mortem, » pro his editorum vocibus, « Homo pomum » rapiendo mulctatus est morte? » Cur non illam: « Arbor, » si mala non fuisset, homini mortem non propinasset, » pro his editorum verbis: « Adam non cecidisset? » Sed cum centum triginta et amplius differentiæ occurrant, ab illis hic commemorandis abstinere, quas videre potest lector in Collectionis selectæ vol. 130. Ut autem ad inceptum redeamus punctum, quid mirum si eadem de Benedictinorum præjudiciis sentientes ac supra allegatus Fanelonius, diximus principia in his sermonibus explicata Benedictinis non placuisse, cum ibi non incerte, sed clare asseratur, hominem invitum non peccare; peccare voluntate, non necessitate? Quid mirum, si talium virorum

sententiam suspectam habuerimus, præsertim cum illum sermonem rejiciendi sola ratio fuerit, quod in codice Corbeiensis extet sine nomine, et nomen sufficienter astruatur auctoritate trium codicum, et quidem veterum, nobis ab Italicis bibliothecis suppeditatorum? Quid tandem mirum, si duos illos sermones, licet legantur in editione Benedictina, nostræ editioni inseruerimus, qui appendices nunquam in lucem emittimus, et his prætermissis, nostros subscriptores eorum penitus notitia frustrassemus? Sermo III ita impugnatur, ut intersectis sententiarum membris, absurdus omnino et ridiculus propaletur; quæ quidem industria ubique adhibetur. Legatur integer, et omnia grata, concatenata et pia apparebunt. Vox *dissimulare*, in eodem sensu accepta ac *tardare*, a sancto Augustino, in Scripturis peritissimo, legitime potuit exscribi, cum sæpius eodem sensu inveniatur in sacris Libris, ut Genes. XIX, 16, *Dissimulante illo, apprehenderunt manum ejus*; et I Reg. XXIII, 13, *Quamobrem dissimulavit exire*. Imo ipse dicit *dissimulare a fuga* in Serm. IX, n. 13. Vox *jubentem* quæ objicitur, in notis ut mendosa indicatur; si *existentem* ejus loco ponas, sensum habes planum, quem omnes, nisi cæcutiant, subito apprehendent. Vox *subripiat* legitime defendi potest, spectatque ad *crastinum*, quod potest nobis a morte subripi; proposita autem a critico correctio satis mihi placeret, et hujus verbi mutationem libenter, ponendo *subrepat*, admitterem. In hac sententia, *quotidie peccata transire videntur*, adversarius noster prorsus a sensu aberravit: nam scriptor, quem sanctum credimus

Augustinum, non dicit *peccata quotidie transire IMPUNITA*, sed hanc exurgere in mentibus infelicem cogitationem, ut quotidiana tantum peccata attendantur, transactoque die penitus a memoria evanescent. Quod et illi pariter accidit in hac phrasi: *Nonne homines subito moriuntur, quia tu attendis ut differas poenitentiam?* ubi vellet scriptorem posuisse, *dum tu usque differas poenitentiam*, qui non est auctoris sensus, cujus in hoc recidit concisior cogitatio, *non putas ergo quod homines moriantur subito, quia tu attendis ut differas*. Sequentia mentis meae subtilitatem transcendunt. Nescio certe quomodo praesumptio et desperatio possint dici *mala*, non autem dici possint *vitia*. Multum est tempus ex quo verbum Dei ex cathedra evolvo, et vitii nomine semper haec insignivi; non mihi videtur solummodo *malum*, sed *vitium*, quod ex voluntatis consensu fit peccatum. *Malum* sit, quod vitari non potest; quod vitari potest, et a virtute discedit, *vitium* nuncupetur. Quærit criticus utrum *vitium* sit sperare? Cui respondeo affirmative; sperare vitium est, si male speretur. Alii enim peccant nimium sperando, sicut et alii sperando minus. Irrideat aliunde quæ de corvo dicitur; hoc genus est omnino Augustinianum; nihil propius ad ejus stylum accedit, quam hæc sententia: *Caput album et cor nigrum*. Nihil minus ridiculum quam ea quæ dicuntur de corvo senescente, nec necesse est ut verba præcedentia ad corvum referantur, sed per rapidam collationem accommodari possunt ad eos quorum corvus est imago; corvus non est reversus; jam in suis aberrationibus senuit;

sic et peccator, qui corvus est; caput jam albescit, cor nigrum est. Ponat criticus punctum admirationis, aut potius irrisionis; nulla mihi irrisionis adest vel admirationis occasio. Ponat etiam, si velit, *dimissus* pro *demissus*; correctioni non obsisto; emendatis enim sexcentis et amplius in codice erratis, quædam errata attentum potuerunt animum fefellisse; quanquam necessaria omnino non sit correctio, cum *demittere* sit idem ac *mittere de*, corvusque fuerit *de arca missus*.

Sermo IV ideo videtur critico abjiciendus quia *leni et tranquillo flumine decurrit*, et *explicationem unice moralem persequitur*. Ergo quotiescumque sermo *de mysteriis religionis* non disserit, nec *inexpectatæ cogitationis scintilla excidit*, pro nihilo habenda est vetustissimorum codicum auctoritas! Ergo nunquam plane et simpliciter, Scripturam evolvens, locutus est Augustinus! Ergo nunquam morales populo explanavit regulas! quot et quanta hic exempla afferri possint, si genus hoc critices negativum confutationis pondere indigeret.

Sermo V ita scriptus dicitur *ac si spectaculi sacri, quæ Mysteriorum nomine medio ævo agebantur, scenæ describendæ debuisset inservire*. Et quare? quia sunt barbara multa. Quæ vero? Angelus *flammigero volatu micans*; quid barbarius? *Mariæ domicilium*; quid minus latinum? *Virginitatis prætorium*; quid absurdius? *Cum animo conferre*; quid magis extraneum? *Prolixius cogitans æstuarare*; quid alienum magis a Ciceronis lingua? *Ponderata examinatione auscultare*, et *mentis statera perpendere*; quid sancto Augustino indignius?

Quemadmodum pro quomodo; quid magis regulis contrarium? *Thorum cubilis, incentivus amor, illæsa virginitatis integritas, veridica stipulatio, cubiculare secretum*; apage, barbaries! Sed adduntur alia non solum parum latina, sed etiam parum casta verba: *Dic mihi, quæso, Sancti sanctorum Mater, quæ materni floris odorem et niveum lilium convallium sine succo humanæ propaginis et sine imbre carnalis seminis in sinus Ecclesiæ seminasti; dic mihi, quæso, unica Mater, quibus manibus, vel quo divinitas artificio (editio nostra per errorem typographicum male habet articulo) in utero tuo formavit Filium... Maria facta est genitrix sine comparis pondere. Quid inde? Nonne apud sanctum Augustinum multa similia legimus. Sic Sermone cxii: « Miramur Virginis partum, et novum ipsum nascendi modum incredulis persuadere conamur, » quia in utero non seminato germen prolis exortum est, » et a complexu carnis viscera immunia Filium hominis protulerunt, ejus patrem hominem non tulerunt. » Et Serm. cxci: « Gaudentes celebrate (virginibus loquitur) solemniter in hodierna die Virginis partum. Ille » quippe est natus de foemina, qui non est a masculo » satus in foemina, ... ut non uterum foetibus, sed animam » foecundam habere possitis virtutibus. » Sed, inquis, quomodo excusari possunt hæc usque ad fines orbis abigenda? *Inflatos tumore superbiæ, apposito humilitatis emplastro, ut mitis medicus ipse curavit. Emplastro!!!* et deinde: *Non adhibens diversis pigmentis epithemam (melius scriberetur in neutro epithema.) Epi-**

thema !!! Sed caveas, quæso; attende hæc verba sancti Augustini Sermone cliv, n. 6; post verba sancti Pauli, *Ne magnitudine revelationum mearum extollar*, etc. addit: *Qualem tumorem timuit, qui mordacissimum EPITHEMA accepit?* Quod autem spectat ad vocem *emplastrum*, nota illam reperiri apud auctores non prorsus contemnendos, cumque ex græco assumpta sit, illam non minus bene potuisse a beato Doctore adhiberi, quam alias ejusdem generis voces, *epithema, entheca, malagma, manganæ, etc.*

Transeamus ad Sermonem VI, quem adversarius noster ideo rejicit, 1° Quod auctor dicat nativitatem Christi factam fuisse quingentis annis ante tempus quo vivebat, unde juxta criticum debuisset dicere: *Pene quingentos*. Sed puto illum non attendisse ad hoc verbum *circa quingentos*, qui in eundem sensum prorsus recidit ac *pene*. 2° Quod loquatur, sicut jurisconsultus de *statu*, de *causæ præstatione*; ubi videas, quæso, quam difficilis sit noster adversarius, qui, si occurrant sententiæ et verba sancto Doctori consueta, hanc similitudinem habet infensam, utpote quæ meram demonstret Augustini simiam; si vero deprehendantur verba ab eo nondum usurpata, hoc discrimen inducit, quasi falsitatis notam. Ergo tantus Doctor nullas alias potuit egerere sententias, nulla alia verba usurpare, quam quæ in aliis locis adhibuit. 3° Quod adsit locus qui non solum Augustino repugnat, sed etiam rectæ rationi, ita ut inde appareat Editores *Collectionis selectæ non majorem adhibuisse diligentiam singulis intelligendis, quam*

totis sermonibus judicandis sagacitatem. Attendat autem lector, et videbit hoc solum apparere, nempe criticum latinam sententiam minime fuisse assecutum, imo et verbis sensum tribuisse fidei prorsus oppositum. Sit primum locus; ita se habet: «Veniant et audiant qui » græco turbine latinam nubilare nisi sunt puritatem, » Anthropotocon, Christotocon, Theotocon ut tollerent, » blasphemantes. » Circa quæ sic criticus argumentatur, omnia disturbando: «Quid hic sibi vult: Qui græco » turbine latinam puritatem nubilare nisi sunt, ut » tollerent blasphemantes Anthropotocon, etc.? Si id » agunt ut tollant græca vocabula veldogmata de Anthro- » potocon etc., quomodo nituntur nubilare latinam » puritatem turbine græco? imo plane contrarium fit, » si tolluntur illa græca; tum latina puritas non nubi- » latur, sed splendidius enitescit. » Unde cum criticus hoc operis assumpserit, ut semper improbet, quod approbamus, et quod improbamus approbet, subito notam nostram damnat, qua rejecimus cod. Cassin. lectionem, ubi habetur *non sinunt* pro *nisi sunt*, hancque veram et legitimam adoptat, ita ut legendum declaret: *Veniant et audiant qui græco turbine latinam nubilare non sinunt puritatem*, etc. Ex quibus hoc unum constat, charissime dissertator, nempe te nullo modo intellexisse, quod tamen planissimum est. Sine modo indoctos Collectionis selectæ Editores, profundissimæ quam expandere gestis doctrinæ aliquam interpretationis latinæ lectionem edisserere. Cur verba ex proprio loco avulsa absque sensu disturbas? cur hæresim cum veritate per-

misces? An *Anthropotocon* et *Christotocon* errorem sapere nescis? an ignoras *Theotocon* esse catholicæ fidei typum? non advertisti ergo duo esse verba, quæ varia nomina græca diverso modo afficiunt? Intellige, quæso, quæ dicat scriptor; me interpretem pati velis: *Veniant et audiant qui græco turbine latinam nubilare nisi sunt puritatem*; et quomodo? nempe *blasphemantes Anthropotocon et Christocoton*, id est, asseverantes cum blasphemia Mariam esse *hominis matrem, Christi matrem*; quare? *ut tollant Theotocon*, id est, ut eam *Dei matrem* non esse contendant. Intellexisti-ne? Nonne clarus est sensus? nonne prave, et quidem pravissime poneretur *non sinunt*? Quare ea, quæ non capis, impuñas? quare viros in legendis ac intepretandis sanctis Patribus multis abhinc annis versatos, quasi ineptos et insanos arguis, cum ipse circa textus facillimos, quasi lumine captus, cæcutias? Nihil igitur est quod nos ab adjudicando hoc opere sancto Augustino deterreat, si interiores notas solummodo respicias. Sed ut veritati debitum reddamus honorem, post dissipatas adversarii vanas objectiones, unam esse graviorem objectionem, imo et insolubilem prorsus confiteamur, quæ nos ad id compellit, ut hunc sermonem sancto Doctori male tributum fuisse declaremus. Sapiens enim et *justus*, juxta Scripturam, *prior est accusator sui ipsius* (1). Quando sermones istos emittere in publicum statuimus, hoc unum nobis timorem attulit, ne videlicet stampis submitteremus homilias jam antea editas. Hinc maxima nobis cura dies integros sæ-

(1) Prov. xviii, 17.

pius impendendi in evolvendis non solum divi Augustini, sed et aliorum pene omnium Patrum operibus. Sed in tantis voluminibus, quis talem in seipso fiduciam habere possit, ut certus sit nullam inter tot tantaque scripta locum invisum innotatumque præterisse. Hoc ibi passi sumus, nec erubescimus publice confiteri sermonem hunc jam legi editam apud Combefis Tom. I, fol. 115, cum nomine sancti Petri Chrysologi, ad quem revera melius referri videtur. Tales si afferat probationes adversarius noster, non repugnabimus, quia unam huc usque secuti sumus, et semper sequemur veritatem.

Sermonis VII longius examen non in omnibus et pedetentim sequi est necessarium. Sufficiet hinc ad analysim recurrere. 1° Objiciuntur quædam menda, quorum correctionem criticus exigere videtur; nec dissentio, si velit. Ponat *devotionis vestræ* pro *devotionis nostræ*, quamquam utraque lectio defendi possit; ponat *videamur* pro *videamus*, quod evidenter a sensu requiritur; ponat etiam *in audiendo* pro *in prædicando*, si magis placet, supposito scribentis errore. In his autem *inanivit se claritate, et implebit te*, quærit criticus *qua re?* et bene quærit; ibi enim certe deest aliquid, amanuensis incuria; addat vocem quam voluerit; hæc omnia sint concessa, quæ authenticitati minime nocent. 2° Opponuntur barbara verba, et quænam? *Apparentia*; sed quid barbarum, si auctor vocet *apparentiam* apparendi in publicum actionem? *Pulpare torporem*; verba hæc dura esse fateor, sed evidentia evidentius est huc irrepsisse aliquod mendum, et forte legendum *sectari*, aut aliud verbum, pro *palpare*;

notandum est enim nos unum tantummodo codicem ante oculos habuisse, et quis doctus nesciat quot et quanta menda in codicibus deprehendantur? *Jussio. Quænam?* Sic postulat criticus, qui prorsus sequentia non attendit: *Videte quid Dominus dicat: Qui te angariaverit, etc.*, et deinde: *Cedo imperio; Dominicæ sententiæ succumbo; iudicio colla submitto.* «Quantus cumulus!» exclamat criticus; et ego respondeo: apud sanctum Augustinum *quanti similes cumuli!* non egemus exemplis; ubicumque occurrunt. *In altitudine adductus* pro *in altitudinem*, cum sit motus; sed dictionarium ad usum Delphini asserit præpositionem *in* regere ablativum aut accusativum, sive motus adsit, sive non. Hinc Virgilius *Æneid. lib. xii, vers. 145: Cœlique lubens in parte locarim.* Hinc Cicero: *Venit in Senatu.* Hinc Varro: *Qua in Cœlio monte itur.* Et alibi Cicero dicit, quod multo magis stupendum videbitur: *Esse in amicitiam populi romani.* Si autem de ecclesiasticis scriptoribus fiat mentio, habes in Ascensionis canone ad precem *Communicantes: In dextera Majestatis collocavit, et in prosa Paschatis antiquissima: Præcedet suos in Galilæa.* Cur ego, quæ legitimam admittunt excusationem, corrigere præsumpsissem? Quomodo autem hæc verba: *Adjiciamus tamen aliquid de comparationis exemplo in præjudicata fide*, critico visa fuerint ita intellectu difficilia, ut vix capi possint, prorsus nescio. Jam fides certa est; clamat pro ea incontrastabile præjudicium; sed tamen ad exempla recurramus, ut clarior fiat comparationibus. Quid clarius dici potest? Quid ridiculum,

si corona Christi spinea conferatur cum illa corona, quam habebat ab æterno, *manu Patris ex pretiosis lapidibus et artificio pietatis intexta*? Quid mirum si dicatur *claritatem annuntiatam esse in excelsis*, licet alibi Augustinus *gloriam* legeresoleat, cum utrumque verbum in Evangelio scribatur: *Claritas Domini circumfulsit illos... Gloria in altissimis Deo* (1)? Quæ absurditas in hac oppositione: *Non pro unius populi liberatione voluit mactari, sed pro cunctis debebat crucifigi*? Cur *apis* non vocaretur *musca*? cur filum aranæ serico filo non posset comparari? cur sanctus Doctor adhibere non potuisset vocem *taxare*, cum apud Plinium legatur, apud Tertullianum (2), imo et in argumentis Evangeliorum apud editionem Coloniensem? cur *putamen* nucis *testa* non vocaretur? 3^o Exprobratur multas esse ineptias sancto Augustino indignas. Et quæ sunt istæ? Scilicet verba quæ blasphemio infert: *Blasphemia tibi claudentur ora, et veluti offas accipiens, oblatrandi amittes licentiam*. Sed quomodo inepta est hæc imago? Addit insuper, quæ de corvis dicuntur: *O interea corvos ubique devotos, (qui nutriebant etiam!) nigros in colore, sed candidos in timore; immundos in nomine, sed mundos in opere. Emundavit tamen culpam suam, et reversus est ad obedientiam; tunc enim exiens de arca non rediit; nunc pastus necessarios servo Dei opportunus obsonator exhibuit*. Si hoc scripsit Augustini simia, exemplo simillima facta est, quia nullus est qui in his verborum et cogitationum jocos typum non agnoscat.

(1) Luc. 11, 9, 14. — (2) Tert. de Res. carn., n. 50.

Causa autem rejiciendi Sermonem VIII ita debilis est, ut, modo sit adducta, statim in auras penitus evanescat. Ideo enim Augustino abjudicandus videtur, quia nativitatem Christi nominat sacramentum. Hinc critici tota expanditur doctrina, definitiones afferentis Augustinianas de sacramento, quæ sunt *signa, in quibus aliud videtur, aliud intelligitur*. Sed oro te, charissime dissertator, imo te, lector, obtestor, nonne *in nativitate Christi aliud videtur, aliud intelligitur*? Videtur homo, intelligitur Deus; videtur filius hominis, intelligitur Filius Dei; videtur plorans parvulus, et intelligitur Rex mundi omnipotens. Resurrectionem Christi *sacramenti* nomine decoravit Augustinus, quia *est nova vita credentium*; nonne et ejus nativitas est nativitas credentium? nonne ideo sacramentum dici potuit? nonne et ipse auctor hujus verbi sensum evolvit, cum dicit: « Nunc vero, ut in sinu tem- » porum, gentibus (1) universis perennis vitæ sacramenta » deferret, ipse de cœlestibus, de sinu Patris adveniens, » ita se homini, sibique hominem inseruit et univit, ut » incomprehensibili gloria unus idemque et homo esset » et Deus. » Certe magna disputandi cupiditate urgetur, qui tam infirma confidenter expromit argumenta. Nec magna perspicacia donatus est qui hæc verba explicare non potest: *Quæ lingua enarrare poterit, quod usus investigare non prævalet*. Dicat autem, si ipsi placuerit, adversarius noster sermonem hunc *nihil habere quod captum concionatoris admodum vulgaris excedat*; ego, et alii mecum in eo reperient plura quæ cum fide

(1) Hic in edit. ante *gentibus* male duplicatur *ut*, quem tollas.

appreme consentiunt, plura quæ honori inserviunt Beatæ Virginis Mariæ, plura etiam quæ satis acute dicta videntur, qualia sunt ista : « Quis hominum illud (mysterium) æstimare conabitur, in quo solus sibi est Deus » et auctor et conscius? » Et iterum : « Nascitur Christus » non necessitate vivendi, sed voluntate salvandi. » Et denique : « Sic enim Potentissimus prodiit ex Maria, ut » et infirma carnis subiret, et Unigeniti non amitteret » majestatem, ac temperamento quodam admirandi mysterii, et per hominem Deus cum hominibus loqueretur, » et homo per Deum de diabolo triumpharet. »

In Sermonis IX critica unum est verum, sed reliqua plane sunt falsa. Falsum est ex eo quod sermonis exordium brevescit, ipsum penitus esse abjiciendum, cum sermo possit sua carere integritate, et longioris tantum repræsentare fragmentum. Falsum est sententias allatas manum ita gravem, ponderosam, et (quod utrum eruditionis altitudinem ostendat, an legentis existimationem captet, nescio) ut græce loquamur *φορτικὴν* arguere, ut penitus inde respuenda sit tota oratio. Falsum est ex reliqui textus lectione tædium posse reformidari, cum Erasmus totum tractatum, unde assumptus est, esse *hominis eruditi foetum* censeat, imo et *arguti et facundi*; cum illum sine cunctatione adjudicent Augustino Lovanienses; cum idem faciat Bellarminus, nec non et antea fecerit venerabilis Beda, qui inde quædam citat in caput primum Epistolæ sancti Pauli ad Romanos. Has videsis auctoritates in ipsa adversarii editione Tom. VIII, fol. 1523-1524. Sed verum est hic iterum nostram defecisse vigilantiam, fragmentumque de

quo agitur jam esse stampatum in tractatu *contra quinque hæreses*, n. 6 et 7. Utrum vero illum rejiciendo bene egerint Benedictini, ipse pronuntiet lector.

Sermo X defensione non indiget, cum tota adversarii critica in eo ponatur, quod non debeamus iterum *judicare quæ bene a Benedictinis judicata sunt*. Sed utrum *bene*, ibi versatur quæstio, quæ ab impugnante non solvitur. Argumenta vera esse declarat, si aliunde constet de authenticitate Sermonis; atqui de ea constat per codicis veteris auctoritatem; ergo nulla superest objectio, nisi forte unius phrasim, ut dicitur, *barbaries*, et inficeta cum superioribus conjunctio, quæ ad ultimum quædam intermedia deesse demonstrant, nilque amplius, quod noceat, possunt inferre.

Sermonis XI critica in eo tota fere versatur quod noster adversarius deprehenderit typographica menda, quæ corrigere nescivit. Prius est verbum *genuisset*, quod positum est pro *generaret*; posterius vero, quod exclamationis puncto notatur, ut prorsus latinitati contrarium, est vox *incedebis*; barbarum prorsus verbum; indignabundus criticus in hoc verbum proruat (*sic*)! sed non sane animadvertit totum furorem in hoc recidere, quod mutanda sit littera *c* in *s*, et tunc habebit optimæ latinitatis verbum *insedebis*. Gratias ago adversantis malitiæ, quod mihi facilitatem tribuat catalogum mendorum typographicorum ad calcem voluminis hujus excudendi, ut videbitur infra in fine. Sed si menda quædam typographica nobis exciderunt, dum stampis submitteretur opus ineditum multumque propter codicum vetustatem et

notariorum incuriam intricatum, caveat ne quis rursus annotare velit menda etiam gravissima, quæ in tam laudabilem aliunde ipsius editionem, sed tamen ex impresso jam textu conflata, irrepserunt. Quis nesciat tot imprimendi opera præcipitem ardorem, multorum, etiam invitis edentibus, errorum fontem existere? Præter autem duo illa menda, tertium reperitur, quod adversarium fefellit, ut me ipsum fefellerat adhuc in legendis codicibus nimis novitium, nempe vox *laxa* pro *lassa*, cum in manuscriptis sæpius duæ litteræ *ss* per unam *x* exprimantur. Hinc legendum est *lassa insedebis*, quod auctorem scripsisse aut dictasse certissimum esse fatendum est. Non loquor de verbo *fiet*, quia potest facillimam excusationem accipere; nec de vocibus in *Prophetis et Lege*, non autem *ex Lege*, quod claudicat. Hæc sola igitur objecta remanent, nempe quod usurpetur vox *sacramentum*, quam nihil efficere jam probatum est, et quod sanctus Doctor dixerit: *Cæli non habent accusatorem?* Quid hæc sibi velint, quærit adversarius. Nunquam ergo legit Apocalypsim, in qua hæc reperisset verba, quæ illius quæstioni clare prorsus respondissent (Apoc. XII, 10): *Et audivi vocem magnam de cælo dicentem: Nunc facta est salus, et virtus, et regnum Dei nostri, et potestas Christi ejus, quia projectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos ante conspectum Dei nostri die ac nocte.* Adde quod si Maria dicat *se delegisse in templo servire*, non dicit se hoc ita delegisse, ut totam vitam suam consumeret in templo, sed ut primis ibi consumptis vitæ suæ annis, virum, deinde non

cognosceret. Si nulla major in toto Augustino se offerret difficultas, non tam vehemens aliquando surrexisset pugna inter doctos de sensu Augustiniano.

Legi sæpiusque perlegi Sermonem XII, nec illum agnovi *desultorie scriptum*, et ab aliis ad alia dilabentem, nisi dicatur hic sermo *dilabi ab aliis ad alia*, quæ verba Evangelii successive et sapienter evolvit. Nihil barbari præ se ferunt voces *meruimus* et *percreditur*, quanquam dici possit in codice male scriptum fuisse *percreditur* pro simplici verbo *creditur* per inadvertentiam notarii qui replicavit syllabam *per*, quæ paulo ante legitur in verbo *permanet*. Nemo est in lectione codicum vel parum versatus, qui has reduplicaciones non sexcentis vicibus repererit. Non video cur vir prudens non dixisset, *Intrat uterum* (Filius Dei), *ut utero te reformet*; venit enim ut nos reformaret ab utero exeuntes. Utrum denique abrumpatur sermo et mancus sit, an aliam et longiorem habuerit conclusionem, nihil interest, nec inde prorsus lædi potest ejus authenticitas. Hoc unum deduci potest, illum videlicet non esse integrum, ejusque tantum superesse fragmentum, quod ideo certe non abjiciendum videbitur, cum tot fragmenta ipsi colligerint Benedictini, et quidem multo breviora.

Evidentem esse prædicat adversarius Sermonis XIII criticam, nec ista talis forte omnibus videbitur. Ex eo quod quædam legantur in sermone apocrypho, in quo multæ leguntur sancti Augustini sententiæ, non ausi eramus illum prorsus rejicere, cum auctoritatem codicis antiqui haberet, sed dixeramus sententias sermonis spurii ex eo

esse desumptas, sicut multas alias continet, quas ex aliis detractas agnoscunt omnes, quin ideo sermones isti sancto subripiantur Augustino. Sed probare nititur additiones istas insulas esse et ridiculas. Sic post hanc phrasim quæ in utroque textu reperitur: « Fecit gravidam Virginem, » qui nasciturus erat ex Virgine; » codex noster addit: *Non tamen gravidam, quia lux non habet pondus.* Hinc si critico fides *oratorius numerus deletus, et inficetum corollarium adjectum est.* Hoc attendat et iudicet lector; pulchra mihi videtur nec Augustino indigna cogitatio, quam alibi etiam apud sanctos Doctores reperies. Sententiis præcedentibus aliquid in nostro textu deesse videtur, aut aliquod irrepsisse mendum, quod facile explicari potest per replicationem pronomini *quem*. Libentissime crediderim primarie fuisse scriptum: « Et » quæ domus ejus, quam sibi ipse construxit, nisi homo » Christus Jesus, quem gloriosa Virgo suscepit, quem » Spiritus sanctus copulavit, etc. » Si autem sermonem editum ex uno codice velis repudiare propter verbum, quod aliquid affert difficultatis, nulla jam haberi poterit authenticitas, nisi purum habeas omnino textum, quod absurdum est. Perfidæ sunt sequentes quæstiones, sed solutu facillimæ. Dixisset-ne Augustinus *vilitatem Deum homines credere?* Ita certe, si sententiam referas integram; vilitatem suscepit naturæ humanæ, et hæc naturæ humanæ vilitas in Dei participationem admissa est, ita ut credamus Deum, quem vilem hominem videmus. — An Augustinus *talem incarnationis finem statuisset, ut incredulis cæcam noctem incuteret?* Ita certe, et op-

time, si totum argumentum adducatur. Primo enim orator dicit Christum venisse *libertatis arbitrum ... redditorum pacis ... recuperationis inventorem, ut lumen vultus sui credentibus demonstraret*; sed dein ipsum ad hoc se manifestasse, *ut cæcam incredulis noctem incuteret*; quod idem est ac Simeonis oraculum dicentis: *Positus est hic in ruinam et in resurrectionem multorum in Israël* (1). — Nonne autem absurda est vox *lector*, cum agatur de sermone? Minime, si attendatur ad usum notariorum, qui sermones ex antiquis Patribus extrahebant, ut lectio fieret juxta solemnitates, sive inter prandendum, sive in Ecclesia, sive in cellulis, unde sæpius vocem *fratres* mutabant, substituta voce *lector*. — Sed nonne barbara est vox *imprægnari*, et præsertim *imprægnari auribus*? Quoad sententiam ipsam, qua dicitur Maria auribus concepisse, non excusatione indiget, cum alibi sæpius apud Patres reperiat; sufficit igitur ut legitimam vindicemus vocem *imprægnari*, quæ sæpius ab ipso fuit usurpata Augustino. Sic in Psalmum xxxix (2): « Imprægnata est anima, sperat se posse adipisci. » Et ibidem: « Imprægnari vis, hinc imprægnare. » — Sed agnoscitur ibidem *verborum lusus et sonorum quæsita melodia, vel rhythmus medio ævo tantopere adamatus*. Ergo inter opera medii ævi omnia fere scripta sancti Augustini amandare festines, cum totus sit *in rhythmis et sonorum quæsitu melodia*. Nonne hoc est ejus dicendi modi distinctivus character, aut potius præcipuum ejus styli vitium. Aperio ejus sermonum librum et in tua edi-

(1) Luc. 11, 34. — (2) Enarr. in Psal. xxxix, n. 28.

tione, tom. v, fol. 1282 (1), de Natali Domini hæc reperio:
 » Concipiens virgo, pariens virgo, virgo gravida, virgo
 » foeta, virgo perpetua. Quid miraris hæc, o homo?
 » Deum sic nasci oportuit, quando esse dignatus est
 » homo. Talem fecit illam, qui est factus ex illa. Ante-
 » quam enim fieret, erat; et quia omnipotens erat, fieri
 » potuit manens quod erat. Fecit sibi matrem, cum esset
 » apud Patrem; et cum fieret ex matre, mansit in Patre.
 » Quomodo Deus esse desisteret, cum homo esse coepit,
 » qui genitrici suæ præstitit, ne desisteret virgo esse cum
 » peperit? Proinde quod Verbum caro factum est, non
 » Verbum in carnem pereundo cessit, sed caro ad Verbum
 » ne ipsa periret, accessit: ut quemadmodum homo est
 » anima et caro, sic esset Christus Deus et homo. Idem
 » Deus, qui homo, et qui Deus, idem homo, non con-
 » fusione naturæ, sed unitate personæ. Denique qui Fi-
 » lius Dei generanti est coæternus semper ex Patre, idem
 » filius hominis coepit esse ex virgine. Ac sic et divinitati
 » est addita humanitas, et tamen personarum non est
 » facta quaternitas, sed permanet Trinitas. » Quid sentis
 de hoc dicendi genere? Est-ne Augustinianum, nec ne?
 Sed forte multum laboravi ad hoc fragmentum reperien-
 dum. Lege sermonis sequentis principia (2): « Laudem
 » Domini loquetur os meum: ejus Domini per quem facta
 » sunt omnia, et qui factus est inter omnia: qui est
 » Patris revelator, matris creator: Filius Dei de Patre
 » sine matre, filius hominis de matre sine patre: magnus
 » dies Angelorum, parvus in die hominum;... cuncta sæ-

(1) Serm. CLXXXVI, n. 1. — (2) Serm. CLXXXVII, n. 1.

» cula ordinans de sinu Patris, hodiernum diem conse-
 » crans de utero matris: ibi manens, hinc procedens;...
 » mundum implens, in præsepio jacens; sidera regens,
 » ubera lambens; ita magnus in forma Dei, brevis in
 » forma servi, ut nec ista brevitate magnitudo illa mi-
 » nueretur, nec illa magnitudine ista brevitatis premere-
 » tur. » Dic, precor, quæ et quanta super nos sonarent
 anathemata, si talia non a Benedictinis, sed a nobis fuis-
 sent edita. Nedum igitur iste rhythmus authenticitati no-
 ceat, huic plurimum favet, cum ad stylum Augustinia-
 num proximius accedat. Cur autem Christus non dicere-
 tur *fides vera credentium*, prorsus nescio; nec magis
 scio cur non posset *clausura discutientium* nuncupari,
 cum pacem et concordiam terris attulerit.

Si quis abjectis omnibus præjudiciis sermonem XIV
 legerit, nihil inficetum nec absurdum reperiet. Cur reji-
 ceretur sermo propter hæc duo verba *letalem mortem*
 et *auris curvi anfractus*, cum posterius hoc corporis
 membrum non inepte exprimat, prius autem vel possit
 excusari ex solitis Scripturæ congestionibus *morte mo-
 rieris*, vel tribui possit notariorum incuriæ, *letalem* forte
 ponentes pro *fatalem*, aut quid simile? cur repudiare-
 tur propter dicendi modum perfecte latinum, quo asse-
 rantur Abraham et Jacob *adeptos esse conjugium*? cur
 amandaretur inter spuria, propter gratissimam illam et
 familiarem Augustino collationem apes inter et virgines?
 Nonne latinæ, quin et eloquentes sunt istæ voces *sine cons-
 cientia maritali*? Tria tamen hæc menda irrepsisse fateor,
 quæ corrigas, nempe *venit pro veni; ore osculis pro*

oris osculis; et matres cognoscunt pro concipiunt. Menda nobis tribue, si excusare nolis, sermonem autem Augustino.

Sermo XV ita sapit Augustinum, ut *collectanea Augustiniana* ab adversario vocetur. Quid autem ad illum expungendum objicitur. *Rhythmus ludentis*? Sed ludentem in rhythmis Augustinum satis agnovimus. — Unum typographicum mendum, quo scriptum est *repellemus* pro *repellamus*? Quot Augustini sermones apud adversantis editionem, ubi graviora oculos et mentem lædunt menda. — Dicendi quædam forma, quæ minus rhetorica videtur, quaque scriptum est Christum non *indiguise*, ut *dignaretur* nasci? Sed quid hic ridiculum; non certe indigebat Christus ut dignationem huc usque protenderet, nempe usque ad vilem inter homines nativitatem. — Verba hæc, quæ parum accurata videntur: «Teneamus eum, ne, peccatis facientibus, a nobis repellamus eum?» Sed hæc non absque sensu dicta sunt, quanquam hic notarium errasse mihi fuerit manifestum; credo scriptum fuisse, *ne peccata facientes*, sed corrigere non sum ausus, cum nullius codicis auctoritate correctio niteretur.

Sermonis XVI exordium est diversum ab eo quod apud Benedictinos legitur, et certe lectu non est indignum. Adversarius noster magna videtur laborare ridendi facilitate, cum in risum solvatur ex hoc dicto: «Coelos hodie intellige Angelorum choros,» in quo ne minima quidem apparet subridendi materies. Quid enim ridiculum si orator christianus auditores moneat *hodie*, id est, in nativitate Christi, ita interpretanda esse hæc verba Psal-

mistæ *Laetentur cæli*, ut per verbum *cæli* intelligatur non locus ubi degunt Angelorum chori, sed ipse chorus Angelorum? Cur autem italicis distinxerit hæc verba, *inclinavit se*, nempe Filius Dei, *ut nos erigeret*, prorsus non possum capere? Qui autem ad risum tam facile convertitur, non minus facile tædio afficitur; non enim sine tædio describit, quæ lector, non modo sine tædio percurret, sed etiam cum aliquo voluptatis sensu, ut videre est, sive apud nostram editionem, sive apud ipsum criticum. Hic autem ibi, sicut et alibi, nonnulla exprobravit, quia illorum sensum non est adeptus. Sic cum orator locutus fuerit de muliere quæ incurvata erat multis ab annis, eamque dixerit typum esse generis humani, addit: «In hac muliere hodie natus Dominus noster, etc.» non ut asserat Filium Dei natum esse ex incurvata illa muliere, sed ut indicet eum esse natum in genere humano, cujus illa mulier formam præferebat, quod ex contextu facillime concipitur. Si vero durior hic sensus videatur, tollatur vox *hæc*, quæ amanuensium errore potuit irrepere, et tota evanescet difficultas.

Eadem ratio, quæ nos impulit ad acquiescendum sermonis IX repudiationi, nos iterum ad id impellit ut Sermonem XVII inter spurios rejiciamus. Legitur enim quoad dimidiam partem in Tractatu contra quinque hæreses, quanquam, cum Tractatus iste conflatus sit ex sententiis Augustinianis, imo et juxta plures vere sit Augustinianus, possit aliquatenus defendi. Si vero hoc veritati concedimus, critici minime possumus acumen mentis admirari, qui velut ridiculam profert hanc sententiam, justum

non habere *immixtionis aliquid* plumbi, quia nihil præcedit de *auro* vel *argento* dictum, et lepide satis adjicit se credere talem sermonem scriptum fuisse a *fabro*; ergo quotiescumque scriptor aliquis metaphoram assumet ex auro et plumbo, faber erit; quotiescumque ex navibus et mari, erit nauta; quotiescumque a terræ cultura, agricola dicetur, et sic de reliquis. O vere admirabilis critica! Nec magis in judicando acutus apparebit, cum *ineptiam* vocet sententiam, qua dicitur *Maria nullis fascibus peccatorum fuisse ponderata*, et maligne indigitat typographicum mendum, quo vox *fascibus* posita est pro *fascibus*, non præmittendo in hac voce manifestum stampatoris excidisse errorem. De hac autem cogitatione Mariam bajulasse Christum, quin onus sentiret, jam animadversum est illam ad plures alios pertinere doctores, nec indignam esse quæ ab Augustino fuerit usurpata. Sit ergo recta conclusione definitum, ultimam hujus sermonis partem jam alibi fuisse editam, sive in Tractatu contra quinque hæreses, sive in nostro Sermone IX, sed priorem partem plura continere nondum edita, et quæ utiliter a doctis sunt perlegenda.

Sermonem XVIII, qui in editione sancti Leonis legitur, sicut in annotatione nostra explicatur, sed ad beatum Doctorem a Quesnello et fratribus Ballerini minime pertinere declaratur, ex duorum auctoritate codicum sancto Augustino restituimus, nec ex eo potest subverti tanta auctoritas, quod gratis assertur dicendi genus alienum esse ab Augustiniano. *Sancti hujus Doctoris lectione imbutus* citatam periodum ab ejus genere non discrepare af-

firmiter, gratis negans quod a critico gratis assertur. Si autem quæras cur editum jam apud sancti Leonis appendicem hic emiserimus, facile respondetur hoc factum esse propter tres gravissimas rationes; 1° ut legentes simul inveniunt, quæ ad sanctum Augustinum possunt referri; 2° quia cum nullibi appendices edamus, iidem habeant hunc sermonem, quem aliter nullibi in Collectione selecta reperiretur; 3° quia multæ sunt variantes lectiones quæ ad inferiorem paginæ marginem indigitantur, et alicujus momenti viris antiquitatis amantibus videbuntur.

Sermo XIX non paraphrasis est sermonis dubii 375, sed tantum unam eandemque cogitationem exponit, modo tamen diverso, quod sæpius occurrit in veris sancti Augustini sermonibus. Sententiæ ordinem narrationis sequuntur, nec proinde possunt tanquam incoherentes suggillari; nam, hoc admissio, omnes sanctorum doctorum sermones, qui varios Prophetarum aut Evangelii textus evolvunt, deberent quasi eodem incoherentiae crimine laborantes traduci. Sectiones 3 et 4 non ex sermone ad Catechumenos conflatae fuere, sed tantum de eodem argumento tractant, ita ut cogitationes aliquæ similes sint, verba autem differant. Nec æquum foret abjudicare nostro Doctori omnes sermones, in quibus *invektivæ in longum extractæ* reperiuntur, cum similia sæpius habeantur apud genuinos ejusdem sermones. Sic mihi librum fortuito aperienti subito occurrit hæc apostrophe ad Mariam Mariani martyris matrem, quam cum Maria Christi genitrice comparare gestit (1): « O sancta et tu, Maria,

(1) Sermon. CCLXXXIV, II, 2.

» impar quidem merito, sed par voto! Felix et tu! Pe-
 » perit illa martyrum Principem, peperisti tu Principis
 » martyrem; peperit illa testium Judicem, peperisti tu
 » Judicis testem. Felix partus, felicius affectus. Quando
 » peperisti genuisti, quando amisisti exultasti. Quid est
 » hoc, quando peperisti genuisti, quando amisisti exul-
 » tasti? Non frustra, nisi quia non amisisti. Ubi dolor
 » non erat, fides erat. Carnalem dolorem de corde fides
 » spiritualis excluserat. Videbas te filium non amittere,
 » sed præmittere: totum quod gaudebas, sequi volebas.»
 Si tale fragmentum apud ineditos legeretur, quot et quanta
 pronuntiarentur anathemata? qui verborum lusus! quæ
 puerilia exprobrarentur vocum certamina! invectivæ
 longiores dicerentur ab Augustino prorsus alienæ; et ta-
 men Augustinum habes, et totum Augustinum. Sed forte
 brevior est apostrophe; legas precor sequentia: «O beati
 » Martyres, unde vobis ista? Scio vobis corda humana;
 » unde vobis ista divina? Ego dico, A Deo; quis est qui
 » dicat, A vobis? quis est qui vos male laudando invi-
 » deat vobis? Nescio quis dicit a vobis hæc esse? Res-
 » pondete illi: *In Domino laudabitur anima mea.*
 » Nescio quis dicit a vobis hæc esse? Respondete illi,
 » si mites estis, respondete: *In Domino laudabi-*
 » *tur anima mea.* Respondete et hoc in populo Dei:
 » *Audiant mites et jucundentur.* Nescio quis dicit a
 » vobis hæc esse? Respondete illi: *Non potest homo*
 » *accipere quidquam, nisi datum ei fuerit desu-*
 » *per,* etc.» Plura quæ sequuntur, et eodem modo
 scripta sunt ex industria omitto. Sed apostrophe est hoc,

non invectiva. Transi ad reliqua: «Quid, infidelis, su-
 » perbis? Laudas Martyrum patientiam, quasi a se ipsis
 » possent esse patientes? Apostolum potius audi, gentium
 » doctorem, non infidelium deceptorem. Certe in Marty-
 » ribus patientiam pro Christo laudas, et eam ipsis as-
 » signas? Audi potius Apostolum Martyres alloquentem
 » et corda humana sedantem. Audi, inquam, dicentem,
 » *Quia vobis donatum est pro Christo.* Audi pietatem
 » exhortantem, non adulationem fallentem: *Vobis,* inquit,
 » *donatum est.* Donatum est, audi, etc.» Audi et tu qui
 nobis in omnibus adversaris, quod Augustinus ab in-
 vectivis non prorsus abhorruerit, præcipue cum illa
 rhetorices figura multum sæpius valeat in dicendo, nec
 in spuriorum mare sit in æternum submergenda.

Sermonem XX ita deprimat criticus noster, ut dam-
 nato sine misericordia initio, damnet severius et finem,
 exclamando: *Dignus misero sermone finis!* Illum autem
 legi et perlegi, nihilque inveni quod tam iniquo possit
 favere iudicio. Pulcher admodum est ille sermo, et in
 cunctis Augustinianus. Si quæ insurrexere adversarii ocu-
 lis difficultates, hoc inde accidit, quod cupiditate abreptus
 sæpius caliget, nec rerum sensum assequi prævaleat.
 Primam sententiam velut ratione destitutam exagitat,
 quæ ita plana est, ut vel puer in latino novitius hanc
 facillime intelligat. «Jejunia, inquit orator, ita Deo grata
 » sunt, ut exigat ista propitius, exigat et iratus.» Nescio
 quid loquitur de antropomorphismo adversarius; ejus
 doctrina obruor; ejus dicendi et cogitandi modus meam
 intelligentiam nimium superat. Sed oratorem perfecte in-

telligo dicentem, Deum ita grata habere jejunia, ut illa exigat propitius, a justis videlicet, quos diligit; exigat et iratus, nempe a peccatoribus, quos aliter aversatur. Quid sibi vult insimplicissima phrasi affectatus græcismus, doctiorque *antropomorphismus*. — Sed *torridus febris ardor*, inquis, quæ barbaries? Adi Plinium, adi et Virgilium, videbisque utrum hæc sint barbære dicta. Quid significat vox *torridus*? qui *torret*, qui *urit*. Ergo non urit, non torret corpus febris? Ergo barbære loquebatur Virgilius, cum diceret *torridus amnis*, id est, *amnis qui torret et urit*. — Sed dicit se *primitus* de baptismo loqui, cum jam locutus fuerit de jejuniis. Mihi condonatum velis, oro, si, quæ audacter profers, audacter abnegem. Non magis locutus est de jejunio quam de misericordia et de baptismo; de tribus generatim disserit, oratoris more sermonis argumentum indigitans, et deinde varias distinctasque ratiocinii partes aggrediens, a baptismo incipit, de quo primitus vult disserere; hinc ad jejunium transit; sola remanet misericordia, de qua nihil habetur, quia sermo non est integer, ut manifeste apparet ex eo quod conclusione careat. Hinc omnes objectiones ex eo nascuntur quod criticus vel non intelligit, vel non vult intelligere. Duo sunt insuper quæ nobis opponit, sed frustra, cum de iis explicatio detur in notis, quas sane non dignatus est legere adversarius.

Sequuntur quindecim sermones de Pascha, de quibus hoc sapientissime *a principio observat*, quod ibi non fiat semper de baptizatis commemoratio. Ergo omnis sermo de Pascha ubi non mentio fit de baptizatis, ad

sanctum Augustinum non pertinet. Hanc conclusionem admittat qui voluerit; ego prorsus illi contradico, tum quia, cum sæpius verba faceret Augustinus in hebdomada Paschæ, aliquando potuit abstinere ab isto argumento, tum quia forte integri non semper pervenere ad nos beati Doctoris sermones, tum quia in sermonibus genuinis habitis in tempore Paschæ, plures sunt in quibus nulla fit mentio de baptizatis, ut videre est in viginti novem sermonibus, qui in his diebus fuerunt pronuntiati.

Nunc autem, ut ad singula capita deveniamus, Sermo XXI arguitur tanquam declamatoris, imo aperti hæretici opus. Exordium tamen non videbitur abjiciendum illi qui hoc attente voluerit perlegere. Gravior autem exprobratio adversarii, si italicis creditur, in eo consistit quod dixerit *altare Domini pretiosum*; sed nescio utrum Augustiniano ingenio repugnet vocare *pretiosum* hoc altare, in quo *pretiosum* corpus Christi offertur. Ita autem in minimis vult esse infensus, qui nos persequitur, ut exinde velit sermonem rejicere, quod una sit sententia quæ incipit a particula *at*. Crimen sane, quod nullo modo possit condonari! Si particula *at* sensui contraria videretur, alius non absque ratione diceret, scriptum esse *at pro et*; sed hoc minime necessarium est. Legitur *at*, et bene legitur; criticus autem, ibi velut et alibi, non intellexit oratoris cogitationem. Mortui, inquit, jucundati sunt, gavisissimi sunt et renati; *at* gaudii causa diversa est; illi lætantur de nova vita, isti de gratia recuperata. Quid magis clarum et evidens? — Sed legitur: « Nemo tristetur, » si hortatur (passive!) antequam perdet tempora quam

» dignitatem ; » unde addis, *Hoc plane barbarum et sententia contortissima*. Sed cur indigna perfidia utens tollis vocem necessariam ? Non ergo post hæc verba vidisti hanc particulam (*sic*) ? An ita parum versaris in veterum editionibus ut ejus sensum nescias ? Nonne inde indigitur codicem esse mancum et deficere ? *Vox hortatur passive !* et unde scis eam esse passive assumptam, cum forte ne legenda quidem sit vox *hortatur* ? Sincerus sis et non calumniosus ; defectuosum locum argue, non barbarum. Hic vero atrocior calumnia ; hæresis propagatores esse incusamur. Et quare ? quia dicitur : « Vitam si velit non » mutare (hic virgulam posuisti qua sedulo cum codice abstinuimus, et ex qua sensum tuum vis astruere ; cur textum falsum proponis ?) « vitam si velit non mutare in » plenitudine millium annorum (scripsisti *anonrum*, et si vellem par pari referre, dicerem, Imo et *annorum* ; sed vir doctus mendum scit excusare : cur autem virgulam post *annorum* positam perfide sustulisti ?) « merebitur gaudere sine fine, etc. » Hinc exclamas : *Audisti-ne aliud ? chiliasta loquitur*, In plenitudine millium annorum ! » Sed caveas, precor ; contrarium asseritur ; nam sensus est : Hic gaudebit sine fine qui non voluerit mutare vitam, nempe æternam, cum illa plenitudine millium annorum, quæ ab hæreticis fuit conficta. Verum est quod legendum videretur *plenitudinem* pro *plenitudine*, quod facillime corrigi posset, cum sæpius in hoc errent codices, quia, si nescis, tibi sciendum est litteram *m* non aliter indicari quam productione quadam in altum ultimæ vocalis ; et ideo posuimus post hæc verba

fatale (*sic*), quod te ferit, et falsas tuas diatribas prorsus dejicit. Nihil ergo in hujus sermonis critica deprehenditur, nisi error et perfidia (1).

Anathematizatur Sermo XXII ; *miserrimus* est ; Augustino repugnat. Et quare, quæso ? quia legitur apostrophe et invectiva contra Judæos. Sed vidisti superius familiarissimam esse Augustino apostrophem, et absurdum esse hanc tam potentem figuram solis *spuriorum fabricatoribus* tribuere. — Quare iterum ? quia dicitur Judæos cantare in Psalmo tertio laudes Dei, et in hoc Psalmo non videre unum Deum in Trinitate, id est, unum et trinum Deum. Sed quid hinc absurdum sit prorsus non perspicio ; certum est enim Judæos non claram habuisse sancte Trinitatis notitiam. — Quare rursus ? quia barbare dicitur *signatura* et *in vano*. Cur autem vox *signatura* ut barbara repudiaretur, cum legatur apud Suetonium ? cur non posset in stylo Augustiniano, id est, minus puro ac jam deficiente, scribi *in vano* pro *frustra* ? Non ergo legisti in Psalmis, quos quotidie recitamus, hæc verba : *Qui non accepit in vano animam suam* (2) ? — Quare denique ? quia passive infanti tribuitur vox *imprægnari*, non matri. Duram esse hanc vocem fateor, sed mendum hic suspicari maluerim in scriptore, quam in oratore, cum aliunde in omnibus concordet sermo cum Augustini ingenio. Nec miraris, si sæpius menda scriptoribus attribuiam, cum hic omnes qui codicum editioni studuerunt, easdem emiserint incusationes, et inter alios ipsi Benedictini, ut videri potest, verbi gratia, in operibus sancti Chryso-

(1) Videsis Var. ad calcem volum. — (2) Psal. xxxiii, 4.

tomi, Collectionis selectæ, tom. 73, fol. 477, ubi in nota scribitur: « Hic mihi tenebræ; nec aliud in mentem venit, quam ex scriptoris indiligentia id factum esse, ut ad nos manca pervenerint eloquentissimi Patris verba. » Quid facilius viro scribenti quæ forte non intelligit, vocem *imprægnabatur*, quam sæpius jam viderat, substituisse voci *incarnabatur*, aut alii simili.

Sermo XXIII hoc uno impugnatur, quod mendis scaturiat codex, quæ nec ipsi potuimus in quibusdam sanare. Sed iterum hic annotanda est critici perfidia, qui tollit in hoc rursus loco particulam (*sic*), quæ indicat codicis defectuosi errorem, ridiculamque exponit sententiam absque necessario hoc signo. Criticum modo admonitum volo, quando aliquis alios vult corrigere, correctiones proponendas esse, non, ut aiunt, *barbarismos*. Legebatur in codice *Christum manubria mortis egisse*, quæ emendare non fuimus ausi, quia ex his verbis quidam exurgere poterat sensus, nempe Christum *egisse*, aut *propulisse manubria*, sive *arma* mortis. Proponit adversarius *manubria*; sed vox *manubria* non est latina; legendum esset *manubias*, ex substantivo plurali *manubice, arum*; si vox autem sic reddatur latina, illam admittere non recusabo, et melius scribemus in nova editione, quando locus crit, *manubias mortis egit Christus*. Hoc unum addemus, quæ de beato Petro dicuntur optime coherere, et optime potuisse dici *sicut audistis*, quia pronuntiata fuerat ante concionem lectio Evangelii, de qua hic datur explicatio. Percurrat criticus sancti Augustini sermones, et in similia sæpius incidet. Cur autem

voces quædam italicis fuerint distinctæ non satis capere potui, unde fit ut de iis sileam.

Nulla circa Sermonem XXIV seria proponitur objectio. Adducitur solummodo aliqua paulum intricata sententia, quam intricatam magis, sublata virgula, criticus effecit, unde lepide admodum dicit: « Nostri lectores sibi videbuntur audivisse ancillam loquentem puerulo quæ manu ducit. » Sed aliquando magnus orator ita simplex esse potest, ut iisdem verbis utatur ac ancilla puerulo loquens, juxta sancti Apostoli verbum: *Facti sumus parvuli in medio vestrum, tanquam si nutrix foveat filios suos* (1); et iterum declarat se locutum fuisse Corinthiis *tanquam parvulis in Christo*, dato lacte, non esca (2). Sed si attentius consideres, nihil puerile in oratoris sermone deprehendes. Scopus ejus est ostendendi Discipulos Christi corpus non potuisse surripere; unde sepulcri naturam exponit. « Sepulcrum erat in petra durissima excisum; in petra durissima, quæ nullam habet molliem, qua facultas detur Discipulis cavernas fodendi; hinc « Scriptum est quoniam in isto sepulcro nullus ante sit positus, sed novum sepulcrum erat. » Unde concludit « Manifestum esse secundum litteram, quod sepulcrum istud factum est, » nempe hominum manu, « et propterea, » ita sane *propterea*, ut suffodi non posset, « in petra excisum est. » Prosequitur autem cum parenthesi dicens: « (debemus enim primum secundum litteram dicere,) » resumensque interrupta, sententiamque præcedentem, ut fortius affirmetur, replicans, « et in du-

(1) 1 Thess. ii, 7. — (2) 1 Cor. iii, 1, 2.

» rissimo lapide fuerat excisum.» Quo dicto, cætera quæ surreptionem impossibilem reddebant superadjicit, grandem lapidem, custodiam militum etc., quod simplicius etiam explicabitur, si supponatur parenthesis non desinere nisi post verba *in novo sepulero positus est*, ut legenti patebit. Est-ne autem una phrasis, quæ tam facile exponi potest, ratio quæ sufficiat ad repudiandum integrum sermonem, qui nomen Augustini in veteribus profert codicibus?

Sermo XXV non propter contextum rejicitur, sed solum ex inspectione argumenti. Ibi enim Mariæ Magdalene fides comparatur cum fide Petri, Ecclesiæ et Apostolorum, et tanquam nobili præmio, visione Christi gaudere meretur. Unde sine ullo examine concludit ejusmodi sermonis non desideranda esse excerpta. Cur porro? hoc explanare criticus non dignatur, nec videt comparisonem Mariæ Magdalene cum Ecclesia maxime Augustini ingenio competere, qui in idem argumentum sæpius abundavit. Ergo nihil utile dici potest de Maria ita collata cum Apostolis, ut ostendatur mulierem viris cedentibus fidem perstitisse, eamque esse fidei mercedem, ut ad Dei visionem perveniat. Quod autem attinet ad vocem *aliquanti*, fatendum est nihil grave posse objici, cum tam parva objiciantur. Cicero dixit *aliquam multi*, et Augustinus dicere non potuit *aliquanti*, cum *aliquantus* reperiatur apud Suetonium, et in cunctis dictionariis interpretetur eo sensu, ut indicet *parvum numerum*. Melius certe fecisset criticus si animadvertisset in secundi numeri fine errore typographico scriptum fuisse *comparare pro comparari*.

Non erravimus sermonem XXVI, velut pulcherrimum laudando; manum enim prudentis doctique viri indigitat, licet quædam scribentis menda potuerint irrepere, quæ satis corrigere non valuimus, cum unicus adesset codex. Miratur primum criticus oratorem per quinque sectiones loqui de unguentis, additque Augustinum *nunquam exhausisse orationis imaginem non ex re ipsa necessario fluentem*. Et hoc quidem libenter fateor; sed fateatur adversarius necesse est, se non attendisse concionatoris scopum. Recitata fuerat lectio Evangelii, qua dicuntur sanctæ mulieres venisse ad sepulcrum Christi cum unguentis; hinc ansam arripit exponendi quid ista significant unguenta. Non adest hic *orationis imago*, sed adest ipsum argumentum. Hinc doctrinam prosequitur *ex re ipsa necessario fluentem*, et hoc unum ex objectione concludi potest, adversarium nostrum errasse circa ipsum orationis, quam citius percurrit, fundamentum. Nullus autem in lingua latina versatus repudiabit velut barbara hæc verba *summa sollicitudinis cautio*. Exclamet deinde, quantum voluerit adversarius, ex eo quod verbum *inferre* ponatur cum præpositione *in* et *ablativo*; exclamatio ista hoc solummodo ex dictis indigitat illum parvam habere linguæ latinæ notitiam. — Si autem objiciat hanc sententiam: *Quid eis in Christi mortem, non vitam oleat?* Duo responsa possum afferre, primo quidem huc irrepsisse mendam scriptoris, quod facillimum est ex dictis circa *m* finalem, deinde vero hanc loquendi licentiam optime excusari ex hac jam laudata Ciceronis phrasi: *Esse in amicitiam populi*

Romani. — Criticus autem semper infelix est in corrigendis mendis, aut in reprehendendis nostris correctionibus, ut videtur ex hac clausula: « Quidquid (legendum » videtur *si quid*, non *adest* cum Editoribus). » Graviter enim erravit tribuendo voci *quidquid* nostram correctionem, quæ tribui debet voci *adhuc* proxime sequenti; hinc credidimus legendum esse *quidquid adest* pro *quidquid adhuc*, unde planus exit sensus, qui nullo modo planus est ponendo *si quid adhuc*. — Ciceroniana loquela est ista *verborum iteratio*, et prave vituperatur. — Bene dicitur Christum per suam resurrectionem nostræ resurrectioni *locum præbuisse*. — *Media* autem *file* vivere dicuntur, qui dimidiatam solummodo fidem habent, nec quidem male. — *Enumerandæ reliquæ species sunt magis quam suffragiis suis prosequendæ*, id est, quam prosequendæ ex iis dotibus quæ ipsis suffragantur. — Si vox *participium* ad jus attinet, non video cur ab Augustino non potuerit usurpari, qui foro sæpius interfuerat, eodem modo quo adhibet verba ad astronomiam, grammaticam et medicinam pertinentia. — Ultima objectio de inferis vana est et ridicula, cum tota difficultas in eo consistat quod verbum *inferi* apud Augustinum, sicut et in Scriptura, secundum duas significationes accipiatur, nempe prout indicant mortuorum etiam sanctorum domicilium, et prout indignant locum damnatis ad supplicia preparatum. Ergo aut erraverunt Apostoli in symbolo, cum dixerunt de Christo, *descendit ad inferos*, ad visitanda videlicet filiorum animas, aut symbolo Apostolorum non credidit Augustinus! sed

satis superque se explicat sanctus Doctor, cum dicit *tantæ beatitudinis sinum non esse quamdam partem et quasi membrum inferorum*, in quibus tormentis cruciabantur reprobi; cui non contradicit Sermo noster, qui loquens de inferioribus partibus terræ, apud symbolum vocatis *inferis*, dicit animas piorum in inferioribus terræ partibus fuisse, sed non in loco malis damnatisque reservato.

Sermonem XXVII pulcherrimum esse, ut in argumento diximus, nemo est qui post ejus lectionem negare queat. Nec nocet, quod propter codicis defectum una adducatur phrasis, in qua aliquid deesse videtur. Sanare textum ausi non sumus, quia temeritatis notam timebamus incurrere. Si autem tali metu non laborassemus, sic legendam hanc proposuissemus sententiam: « Resurrexit ergo (et quidem bona est hæc consecutio cogitationem scribentis dicentisve intelligenti; phrasis enim præcedens est explicativa vocis *illuxit*, et conclusio quæ fit per *ergo* cadit in primam sermonis sententiam, ut facillime lector intelliget); « resurrexit ergo Christus in carne eadem, » ut idem esse ipse qui fuerat crederetur; nec se alieno » corpore rursus induit, sed ut nos in carne resurgere ostenderet, in eadem resurrexit. » Optima quidem lectio, sed quæ a codice parumper discedit, sæpius aliunde corrupto. Corrigatur igitur textus, si placet; si vero non placet, sententiam a scriptore corruptam esse asseratur, sed non inde totus rejiciatur sermo, quod iniquissimum foret. — *Particeps electorum*, duplici modo potest intelligi, et quidem legitime, id est, *particeps cum*

electis, seu potius *particeps bonorum electorum*; electa enim quæque dabuntur electis. — Latinitati alienus sane videretur, qui non sciret comparativum sæpe adhiberi pro positivo, ut major vis detur dictioni. — Caro non inepte dicitur *materies et origo mortuorum*; cur enim moriantur homines, nisi quia caro sunt? — Quoad verbum *præ lateribus* nihil est quod criticæ ansam præstet; dicit enim orator ex omnibus terris fictilibus, terram quæ fingitur in carnem, simulacrum esse perfectissimum divinitatis. Quid hic ineptum sit non video. Alia enim simulacra quæ fiunt per coctionem terræ, non possunt ita effingere Dei speciem, sicut caro humana. — Comparatio autem qua *alternantur* (et hæc vox latinissima est) *merita carnis et animæ*, quantum ad cogitandi et dicendi modum, digna est Augustini ingenio. Nec capere possum cur cum puncto exclamationis derideatur *carnis encomium*! dicaturque *spiritualia tantopere occupasse sanctum Augustinum, ut otium non habuerit scribendi carnis encomia*, cum inter præcipua antiquitatis christianæ monumenta ponendum sit sublime quod cecinit Tertullianus *Carnis encomium*, in quo hæc pulcherrima legere dantur: « Quem » naturæ usum, quem mundi fructum, quem elementorum saporem, non per carnem anima depascitur? » Quidni? Per quam omni instrumento sensuum fulta » est, visu, auditu, gustu, odoratu, contactu; per » quam divina potestate respersa est, nihil non sermone » perficiens, vel tacite præmisso: et sermo enim de organo carnis est; artes per carnem; studia, ingenia per

» carnem; opera, negotia, officia per carnem; atque » adeo totum vivere animæ carnis est... Et hæc quidem » velut de publica forma humanæ conditionis in suffragium carni procuraverim. Videamus nunc de propria » etiam christiani nominis forma, quanta huic substantiæ » frivolæ ac sordidæ, apud Deum prærogativa sit; etsi » sufficeret illi, quod nulla omnino anima possit adipisci, » nisi dum est in carne crediderit: adeo caro salutis est » cardo. Denique cum anima Deo allegitur, ipsa est quæ » efficit ut anima allegi possit. Scilicet caro abluitur, ut » anima emaculetur; caro ungitur, ut anima consecretur; » caro signatur, ut et anima muniatur; caro manûs impositione adumbratur, ut et anima spiritu illuminetur; » caro corpore et sanguine Christi vescitur, ut et anima » de Deo sagiuetur; non possunt ergo separari in mercede, » quos opera conjungit. Nam et sacrificia Deo grata, » conflictationes dico animæ, jejunia, et seras et aridas » escas, et appendices hujus officii sordes, caro de proprio suo incommodo instaurat. Virginitas quoque et » viduitas, et modesta in occulto matrimonii dissimulatione, et una notitia ejus, de bonis carnis Deo adolentur, » Age jam, quid de ea sentis, cum pro nominis fide in » medium extracta, et odio publico exposita decertat? » cum in carceribus maceratur, teterrimo lucis exilio, » penuria mundi, squalore, pædore, contumelia victus; » ne somno quidem libera; quippe ipsis quoque cubilibus vincta, ipsisque stramentis lancinata: cum jam et » in luce omni tormentorum machinatione laniatur, cum » denique suppliciis erogatur, enisa reddere Christo vid.

» cem, moriendo pro ipso, et quidem per eandem cru-
 » cem sæpe, nedum per atrociora quæque ingenia pœna-
 » rum? Næ illa beatissima et gloriosissima, quæ potest
 » apud Christum Dominum parere debito tanto, ut hoc
 » solum debeat ei, quod ei debere desierit, hoc magis
 » vincita quod absoluta. Igitur ut retexam, quam Deus
 » manibus suis ad imaginem Dei struxit, quam de suo
 » flatu ad similitudinem suæ vivacitatis animavit, quam
 » incolatui, fructui, dominatui totius suæ operationis
 » præposuit, quam sacramentis suis disciplinisque vesti-
 » vit; cujus munditias amat, cujus castigationes probat,
 » cujus passiones sibi appreciat: hæccine non resurget,
 » toties Dei? Absit, absit, ut Deus manuum suarum
 » operam, ingenii sui curam, afflatus sui vaginam, moli-
 » tionis suæ reginam, liberalitatis suæ hæredem, religio-
 » nis suæ sacerdotem, testimonii sui militem, Christi sui
 » sororem, in æternum destituat interitum (1).» Quam
 admirabile carnis encomium! Tertullianus certe non habe-
 bat otium carnis encomia scribendi; ad eum sublimes
 illæ non pertinent sententiæ. Plura sunt dura et intricata;
 barbara multa, quæ mediæ ævi ineptias sapiunt; Ter-
 tullianus, qui optimis vivebat latinitatis temporibus non
 usus fuisset verbis istis quæ apud Tullium aut Quintilia-
 num non leguntur, *potestate respersa, allegitur, con-
 tumelia victus, similitudo vivacitatis, passiones ap-
 preciat*, etc... Quis autem nescit meliori latinitatis tem-
 pore vixisse Tertullianum quam Augustinum? Sed de eo
 argumento satis.

(1) Tertull. de Resurrectione carnis, n. 8, 9.

Circa Sermonem XXVIII nihil respondendum, quia
 nihil serio objectum. Vox *fanaticus* duos sensus habet,
 et quidem legitimos; sanctus Augustinus adhibuit hanc
 vocem alicubi in unum sensum; ergo non potuit in alte-
 rum adhibere. Stupendum argumentum! — Dicitur
 Christus fixus fuisse *patibulo*; verbum *patibulo* nimis
 ignominiosum critico videtur, quasi Christus non omnem
 voluerit amplecti ignominia speciem. Non ita senserunt
 Benedictini, qui sic dixerunt in versione sancti Chrysos-
 tomi: «Hodie Pascha nostrum immolatus est Christus.
 » Ubi, quæso, immolatus? in excelso *patibulo* (1)? »

Sermonem XXIX conflatum esse ex diversis sancti Au-
 gustini sententiis diximus, nec magno indiguit labore
 criticus, ut hoc inveniret, quod ipsi indicavimus. Non
 tamen eum sermonem prætermittere voluimus, quia in
 pluribus discrepat, ut legenti patebit. Si ergo discrepet
 in pluribus, non inutiliter profertur, nec *impudentis-
 sime* descriptus est. Placet autem adversario nostro mo-
 desta illa et exquisita dicendi urbanitas, cui non urbani-
 tate simili respondebimus.

Sermo XXX philosopho scholastico a critico videtur
 tribuendus, quia circa præscripta juris loquitur; sed
 abunde hanc objectionem *dissolvimus*, annotando jam
 antea nihil ob stare quin Augustinus in juventute juris-
 consultus, plura de juris stylo fuerit mutuatus; *dissol-
 vimus* autem dico, quia latinissima est dicitio, quæ,
 nescio quare apud oratorem reprehenditur, quod et de
 verbo *solet* possum affirmare. Adversarius autem noster

(1) Homil. de Cruce et Lat. n. 1.

non acutum habet in interpretando ingenium, qui nulum perspicit sensum in his verbis: « Non parva quaestio apud hoc orantes. » Tollat dictionarium aliquod latinum, et inveniet, *orare*, instanter petere (*demandar aveo instance*); hinc magna est quaestio apud eos, qui hoc instanter petunt, quaerunt, de hoc instanter interrogant. Intelligisne, quae sine sensu credebas proferri? Unum est quod bene annotasti, et quod libenter corrigam, nempe verbum *potuit*, pro quo melius legeretur *potuerit*; quod a scribis erratum emendes, si volueris.

Sermo XXXI nihil commune habet cum Sermonibus XXVIII et XXX, nisi argumentum; et certe quando aliquis de uno mysterio disserit, non potest aliud argumentum assumere, nisi hoc ipsummet mysterium. Parco autem lectori, consuetas non referens barbariei incusationes, quibus nihil proficitur. Et certe verba *confirmant, disposite, credulitas, annualiter, novatio* Ciceroniana sunt. Vox *erevit*, pro qua positum est inter parenthesim verbum (*caruit*), sic a nobis in nota corrigenda indicatur, quod innuere criticus debuerat; tria tantum, perverse scripta, sunt emendanda, ita ut legatur *patri pro patris, frangerent pro frangerint, et mortuum pro mortuus*. Sed his correctis, quid obijciendum superest? *Heresim*, dicis. *Heresim!* Proh nefas! et quae precor? Caro Christi dicitur *caro peccatrix*. Sed legas attentius. *Caro peccatrix* in duobus Adam mortua est, *caro* vere *peccatrix* in Adam primo, *caro* apparenter *peccatrix* in secundo Adam; quod non minus bene dici hic potuit ac in hoc sancti Pauli effato, *pro nobis Pecca-*

tum fecit (1). Et illud admittas necesse est, cum subito ab oratore addatur: « Cujus vitae meruit *caro sacra* suffigi. » Audisti-ne verba haec peremptoria: *caro* quae pro nobis fuit crucifixa, erat *caro sacra*, non *caro peccatrix*. Caro Adae peccatrix a Christo fuit ad vitam revocata, confixa cruci hac *carne sacra*, quae *peccatricis carnis* effigiem assumpserat. Ubi, quaeso, imperitia? est-ne in scribente, an in interpretante, et quidem perperam intelligente?

Circa Sermonem XXXII, plura prave reprehenduntur, alia vero, licet aliquam rationis speciem praeseferant, facillime explicantur. Prave reprehenduntur, particula *vel* quae legitimum dat sensum, cum Paschae festivitas sit festivitas fidei nostrae; verba *sanctae Paschae*, cum dicatur aequae *Pascha, Paschae*, fem., aut *Pascha, Paschatis*, neut.; vox *credendum*, quae optime sonat; haec phrasis *nihil pollutionis inquinamentum*, cum hoc codicis mendum sit correctum in inferiori paginae margine cum hac notula: *nihil pro nullum*, etc. Magna autem, sed prorsus inanis objectio deducitur ex dicto *earnuta majestas*, cum evidentia sit evidentius praepositionem *in* a scriptore fuisse praetermissam; item et ex voce *areulis* quae legitur in codice, aut *calculis* quam corrigendo proposuimus; nam *arcula*, vox deducta ex *arca*, est Tulliana, et in omnibus dictionariis reperitur, licet illam criticus non invenerit apud ipsum Ducangium; vox autem *calculus* ab omnibus cognoscitur, et indicat illos lapides, qui adhibebantur ad dandam sententiam,

(1) 2 Cor. v, 21.

unde *calculi grammaticorum* idem sunt ac grammaticorum opiniones; alterutram ergo eligat adversarius, per me licet, quanquam serius attendendo me poeniteat ad ductæ correctionis, et magis mihi irrideat codicis lectio. Non autem me verbi *posset*, quod corrigendo adhibui, pariter poenitet, quia legitimum est, et non arguitur ab adversario velut a grammaticis reprobatum, nisi quia hîc iterum, ut sæpius, sensum auctoris non perspexit. Si enim servaretur *possit*, dicendum esset *nullus est intellectus qui possit*, vel aliter legendum est, *Nullus intellectus posset*. Frustra autem objicitur in aliis sermonibus sanctum Augustinum non fuisse locutum contra Paganismi errores. Quid enim absurdius quam istud ratiocinium: Sanctus Augustinus non locutus est de hoc argumento in iis qui supersunt sermonibus; ergo nunquam de hoc locutus est argumento. Non sufficit asserere sanctum Augustinum alibi hoc argumentum non tractasse, sed oportet demonstrare eum de hoc argumento loqui nec debuisse, nec potuisse; quod certe nunquam astruet criticus. Falso insuper affirmatur expilari in sect. 3 sermonem IX ex Tractatu in quinque hæreses eductum, cum similis tantum cogitatio, et quidem sancto Augustino dignissima evolvatur, sed aliis verbis. Puerilitatis insimulatur comparatio deprompta ex arbore quæ radiis solis collustrata securi inciditur, quin solis radius violatur. Sed talis comparatio non modo non puerilis, sed pulcherrima, et sanctis Doctoribus minime extranea nobis aliisque videbitur. Vox *infulget* durior est, sed

quot duriora verba apud Tertullianum ipsumque Augustinum, ut supra annotavimus?

Legi objectiones adversus Sermonem XXXIII excogitatas, ipsum autem sermonem postea perlegi; nihil mihi barbari, nihil inordinati obviam factum est; cumque nulla præcipua astruatur aggressio, sed citatis quibusdam, gratis solummodo asseratur vanam ibi adesse declamationem, quod gratis asseritur, gratis nego. Hoc tantum indigitavero verbum *inchoationis*, et *sub occasione*, quæ italicis distinguuntur, non ita repugnare Augustinianæ latinitati, ut inde respuendus sit sermo aliunde commendandus, cum præsertim nemo est qui nesciat sæpe inveniri apud Latinos scriptores verba *sub obtentu*, quæ huic prorsus dictioni *sub occasione* conveniunt. Mysticæ autem expositiones quæ subnectuntur ita Augustinum sapiunt, ut hinc ansa illas beato Doctori tribuendi, non abjudicandi, detur.

Ita infirma sunt argumenta quibus impugnatur Sermo XXXIV, ut eorum confutationem libenter prætermissemus, nisi timuissemus ne ex hoc concluderetur nos objecta diluere nequivisse. Orator neophytis locuturus de sacramentis, dicit se magnum pondus assumere, sed tamen non posse deserere rudimenta *infantis ignorantie*. Hoc repugnantia includere critico videtur, qui probabiliter nescit nihil gravius esse quam loqui de mysteriis, præcipue cum simpliciter explicanda sunt ignaris; magna enim requiritur scientia ad rudes catechizandos, ut ipse testis est Augustinus celebri illo volumine quod edidit de Catechizandis rudibus. *Vanas phrases* non

propugnandas suscipio, cum sexcentæ possint deprehendi in veris sancti Augustini sermonibus, quibus affligi posset a critico hæc exclamatio gratuita: *Vanæ phruses!* Sed ex eo quod alibi sanctus Augustinus non distinxit inter *panem vivum* et *panem vitæ*, non possum adduci ut concludam sermonem sancto Doctori non esse adjudicandum. Licet enim aliquando easdem refricet sententias, aliquando tamen varias excogitat et evolvit explicationes. Advertat autem lector quam difficile critico satisfaciat; si sententiæ in sermonibus nostris adductæ similes sunt Augustinianis cogitationibus, scriptor est impudens falsarius, qui susceptas beati Doctoris sententias amplificat; si non dissimiles, sed variæ occurrant, non sunt beato Doctori tribuendæ. Quis in his ratiociniis non videat præmeditatum omnia in malam partem assumendi consilium. *Displicet* et illi verbum *displicere*, nec magis illi *placere* videtur vox *placet*. Cur autem? non prorsus intelligo. Si autem ut ridiculum oratorem traducere voluit postposita cum puncto exclamationis voce *displicentia*, non feliciter illam ut ridiculam adduxit, utpote quæ latinissima sit et a Seneca usurpata. Non locutus esset sanctus Augustinus *de displicentia*, quando de mysteriis agitur. Ergo mysteria non *displicebant* Judæis, cum prænuntiato Eucharistiæ sacramento omnes Christum derelinquebant, qui Discipulis dicebat: *Numquid et vos vultis abire* (1)? *Displicentia* qua loquitur Augustinus non est sua, sed impiorum malorumve Christianorum, quam confutare bene facit, sicut et quotidie faciunt

(1) Joau. vi, 68.

Christiani prædicatores. Nihil barbari sonant allata ultima verba, sed aliquid perfiditatis præ se ferunt ex parte objicientis, qui non annotavit citatam sententiam defectuosam esse in codice, et in nota emendatam. Cum denique grana vi ignis in panem conflentur, non condemnari potest vox *folles*, siquidem follibus ignis accenditur.

Brevior est Sermo XXXV, et ideo diximus illum videri extemporaneam allocutionem a notariis parum fideliter excerptam. Hinc procedit sane verbum *concupiscite*, quod positum pro *concupiscatis* annotavimus. Sed criticus mendum posuit, correctionem nequaquam, ut sane crederetur hoc mendum editorum esse, sicut et notarii. Cum nomen *neophyti* non sit ab Augustino alienum, male ex hoc concluderetur sermonem hunc illi esse adjudicandum; utroque enim alibi usus, potuit et ibi alterutro pariter uti. Non raro invenitur in ipso Augustino *tantum* pro *tanto*, quamvis modus sequatur comparativus. Irridet autem adversarius noster *lacteam infantiam lactatam per simplicitatem*; quæ quidem irrisio, utrum cum vero consentiat, ex ipsis oratoris verbis legenti patebit. Sic autem dicta concludit: « Dum ergo duo genera lactis sunt, » ut videtis, unum carnale, aliud rationale; carnale, illud » quo aluntur infantes pueri; rationale, quo aluntur infantes viri; vos utrumque estis, dilectissimi, et infantes » pariter et viri; infantes, per novam nativitatem; viri, » per ætatem atque rationem. Tenete ergo lacteam semper » infantiam per simplicitatem, virilitatem per fidem; ut » quia munus sacrum atque doctrinam, lac rationale, nunc » sumitis, faciat vos esse semper et infantes innocens vita,

» et viros ratio perfecta. » Inde lector poterit judicare ,
quam facile sit , truncata offerendo verba , pulchras in
ridiculum tenorem reducere sententias.

Quanto magis examinandis refutandisque critici ar-
gumentis incumbimus , tanto minus nos possumus cohi-
bere , quin ejus vel perfidiam , vel cæcitatem admiremur.
Expungendus est , ipsius judicio , sermo XXXVI , quia
prorsus inutilis est , nec dici potest quo fine fuerit pro-
nuntiatus. Et quare ? quia nihil est quod ad confirman-
dos aut corrigendos auditorum animos conferre queat.
De quo autem ibi agitur ? ipse enarrat , argumentum
rescribens velut inane. Quid autem illud exhibet argu-
mentum ? Jonam fuisse figuram Christi morientis , Christi
sepulti , Christi resurgentis. Ergo inaniter loquitur orator ,
qui adimpletas Veteris Testamenti figuras in Christo os-
tendit. O stupendum ratiocinium , quo damnantur om-
nes simul religionis defensores , sive antiqui , sive recen-
tes ! o quam sæpe ego Christianus orator inaniter locutus
sum quando ex cathedra evolvens figurarum veterum
mysteria , fidelium *animos confirmare* mihi propone-
bam ! Noli , Augustine , ut sæpius fecisti , Christum cum
veteribus Patriarchis comparare , quia post tanta sæcula
inanis dissertator audies. Si ita loqueris , ostendes *audi-
torum salutem* tibi nullo modo *curæ cordique fuisse*.
Non autem iterum critico perfidiam exprobrabo , vocem
unam , nempe *qui* , italicis distinguendo , cum in notis
correcta sit , quanquam et defendi facile possit ; et argu-
mentum deducendo ex duobus verbis , quæ et puncto
exclamationis digna reputat , cum nihil aliud sint quam

notarii menda , quæ facillime corrigi potuissent , si co-
dicem sæpe deficientem ex integro servare noluerimus ,
aliqua sagacitati legentium dimittentes. Si autem corri-
gendi studio nimis indulgere voluissemus , potuissemus ,
et quidem merito , indigitare , notarium facili errore po-
suisse *tamen pro autem* , quæ sæpius in manuscriptis
commutantur , et *multa pro antea* , quæ ita forma similia
sunt , ut unum pro altero non raro assumantur. Sed ad
fidem promerendam maxima debebatur codicibus vene-
ratio , textusque integer , prout legebatur , exponendus
erat , nisi corrigendi ineluctabilis urgeret necessitas. Licet
autem vox *prædicta* minus exacta sit , tamen excusari
potest in oratore extemporaneam habente concionem ,
præsertim cum actiones sint voces quædam , quibus oc-
casionibus sensibus submituntur ; unde duplex distingui
potest prædicationis genus , unum per oris , alterum per
operis vocem.

Sermonem XXXVII cum solita perfidia impugnat ad-
versarius , qui primo confiteri debuisset hunc sermonem
non a nobis proferri nisi dubitando , cum sic dicamus
in argumento : « Utrum parva styli duritas , et illa va-
» riorum exordiorum similitudo sufficiat ad rejiciendam
» codicis antiqui et authentici auctoritatem lector videat ; »
quanquam postea addere operæ pretium duximus : « Ego
» nec rejiciendum credo , nec audeo rejicere , cum stylus
» divi Augustini aliquando durus evadat , et orator Chris-
» tianus sæpius atque ex abrupto loquens , idem exordium
» bis aut etiam ter usurpare potuerit. » Quod autem du-
rior sit aliquando divi Augustini stylus , non ego solum

animadvertere præsumpsi, sed ita ante me scripsit, nemine reclamante, Feller in suo Dictionario: « On re-
 » marque dans tous ses écrits (de saint Augustin) un
 » génie vaste, un esprit pénétrant, une mémoire heu-
 » reuse, une force de raisonnement admirable, un style
 » énergique, malgré les mots *impropres* et *barbares*
 » dont il se sert quelquefois. *Les pointes et les jeux de*
 » *mots* dont il est semé, surtout *dans ses homélies*, ont
 » fait sentir *combien il était au-dessous des autres Pères*
 » *pour l'éloquence*. Il s'arrête sur des *détails de peu*
 » *de conséquence*, comme de nombres et des me-
 » sures, etc... Il est admirable dans quelques morceaux
 » particuliers, mais il *fatigue par ses antithèses*, quand
 » on le lit *de suite*. » Nota, quæso, Feller divo Augustino omnia exprobrare, quæ tu exprobras novis ejus sermonibus; unde fit ut tuas ipsas exprobrationes in authenticitatis argumenta convertantur. — Sed promittit in principio sermonis probationes resurrectionis, quas postea non affert. Quid inde? ex hoc ad summum conclude integrum sermonem ad nos non pervenisse, et quod a nobis editum est nihil esse nisi fragmentum. — Sed in festis Paschalibus ad exprobrationem Judæorum convertitur. Et bene quidem; nam hic erat veterum mos in diebus Paschalibus de Passione a Judæis crudeliter et irreligiose patrata disserere. — Sed præpositio *in* bis contra regulas ponitur. Mortui resurgentes dicuntur apparuisse multis *in civitatem*. Velles ergo quod orator dixisset *in civitate*; non ergo motus erat in iis qui ex tumulis in civitatem pergebant? Christi autem divinitas

descendisse *in inferno*; velles sane *in infernum*. At dicta superius revise, et tacere cogeris; quanquam et hic te rogare cupio, ut mihi dicas utrum opus *de Civitate Dei* sancto Augustino abjudicare contendas, quia sic ibi legitur: « Michæas propheta Christum *in figura* ponens » magni cujusdam montis, etc. (1). » — Sed *barbare* dicit *futura æterna monumenta*. Si intellexisses, non hanc emisisses incusationem. Tibi, data clave, sensum aperiam. Sic enim construenda est sententia: « Hæc anniversary vota celebramus, ut maneant monumenta » æterna, deinceps futura usque ad consummationem » sæculi. » — Sed *barbarius* dicit, quod tarditas pigra » lentescere (*active!*) posset, etc. » Et ego adhibito rursus admirationis puncto, in hanc exclamationem erumpo: Sic ergo latinum intelligis! sic ergo ab auctoris sensu continuo aberras! Non ita, charissime, non ita; verbum *lentescere* non *active* assumitur, sed *neutraliter*. Audi sensum, et errorem agnoscens, erubescce. *Quod* non est pronomen relativum, sed est conjunctio quæ cum accentu gravi *quod* significat *quia*; non est accentus, quia nostra editio, sicut et tua, accentus nullos habet; in quos, sicut et tu, Benedictinorum cæterorumque veterum editorum morem secuti sumus. Sic ergo se habet sententia: « *Quod*, id est *quia*, tarditas vestra posset esse *lentior* (seu quod idem est *lentescere*), ideo per totam terram vestrum scelus nox de medio diei jussa est nuntiari. » — Sed in eadem phrasi alternantur voces *tu*, *vos*, *tui*, *vestri*, etc. Quid probat hæc diversitas, nisi

(1) Augustin. de Civ. Dei lib. xviii, cap. xxx, n. 1.

aut errasse oratorem ex tempore loquentem, quod ex abrupto loquentibus quotidie accidit, aut scribendo male accepisse notarium? — Sed dicitur *barbarissime platealis viator, algis halecibus aut habenibus*, etc. At media in pagina habes fatales litteras (*sic*), quæ indicant hic deficere codicem, et absurditates, si quæ sint, scriptori esse ascribendas, non oratori.

Ad Sermonem XXXVIII eadem recurrunt rationes, quæ datæ sunt circa sermonem præcedentem. Quædam quadrant cum sermone appendicis Benedictini 157, cætera differunt. Quæ ad hunc sermonem accedunt, non magis peccant contra numerum phrasium, quam versio Benedictina. Contrarium posset defendi. Numerus enim melius reperitur in duobus adverbis, quorum prius deest in editis: «Nec prædicare magnifice, nec memoriter enumerare prævaleo.» Diademata autem, zonas, calceamenta, *species* esse ornamentorum quis dubitet nescio, et cur impugnetur hæc dictio prorsus admiror. Cum autem criticus vocem *consistorium* italicis quasi ridiculam distinguat, illum certe nec ipsam Scripturam legisse crediderim, cum in libro Esther de Assuero dicatur: *Ille sedebat super solium suum in consistorio palatii* (1).

Si tam docto critico fides adhibeatur, Sermo XXXIX expungendus est, utpote qui ludicra et hæretica complectatur. Et primo integrum adducitur argumentum, non ut ostendatur vanas esse res quæ tractandæ indigentur, sed ut concludatur sanctum Augustinum non po-

(1) Esth. v. 1.

tuisse tam brevem sermonem edere circa res tanti momenti. Morosus est iste, et cui difficillime satisfiat; si grave est argumentum, vel si leve, pariter illum murmurantem audies. Consilium inelamandi suscepit, et consilio fidelis usque in finem perseverat. Quæ autem sint ludicra videamus. Judæis crudelitas exprobratur; ludicrum est. Cohors Judæorum vocatur *cohors infamie*; ludicrum est. *Alapis pollutis* cæsa dicitur Salvatoris facies; ludicrum est; *alape pollutæ* quid sunt? Et apud Hieronymum quid est hoc quod dicitur contra Vigilantium de reliquiis Martyrum: «Favilla nescio quæ jacet linteamine» convoluta, ut polluta omnia polluat, etc. (1)? «*Favilla polluta* quid est? Manus et pedes ejus, infixione clavorum, ligno damnantur; ludicrum est. Nox in terram extenditur, Judæorum crimina involvens, dum inferi luce ingressa ad eos recreantur; ludicrum est. Omnia illi ludicra sunt, sive turpia, sive insana, sive crudelia, sive læta. Sed ad graviores hæresis incusationem attendamus; sic apud oratorem legitur: «Postquam Deum (Judæi)» expulstis ex homine, scelus vestrum clamat in cruce, et «pœnas vestras caro coepit agnoscere, postquam se Deus» jussit exire.» Ergo, dicit adversarius, divinitas exivit ex humanitate, ut caro tormenta sentiret. Sed revoces in memoriam, precor, quæ de interpretatione sanctorum Patrum traduntur regulæ. Quando verba legitimum possunt sensum assumere, et aliunde certo cognoscitur aliis ejusdem auctoris sermonibus eum recte de fide cogitasse, æquitas et ratio postulant, ut verba objecta in bonam

(1) Hieron. Epist. xxxvii.

partem convertantur. Porro certum est sanctum Augustinum ea de re bene sensit, ut patet ex aliis ejus scriptis, nec minus certum est auctorem ipsius sermonis eosdem sensus habuisse. Idem enim, qui hunc sermonem emisit, edidit et sermonem xxxvii, ut legentibus utrumque facile patebit. Hic autem suam magis evolvens sententiam ita loquitur: « Non hic sensus humanus nec Christianus » fallitur animus; *non a Patre relinquitur Filius*; sed » ideo dictum est: *Deus meus, quare dereliquisti me?* » ut ostenderetur quia corporalibus pœnis non tangitur » Deus. » Restat igitur ut hoc unum demonstremus, nempe sententiam scriptoris posse ad legitimam reduci significationem. Nihil autem facilius, si velis intelligere *Deum expulsus fuisse*, quoad specialem assistentiam, et pariter quoad specialem assistentiam *exivisse*, non quoad actualem et realem præsentiam. Sic autem hæc verba interpretanda esse ex eo manifestum est, quod et pariter interpretanda sunt ipsa Scripturæ verba. Si enim Christus exclamat: *Deus meus, quare me dereliquisti?* dicit se derelictum non modo absoluto, sed solum quantum attinet ad specialem assistentiam. Forte autem et hoc ad rebellem convincendam mentem non sufficit. Audi ergo Ambrosium fortiora multo et duriora exponentem: « *Clamans*, inquit, (Christus) *voce magna ex-* » *piravit*. In quo vel professio gloriosa usque ad mortem » se pro nostris descendisse peccatis..., vel evidens manifestatio contestantis Dei *secessionem divinitatis et corporis*. Sic enim habes: *Deus, Deus meus, quare me* » *dereliquisti?* Clamavit homo divinitatis separatione

» *moriturus*. Nam cum divinitas mortis libera sit, utique » mors esse non poterat, nisi *vita discederet* (1). » Quid de iis censes verbis? Num abjudicabis sancto Ambrosio expositionem in sanctum Lucam, contra Benedictinorum auctoritatem? vel Ambrosium hæresi infectum declarabis? Una notula totam explanant difficultatem docti editores his verbis concepta: « Respondent P. Lombardus » et sanctus Thomas recessisse divinitatem, quod ad effectum, id est protectionem subtraxisse; etenim *si non cohibuisset potentiam*, inquit ille, sed exercuisset, » non moreretur Christus. » Discat ergo criticus hæresis labem non tam facile veterum scriptis esse infligendam.

Sermonem XL impugnare prorsus non est ausus, licet illum prorsus admittere noluerit. Positiva requireret argumenta, quasi veteris codicis auctoritas non argumenti vim positivam haberet.

Sermonem XLI Cæsarium sine ulla probatione sapere dicitur; hinc nihil serio objicienti, nihil respondendum.

Idem et de XLII sermone dicendum, qui, licet duobus in codicibus antiquis sancto Augustino tributus, rejiciendus videtur, quia Augustinianæ sublimitati critico videtur multo inferior.

Sermo XLIII de die Pentecostes loquax dicitur et nugatorius, alleganturque in dicti probationem multæ sententiæ, quæ nihil nugatorii, nihil loquacitatis præ se ferunt. Criticum verbis citatis assertionem suam confutare voluisse credideris. Quatuor voces italicis distinxit; cur autem fecerit, assequi minime potuimus.

(1) S. Ambr. exposit. Evangel. sec. Luc. lib. x. n. 127.

Sermonem XLIV, qui nobis visus est supplementum quoddam sermonis 167 appendicis Maurinensis, ideo admisimus quod in codicibus Florentino et Cassinensi reperitur cum nomine sancti Augustini, et aliunde sermo 167 appendicis a Benedictinis expunctus est ex authenticorum catalogo, nulla solida allata ratione, sed quia habere quippiam auctoris ignobilis visus est; quod certe argumentum non potest evertere duorum antiquorum codicum testimonia. Augustinianæ methodo plurimum conveniunt quæ de partibus mundi dicuntur, cum ex dictis sæpius ludat circa numeros. Quæ autem, italicis adhibitis, irrisui traduntur, non tales sunt ampullæ, quales apud Augustinum nunquam occurrant. Voces *quadriformis*, *rutilans ignea sanctitate*, *refrigerium sanctificationis*, *amænatus vorante flamma caminus*, nihil ridiculi complectuntur, cum præcipue verbum *amænare* sit familiaris sancto Cypriano, qui sicut et Augustinus, latinam africane linguam loquebatur.

Sermoni XLV in argumento præposuimus hæc verba: *Manifestus est sancti Augustini stylus*; nec immerito.

Rhythmus, qui nobis exprobratur, est præcipue Augustinianus typus ex allatis superius D. Feller verbis, laudatisque exemplis.—Libidinem arieti comparare nullo modo repugnat.—Verbum *minorari* non nisi a nesciente Scripturas dici potest verbum mediæ ævi, cum quatuordecim vicibus legatur in Veteri aut Novo Testamento, ejus versio vel ante Augustinum existebat, vel a sancto Hieronymo fuit correctæ, præsertimque apud sancti Pauli epistolam ad Hebræos, ubi tam nota illa reperiuntur:

Modico quam Angeli minoratus est (1).—Juxta latinæ linguæ ingenium pariter scribi potest *servare fidem domino suo*, et *servare fidem domini sui*, sicut olim habebatur in Parisiana sancti Dionysii prosa, *hic constructo Christi templo*, quod in nova editione, utrum bene dubito, correctum est secundum adversarii beneplacitum, *hic constructo Christo templo*.—Si oppositio inter verba *in occulto* et *ex integro* non satisfacit critici sagacitati, satisfacit rhythmo, cui sæpius apud Augustinum plus indulgetur, quam foret necessarium.—Satis autem de ablativo post præpositionem *in* disseruimus, ut nihil ibi addendum supersit.—Verbum activum *amplectebat*, quod deponenti *amplectebatur* prætulit auctor propter rhythmum, est latinissimum, legiturque apud Plautum, qui probabiliter non erat mediæ ævi scriptor; habet autem regimen, quod cæcutiens sane propter vituperandi cupidinem non vidit criticus, nempe *puerum*, quod ab ambobus verbis *diligebat* et *amplectebat* gubernatur.—Posuit auctor *videretur*, non autem *videret*, tum propter rhythmum, tum quia revera dicendum erat *videretur*, ut legenti patebit.—Nulla exaggeratio in asserendo ita mortiferos esse in muliere odores, ut homo vel ferreus possit ab iis facile moveri; nimis hoc noverrunt seductionem viri affectantes mulieres; nimis et ipsi viri seductionis laqueum incurrentes.—Restat ergo singularis assertio, qua Joseph Pharaoni regi servisse dicitur. Sed ad solvendam difficultatem sufficiebat nota a nobis posita ad inferiorem paginæ marginem, cujus hic est

(1) Hebr. 11, 9.

tenor : « Non Pharaoni regi , sed ejusdem spadoni , ut » dicit Augustinus quæst. in Genes. cxxxvi , servivit Joseph ; unde credendum est aut sanctum Doctorem loquendo lapsu memoriæ , aut amanuensem scribendo » attentionis defectu errasse. » Quid autem frequentius apud Patres quam leves isti defectus ? Sic , ut loquar solummodo de quibusdam , quos in nostra Collectione correximus , vide tom. 71 , fol. 537 , sanctum Chrysostomum Zachariam pro Aggæo laudantem ; tom. 72 , fol. 592 , primam beatitudinem esse lacrymas dictitantem ; tom. 88 , fol. 287 , Joseph centum annos natum fuisse asserentem , cum mortuus est , licet juxta Scripturam annos decem supra centum attigisset. Quid ad hæc Benedictini ? Erravit notarius , aut humanum aliquem memoriæ lapsum passus est orator ; nec ideo has Chrysostomo abjudicant homilias. Audi autem quid de eodem Joseph domino pronuntiet in Psalmo xlviij , n. 9 , tom. 72 nostræ Collectionis fol. 337 : « Uxor Pentaphræ Egyptia annon erat regina ? » annon toti Egypto præerat ? annon maximam habebat » potestatem ? » Quid iterum ad hæc Benedictini ? Est trope , est inusitata figura , est exaggeratio oratoria ; nec idcirco Chrysostomum ab hac oratione alienum declarant.

Sermo XLVI aliquas habet sententias , quæ ad tres sancti Augustini sermones accedunt , et inde ejus arguitur , nedum impugnetur authenticitas. Objectiones nullæ. — Bene proferuntur hæc verba , *cum Christus aspiceret , et cum videret* , nec ita sagacem animum a Deo sortitus sum , ut in quo hæc dicta claudicent , pos-

sim apprehendere. — Alia ista verba : *Sycomorus ficus fatuæ sunt* , juxta latinitatis regulas defendi possunt , cum *ficus fatuæ* plurali numero adducantur. — Nulla insulsa *epexegis* (quanta doctrina !) , si orator auditoribus evolvat naturam arboris in regione ubi loquitur penitus ignotæ , et prudentius inde insinuabitur , ut fecimus nos , ex eo quod sermo habitus fuerit in Africa , clarius apparere Augustinum ejus esse auctorem. — Sed advertat lector continuam critici perfidiam. Codex deficiens negationem affert , quæ orationis sensum impedit ; negationem hanc nec probare possumus , nec propter codicis reverentiam penitus tollere. Hanc ergo intra parentesim ponimus ; ut intelligat lector illam verum esse mendum , et pro nihilo computandam. Ipse autem scribere non veretur ; (*sic editores*) ; ut credatur sane ab iis qui ad textum non possunt recurrere , editores in absurditatem incidisse. De quo quid judicet lector videbit.

Non paraphrasis est sermonis 273 et 275 Sermo XLVII , sed diversa est oratio , quæ ejusdem auctoris cogitata aliter expressa complectitur. Criticus qui valde obtusam videtur habere intelligentiam , cum latinorum verborum assequenda est significatio , exclamat post voces *inexplicabili affectu* (Sic sine verbo !) , et non attendit bene verbum et clare exprimi , imo et duplex occurrere , nempe *amplecti et osculari vellemus membra* martyris , et quidem *inexplicabili affectu*. Nec capere potest quomodo sit *inexplicabilis affectus* erga Vincentium *in tantis virtutibus* ; et certe tantæ illæ virtutes causæ sunt præcipuæ , cur tantus sit affectus ut explicari ne-

queat. — Non male dicitur, sed bene, sed optime martyri naturæ arreptam esse figuram, qui jam hominis figuram non habebat, et ossa ejus esse extendendo separata in equuleo, exarando nudata cum ferreis pectinibus. — Adverbium *perniciter* italicis distinctum displicuit sane critico, sed perperam, cum a Tito Livio, qui sane latinum callebat idioma, fuerit usurpatum. In fumum ergo evanescent omnia contra hunc sermonem congesta argumenta.

Sermo XLVIII ideo rejicitur ab adversario quia rhythmis abundat; sed quia rhythmis abundat, ideo a nobis admittitur. Omnes enim genuini sermones de sancto Vincentio, de quo hic noster disserit Doctor, rhythmis pariter abundant. Sic incipit primus post unam introductivam phrasim: «Vicit in verbis, vicit in poënis; vicit in confessione, vicit in tribulatione; vicit exustus ignibus, vicit submersus fluctibus; postremo vicit tortus, vicit mortuus (1).» Secundus sic quasi ab initio se habet: «Erat videre invictam martyris animam contra insidias antiqui hostis; contra sævitiam impii judicis, contra dolores mortalis carnis, acerrima conflictatione certantem, et in adjutorio Domini cuncta superantem (2).» Tertius ita exorditur: «In Passione, quæ hodie nobis recitata est, evidenter ostenditur judex ferox, tortor cruentus, martyr invictus, in cujus corpore poënis variis exarato jam tormenta defecerant, et adhuc membra durabant. Tot convicta miraculis persistebat impietas, tot vexata suppliciis, non cedebat infirmitas;

(1) Serm. CCLXXIV, n. 1. — (2) Serm. CCLXXV, n. 1.

agnoscatur ergo operata divinitas. Quando enim cor-ruptibilis pulvis contra tam immania tormenta duraret, nisi in eo Dominus habitaret (1)?» Quartus vero hæc in principio exhibet: «Qualis decoris habebat Spiritum, ejus fuit et cadaver invictum? Dominum confessus est vivus; inimicum superavit et mortuus. Quid putamus, fratres, quod istum honorem providentia et consilium omnipotentis Creatoris cum etiam defuncto corpori detulit, martyri aliquid præstitit? Quid enim? si non sepeliretur, ignorabat ille unde suscitaretur? illi et in victoria corona, et in resurrectione servata est vita æterna (2).» Post talia exempla repudiare sermonem de Vincentio ob hanc solam causam, quod rhythmis abundat, quid est nisi publice confiteri aut magnam in legendo Augustino incuriam, aut majorem in vituperando malitiam.

Nihil complectitur Sermo XLIX, quod illum sancto Augustino indignum possit ostendere. Si aliquid declamatorium exhibet, optime potest supponi hunc esse foetum junioris Augustini, cum certum sit beatum Doctorem ex rhetorices studio nuperrime exeuntem, non statim perfectionem, amissis subito prioribus defectibus, attingisse. — Verbum *crapulari*, non modo Augustinianum est, sed et Biblicum, juxta illud: *Tanquam potens crapulatus a vino* (3). — Vox neutra *pejus*, quam criticus probabiliter supponit esse *adjectiva*, et minime quadrare potest cum substantivo masculino *ventum*, ad-

(1) Serm. CCLXXVI, n. 1. — (2) Serm. CCLXXVII, n. 1. — (3) Psal. LXXVII, 65.

verbum est, ab ipso Tullio usurpatum; quod si minus placet, admittat criticus mendum esse scriptoris, et mutet *pejus* in *pejorem*; non obsisto; sed mutatio non est necessaria.— Phrasis ista: *Da sufferentiam timori*, non barbarum sonat; rhythmusque solitus Augustino authenticitati plurimum favet.— Restat igitur omnibus directis contra nos telis, unum mendum typographicum, quo scriptum est *certari* pro *certare*, quod corrigas.

Miserrimum esse Sermonem L pronuntiat criticus, et annotare prorsus negligit illum tamen trium codicum auctoritate firmari, quod certe non erat silentio prætermittendum. Exordium quod breve est, et conclusionem quæ est brevior citat, sed consuetæ insistens malitiæ, ipsum dimittit sermonem, imo et ultima verba referens, plura omittit, ex quorum absentia fit ut nullus supersit sensus.— Exclamationis punctum huic affigit sententiæ: « Non valet, nec immerito! » ubi quæ sit exclamationis causa non deprehendo.— *Laudem Pauli laudare* evidens est scribentis erratum, sicut et *præcedentium patrum* pro *præsidentium*, et *vestigia imitantes* pro *vestigia sectantes*. Hæc sane corrigere debueram, sed tanta in hoc sermone codicum menda sustuli, ut quædam alibi occupatam mentem fefellisse non ita mirum videri debeat. Gratias autem critico, qui ad textum expurgandum in quibusdam lumen suppeditat.

Pereurrit lector sermonem Benedictinum 279, et illum cum Sermone nostro LI conferat, et aperte videbit non unum esse alterius paraphrasim, sed utrumque esse ejusdem oratoris foetum, easdem cogitationes, ut sæpius

de eadem re disserenti accidit, alio modo refricantem.— Vocem *tenuiter* impugnas; sed Tulliana est.— Impugnas et vocem *Evangelistas*, quia alibi dixit Augustinus *Evangelistæ* et *Apostolos*, quasi *Apostoli* non fuerint *Evangelistæ*, aut sanctus Augustinus necessitatem habuerit semper et ubique de alterutris loqui.— Utrum bene vel male scindatur sermo in uno codice, non autem in altero, nihil prorsus ad authenticitatem confert.— Subaudiendum putavimus verbum *prodesse*, quod facillime omitti potuit, sicut et multa alia apud probatissimos codices aliquando omittuntur.— Hæc verba: *Non ista dilatio mea sit inflatio*, criticus italicis distinxit, ut puto, quia illa non intellexit; sed mihi significari videntur quod *ista* dicentis *dilatio* non debet fieri *inflatio*, id est, iræ causa audientibus.— Quod *parodiam de theatro* vocat, nihil aliud est quam pulcherrimam eloquentiæ figuram, qua orator supponit se ab auscultantibus interrogari, et illis solutionem difficultatum evolvere. Si talis figura, quæ ita sæpe apud probatissimos sermocinatores reperitur, *parodia* est *de theatro*, quot *parodiæ* apud Christianos prædicatores, et quot suscitata ab initio in Ecclesia theatra.— Phrases quas duobus in columnis oppositis repræsentat, easdem cogitationes complectuntur, sed non iisdem verbis conceptas. Hinc non modo non nocent, sed potius favent authenticitati sermonis.— Exclamat et stupefactionis notam apponit voci *jamdudum*, quippe quod hic significet *jam antea*; et nescit sane hoc verbum ita acceptum, esse omnino Augustinianum, ut patet ex uno sermonum, quos hic non legendo forsân alle-

gavit: « Et dixeram jamdudum, quia caput in cœlo est, » pedes in terra (1).»— Similem affigit notam voci *forte*, quamvis vera sit et legitima, cum adducta comparatio sit accommodatitia, non litteralis.— Si in Sermonem Benedictino vox *prorsus* verba Pauli bene afficit, non minus bene hîc afficit verba auctoris, cujus talis est sensus, Esto fuerit minimus, tamen fuit saluberrimus. Optime a Domino dicitur *ignorata mulier*, sed figurate, cum Christus quasi dubitando dixerit: *Quis me tetigit?* quanquam apprime sciret a qua fuerat tactus. Hinc licet *plus quam satis* de hoc sermone dixisse sibi videatur criticus, non satis ad convincendos omnes certissime dixit.

Nullibi magis apparet ejusdem malitia, quam in suo de Sermonem LII iudicio. Primam enim phrasim allegans, statim addit: *Ne constructio quidem grammaticalis cernitur*. Et simul non refert hæc nostra verba: « Unicus » nobis occurrit codex, et quidem in multis deficiens, » atque ideo corrigendus in multis. » Non affert nostram ad hæc verba notam: « Sic codex; plura verba videntur » abundare; legendum esse crediderim: *Recte primum » nomen in eo persecutoris agnoscitur.*» Quo nomine talis vocetur perfidia, ipse pronuntiet lector. — Editores Collectionis selectæ in absurditatem delapsos, posito exclamationis puncto, supponit, qui verbum *faceret* addendum unæ sententiæ judicaverunt, et non attendit hoc aut simile verbum ita esse necessarium, ut eo detracto, nullus jam subsistat sensus.—Ultima autem verba critici integra sunt referenda, ut clarius pateat quæ sit

(1) August. Enar. in Psal. x̄o, n. 6.

eloquentiæ notitia in eo qui ubique exagitat *eloquentiam sæculi in decrepitam senectutem delapsi*. Auctor dixerat, et facunde quidem: « Video, beate Paule, quibus » corona debetur meritis tuis; sed respiciens, quod fuisti, » agnosce; Dei dona sunt ipsa merita tua. » Quibus hæc sapienter simul et urbane addit adversarius: « Tu-ne, » simia, in mentem revocas Paulo, quid debeat *agnos-* » *cere.* » Cui respondeo non memoratis eloquentiæ regulis, qua sæpe adhibetur ista figura, unde admoneri videtur quidam etiam sanctus, non de eo quod facturus est, at de eo quod fecit, ut virtus inde clarius elucescat, sed opposito ipsius sancti Augustini exemplo sic Paulo loquentis: « Accepisti ergo, Paule, quod tibi non » debebatur. Dic jam securus quid tibi debeat, dic » jam... dic Domino tuo, dic securus, dic certus, dic » fiducia plenissimus: Ego eram antea in malitia mea, » usus sum indebita misericordia tua; corona ex debito » munera tua (1). » O Augustine, quam audax es! tu ergo revocas in mentem Paulo non solum quid debeat agnoscere, sed et quid debeat dicere!

Quæ de Sermonem LIII dicit criticus injuria est, non ratio. Non placuit nobis Benedictinorum iudicium, præsertim cum non inter manus haberent argumentum novum illis prorsus ignotum. Ad hoc nihil respondetur, nisi ista: « Argumentis suis refutare student Benedicti- » nos, qui, *quando tales adversarii litigant*, advocatis » non egent. » Suscipiat, quæso, criticus humillimas pro sua urbanitate gratias; videat autem lector, si talia

(1) August. Serm. cccxcix, n. 6.

ad confirmandam veritatem sufficiant. Unum additur petendo, an Augustiniana sint hæc verba: « Quid est » quod rugientis poli mugit arcanum; » cui respondemus nihil prorsus obstare quin hæc sint Augustiniana, cum nec contra grammaticam, nec contra fidem peccent.

Sermonem LIV eloquentiæ fervorem habere non negat criticus, imo et esse veteris alicujus Patris, sed ita in-sensus est ineditis sermonibus, ut illos paratus sit cuilibet Patri potius tribuere quam Augustino. Integram affert paginam, cui laudes tantummodo competunt. Quid igitur supersit quod annotetur non video, nisi ineptam hic etiam esse interrogationem, cum ita sciscitetur criticus: « Si penitus voluerimus effugere *maculam*; (quamnam?) » Cui respondemus: *Omnem*. Sic Latini loqui solent, ut quando substantivum indeterminatum ponitur, omnia in se complectatur. Dicitur ergo *si voluerimus effugere maculam*, sicut et quotidie dici potest: *Si voluerimus effugere peccatum?* cui dicto absurde subnecteretur hæc questio: *Quodnam?*

Sermo LV ex codice multum defectuoso extrahitur, cujus menda non nisi difficillime corrigere potuimus, imo nec potuimus semper. Hinc multa dura sunt, quæ plana forte essent, si vera adesset lectio. Hinc crederem non fuisse primitus scriptum *impetus*, sed *sonitus*, non *rosasque*, sed, *virgineosque*, non *colles*, sed *calles*; non *Herodias*, sed *Herodiadis filia*; non *transfudit*, sed *transfluxit*, nisi *mavis se transfudit*; non *in longum elongetur*, ubi manifestus deprehenditur scribentis error easdem litteras iterantis, sed *in nimium* aut *in in-*

fnitum. Hæc, quæ emendare non ausi sumus, reformare si audeas, nihil jam inepti remanebit. Nam Davidis vox prophetica non male nominabitur *regalis fistula*; latinissima sunt verba *urget terram*; optime scribitur *distortam perfidiam corrigite*; Tullius dicere non dubitasset *torvo contempsit vultu...., impudicis rotata flexibus...., cupido per impuras lasciviæ epulas solvitur...., ne nostrum populo Dei otiosum videatur officium...., prænotata statim astringo*. Hæc certe non barbarum sonant, nec librariorum arguunt fraudem. Remanent verba *cujus causa proponitur*, quæ corrigendo, ut potuimus, ex inintelligibili sententia extraximus, et quæ aut accipere potest criticus, aut rejicere, quin ulla exurgat de authenticitate dubitatio, cum mendum patens adsit.

Sermo LVI ideo sapere medium ævum asseritur, quia, ut critici verbis utar, *cantillat*, id est, probabiliter ex allatis exemplis, quia rhythmum continuum prosequitur. Quæ objectio, quantum aut potius quam parum valeat ex antea dictis satis demonstratum est. Loca citata nihil exhibent quod Augustino non conveniat, nisi forte vox *præsidia*, quam mendosam puto, et pro qua malletm legere *præsidium*, aut potius aliud fœmininum substantivum, ut servetur rhythmus.

Sermo LVII ab ipso critico Augustinianum esse agnoscitur, de quo exinde nulla remanet difficultas; sed cum timere videtur, ne aliquem forte ex hoc superbiæ sensum percipiamus, multas et etiam graves intermittere curat incusationes. Nostram primo fidem in dubium re-

vocat, quod nunquam dixerimus, ut P. Frangipane, codicem esse lacunis interceptum; et certe non potuimus dicere, quod non erat; sed innumeros ejusdem codicis errores corrigere aut indicare nunquam negleximus. — Mendum aliquod suspicatur in hac sententia: « Sed » quem vides hominem, Joanne major est, et tamen » non est dignus solvere corrigiam calceamenti ejus. » Huic plane judicio assentior, et libenter legerem: « Sed » quem vides, homine Joannes major est, » quo posito, omnia optime quadrant. — Eadem attingere Augustinum, ac pluribus aliis in locis, agnoscit, sed simiam ibi non videre dignatur; dicta tamen quaedam omittit tanquam superflua, sed quæ leguntur in codice. — Citat hæc verba: « Rapina est usurpati, sicut » Adam; rapina illi facta sunt ista; » et addit: *In his verbis depravatio est.* Sed nulla adest depravatio; defecit solummodo legentis intellectus. Sensus enim est, æquare se Deo esse rapinam usurpati, sicut fecit Adam, cui ista facta sunt rapina, quod æqualem esse Deo voluerit. — Huic sententiæ, quæ legitur ita in codice: « Ista » suggestio homini Diabolus fecit per suam superbiam » participem; » istam correctionem afferre tentavimus: « Per istam suggestionem hominem Diabolus fecit superbiam illius suæ participem. » Aliam proponit criticus dicens: « Ista suggestio hominem Diabolo fecit per suam » superbiam participem. » Quam certe correctionem minime rejicio, modo non affirmetur illam codicis vestigia satis presse secutam esse, cum in duobus verbis a codice dissentiat. Mihi tamen placet illa, eamque inter errata

admittere, veritatis solius sectator, propono, cum dehinc mutatione necessaria verbi *tuo* in *suo*. Incusatur inferius vox *ergo*, quæ legitime additur, sicut et conclusio, quæ nihil aliud est quam resumptio propositionis et confirmatio argumenti. Quod in parenthesi concluditur utrum sit glossa alicujus lectoris, an scriptoris explicatio, videant doctiores; ego dubius remaneo.

Percurrat lector Sermonem LVIII, et intelliget quam mutationem afferre possit malitia varias partes truncando, ut omnia irrisui exponat. Videbit enim *æquali fide* honorandos esse ambos Apostolos; *perpetuitatem cælestis gloriæ mundum universum bene confiteri*, dum in Apostolis *vitæ sæculorum*, id est, vitæ præsentis *finem recolit*; optime et eleganter dici Petrum, ex piscatore irrationalium, piscatorem hominum factum *non posuisse retia, sed mutasse*; eum deinde *fontes potius amasse quam maria, nec tam abstraxisse quos occideret, quam mersisse quos levaret, aut lavaret*; nam utrumque dici potest, et utrumque lectoris judicio dimisimus, quanquam criticus mendaciter asserat nos maluisse *lavaret*, qui solummodo diximus: *Forte lavaret*, et quidem in nota, relicto in textu *levaret*. Quoad autem verba *rabiosam feritatem obsecundans*, nihil aliud offerunt quam correctionem vocibus inintelligibilibus et mendosis propositam, quæ vel admitti vel rejici potest, sine authenticitatis præjudicio; non hoc indicare neglexisset recti judicis fides, quod dissimulavit judicis iniqui perfidia. Rebus autem attentius perpensis, adhibitam correctionem non sufficere fateor, et loco hujus incorrectæ

sententiæ quæ in codice scribentis incuria legitur : *Etiam canes regiosa feritas obsecundans*, hanc versionem potius proponerem : *Istius canis rabiosam feritatem obtundens*, ex qua perfectus emicat sensus. Transeat vox *centupliciter*, quæ vel explicari potest, vel male scribenti notario facillime, ut videtur, attribui. Hinc licet in veteribus codicibus *bona mixta sint malis*, non admitto in his tam pretiosis libris, ex quibus omnia Doctorum opera sunt extracta, *mala* ampliore numero reperiri, nec inter *mala*, quæ aliquando offerunt, pulchrum hunc sermonem deputabo.

Sermoni LIX *de Piscatione Petri* plura objici videntur, quæ tam bene dicta sunt, ut italicarum rationem litterarum non perspiciam. Sic *in ejus navicula*, nempe Petri...; *hoc est, quod in ipsa in qua erat navicula non vivificari soleant homines, sed trepidare vestigio...*; *cum in verbo Petrus laxat retia, in Christo utique laxat eloquia...*; *cum in dicto præceptoris lina explicat, in nomine Salvatoris verba dilatat...*; quid in his vituperetur nusquam apparet. Tria igitur remanent, quæ evidentissime mendosa sunt, nempe *Evangelicum capitulum disseramus pro in Evangelicum capitulum disseramus, salvat et retentat pro servat et retentat, et animantia servare pro animantia salvare*, quæ prave leguntur in codice. Ultimus autem hic error eo magis ibi patescit, quod eidem phrasi alterum insit mendum, quod correximus ponendo *animantia* pro *amantia*. Imo eo magis excusandus est hic notarii error, quod de Petri Apostoli piscatione cogitans, salutis idæam

in animo fixam tenebat, unde facillime potuit non attendere ad mutationem verbi *salvare*, sicut et nos eidem aliis corrigendis addicti non satis attendimus.

Sit Augustini Sermo LX, non obstantibus critici conatibus, qui rhythmos tantum exprobrat, in quibus argumentum potius pro nobis, quam objectio contra nos reperitur.

Sermo LXI nobis ex veteris nostri codicis auctoritate jure et merito restituendus videtur Augustino, sicut et sequens LXII, maxime cum stylus ad Augustinianum accedat, et aliunde festum Machabæorum non Romæ celebraretur Leonis tempore; quod certum esse deprehendisset criticus, si Leonis editionem a fratribus Ballerini emissam adire solummodo voluisset, priusquam nostram damnare præsumeret sententiam. Sic enim habent docti editores, qui, ut videbitur, Ptolemæi Sylvii (sæculi IV) calendarium optime callebant : « Adde quod hic sermo solemnitatem » Machabæorum in ea urbe, in qua habitus fuit, celebrem indicat. In Africa quidem celebris fuisse cognoscitur tum ex Carthaginensi veteri calendario, quod » Mabillonius in *Analectis* vulgavit, tum ex Augustini » sermone CCC et CCCI, de eodem festo editis, qui ejus » quoque sermonis eum auctorem confirmare queunt. At » Romæ Leonis ætate nullum de Machabæis festum celebratum fuisse ex eo colligitur, quod nulla ejus festi » missa notetur Kal. Augusti, non solum in antiquissimo » Sacramentario Leoni attributo (quod secundo tomo recudetur), verumetiam in puriori Sacramentario Gregoriano, quod ex duobus MSS. Ludovicus Muratorius

» typis impressit Liturgiæ Rom. vet. tom. II. Quod si in
 » vulgato Gelasiano istud festum astruitur, hoc non esse
 » purum Sacramentarium Gelasianum, et nonnulla pos-
 » teriora additamenta recepisse certum est, inter quæ re-
 » censendam esse Missam de Machabæis, ex ipso Missæ
 » hujus defectu in posteriori Sacramentario Gregoriano
 » quisque intelliget. Additio autem hæc induci potuit ab
 » aliqua Ecclesia, ubi Machabæorum festum peragebatur
 » in Gallia, unde eorum festum signatur in calendario
 » Ptolemæi Sylvii, quem Gallum scriptorem fuisse, et
 » scripsisse in Gallia probabimus in observationibus ad
 » sermonem LXXXIII, n. 4. Accedit inscriptio a pluribus
 » edita, et novissime recusa a P. abb. Monsanato in opere
 » de Catenis sancti Petri, p. 48, in qua de templo sancti
 » Petri in vinculis, hæc inter cætera leguntur :

- « Hoc Domini templum Petro fuit ante dicatum ;
- » Tertius antistes Systus sacraverat olim ;
- » Civili bello destructum post fuit ipsum.
- » Eudoxia quidem totum renovavit ibidem :
- » Pelagius rursus sacravit Papa beatus,
- » Corpora sanctorum condens ibi Machabæorum. »

» Si hæc inscriptio esset antiqua, genuinamque referret
 » historiam, ita ut ante Gregorium Machabæorum cele-
 » britas sub Pelagio Romæ cœpisset, adhuc sermo Leoni
 » tribui non posset. Tandem formula *charissimi*, quæ
 » initio capituli III inseritur, Augustino quidem familiaris,
 » a Leonis autem consuetudine alienissima est ; hocque
 » indicium sermonem Leoni supposititium fuisse vehe-
 » mentius confirmat. » Advertat ex hac citatione criticus

indoctos Collectionis selectæ editores aliqua tamen adisse
 volumina, argumentaque aliqua expendisse, priusquam
 in publicum opus grande emitterent. Quod si ipsi minus
 placet nostra Sermonis LXI fini apposita annotatio, circa
 parvum additamentum huic orationi affixum, illud fit
 sane ex eo quod nostram, ut sæpius illi accidit, cogita-
 tionem non sit assecutus. Hoc autem dicere intendimus,
 virum hunc, nescio quem, cui mens fuit hoc addita-
 mentum annectere sermoni, putasse illum esse Augusti-
 nianum, cum illum voluerit, si ita loqui fas est, Augus-
 tiniane concludere; quod quidem nihil absurdi ipsis
 præberet Benedictinis, si ex suis tumultis emergent.

Sermo LXIII non a nobis tantum, sed a fratribus
 Ballerini Augustino tribuitur ex Vaticanis codicibus, et
 ipsi critico videtur *paulo magis ad Augustinianam*
consuetudinem accedere, quod in ejus ore sufficit, ut
 vere Augustinianus declaretur. Non autem vult onerare
 suas paginas speciminibus quæ ex notis operibus peti
 possunt, unde sequitur necessitas habendi editionem
 sancti Leonis cum ejus editione, si quis vult totum legere
 Augustinum. Nos autem totum Augustinum legentibus
 tradere curiosi, hos sermones, licet in Italiana jam edi-
 tione impressos, excudere rursus debuimus. Cur enim,
 si talis valeret ratio, excudit iterum opera Augustini,
 cum omnia ex Benedictina editione peti possent?

Sermonis LXIV fragmentum expromit nihil particula-
 tum objiciens, quia nihil sane objiciendum occurrebat.
 Judicium solummodo absque ratione profertur, quod re-
 cusamus quoadusque contraria enumerentur argumenta.

Sermo LXV de *Pœnitentia* pius est, et omnia italicis objecta non inficias eunt, quin Augustino tribui possit, cum vel similia apud ipsum reperiantur, vel aliunde possint excusari vel mendosæ queant scriptioni imputari. Sic repetitio *Evangelica lectio cum legeretur*, non semel apud Patres occurrit. — Vox *inquit* absolute accepta, apud Augustinum frequentior est. — Non male dicitur *Christum arbitrum omnium esse causarum*. — Verba *præveniamus Deo*, consentanea sunt his Scripturæ verbis: *Æthiopia præveniet manus ejus Deo* (1). — Latissima est hæc dictio: *Ad periculum pertinet*; sicut et *redimere causas negligentia*. — Conjunctio *ita et nos* non solum legitima est, sed necessaria. — Vocem *omnium* mutet in *omne* criticus si voluerit. Codex habet *omnium*, et vox ista admitti potest sine ulla codicis emendatione. — Dura hæc videntur *adhuc additur ut*, sed possunt defendi, præcipue si supponas potius esse legendum *sed ad hoc additur*. Græce ergo loquatur licet, ad scientiæ ostentationem criticus, non multa ex omnibus ejus objectis subsistent.

Risum, fateor, tenere non potui, cum perlectis Sermone LXVI vituperationibus, hæc conclusionem, cujus nemo non pene insanam mirabitur exaggerationem: « Talia inscribuntur sancti Augustini nomine, per blasphemiam majorem, quam *quales ab hostibus fidei unquam in eum conjectæ sunt*. » Et quid est ergo quod omnes blasphemias præteritorum hæreticorum transcen-

(1) Psal. LXXVII, 32.

dit? quia annotat auctor, quod novo miraculi genere jumenta cum hominibus jejunantia placandæ divinæ justitiæ inservierunt. Sed quid aliud facit ille, quam ipsa evolere Scripturæ verba: *Homines et jumenta, et boves et pecora non gustent quidquam, nec pascantur, et aquam non bibant; et operiantur saccis homines, et jumenta, et clament ad Dominum in fortitudine* (1)? Quam lepide postea a critico deridentur hæc verba: « Deus juste commotus hominum pecorumque » jejunio, commixtis vocibus placaretur, » quæ solam paraphrasim Scripturæ oraculorum complectantur? Quid mirum si solitis utens Augustinus oppositionibus, exclamat: « Novum miraculi genus! quod homines solent » præstare pecoribus, pecora hominibus præstiterunt; » id est, servare solent pecora homines, nunc ad servandos homines pecora aliquid de suo contulerunt. Blasphemiam quæro, quæsitam non invenio. — Sed non potuit jejunium appellare *salubrem sacerdotum institutionem*? Quidni, si alibi idem ipse doceat? Audi illum in Epistolis loquentem: « Sed quoniam contingit maxime » in Africa, ut una Ecclesia, vel unius regionis Ecclesiæ, » alios habeant sabbato prandentes, alios jejunantes, mos » eorum mihi sequendus videtur, *quibus eorum populorum congregatio regenda commissa est*. Quapropter » si consilio meo... libenter acquiescis, *episcopo tuo* in » hac re noli resistere, et quod facit, ipse sine ullo scrupulo

(1) Jon. III, 7, 8.

»pulo et disputatione sectare (1). » Nonne hîc clare admittitur in jejunio *salubris institutio sacerdotum*?—Vox *culta* mihi mendosa visa est, sed corrigere non sum ausus supponendo hanc vocem brevius scriptam esse pro *culmata*, quam correctionem potes, si velis, admittere.—Philosophorum hîc nullæ canuntur laudes; eorum tantummodo adducitur exemplum, observando talia jejunia nullam parere animabus quas purgare volunt utilitatem, sed solam macerare carnem. Nescio autem quo sensu intellexerit *æthereos*, de quibus auctor loquitur, *animos*. Evidens est sensus, cum *ætherei animi*, id est, animæ spirituales opponantur *corporibus terrenis*. Ergo credit doctus noster criticus philosophos habuisse *carnales* animas, non autem *æthereas*! ergo absurde loqueretur Augustinus, si sit hujus sermonis auctor, *æthereas* animas carnalibus opponens corporibus! certe, quando tam perverse verba latina assumuntur, ridendi subrepat cupido his auditis verbis: « Augustinusne in sacro suggestu tam » sublimia loqueretur *de æthereis animis philosophorum*? » Quam sublime encomium canit, qui philosophos non irracionales bestias esse affirmat! — Errore typographico irrepsit vox *tam* ante hæc verba *fuit timoris astutia*, quam corrigas legendo *tanta*.

Sermo LXVII partim jam editus apud Benedictinos, ita ab emisso differt, ut propter allatas in nostro argumento rationes, unus sit admittendus, alter autem rejiciendus.

(1) August. Epist. xxxvi ad Casulan, n. 32.

Hinc rem minime habemus judicatam, sed judicio lectoris ipsa relinquitur.

Sermonem LXVIII adeat lector, et videbit ipsa sua experientia hunc, ut critici verbis, alibi adhibitis, utar, non eloquentiæ fervore destitui. Figuram rhetoricam, quæ vocatur *iteratio*, hîc adhibet scriptor. Deinde quod annotare neglexit, nec immerito, vituperandi curiosus criticus, pluribus interjectis sententiis, eandem iterationem repetit interrogantis quæstionibus respondens. Unde omnia verba, quæ iterantur, non ridicule adhibentur, ut in fragmento hîc allato, sed duplicem exhibent sententiam, cujus prior quæstionem habet, posterior vero responsionem. — Nihil etiam ridiculum si asseratur *incauta simplicitas ipsa sua simplicitate decipi*; repetitio enim vocis *simplicitas*, recta est, et vituperationi nullam præbet ansam.—Nihil iterum quod reprehendatur in hac phrasi: « Falsus amicus molitur » negotium crudelitatis, sub imagine charitatis. »—*Intolerabilis miserrimi sermonis loquacitas*, nec mihi talis visa est, nec aliis sane talis videbitur. Hæc injuriæ sunt, non demonstrationes.—Nec quasi irridendo nobis exprobrat, quod non hîc, sed alibi dixerimus quosdam sermones Augustinum adhuc juniorem arguere, cum certum sit doctissimos quosque homines non subito culmen perfectionis attingere, ipsaque sancti Augustini lectione constet, quantum sit discrimen inter prima ejus opera, quæ aliquando vel a se ipso non intelligi fatetur (1), et

(1) August. Retract. lib. 1, cap. v, n. 1; vide et Prolog.

posteriora , quæ fulmini similia , tam lucida fulgent , et tam fortia tactos hostes dejiciunt.

Transeant ultimæ critici aggressiones , quæ congestis coalescunt conviciis. Transeant omnes istæ tam suaviter sonantes loquelæ , *loquacitas , pueriles rhythmis , barbara verba , sensus inanes , vel sinistri , vel absurdi , blasphema , hæretica , quisquilie* , etc..... Satis alte ponuntur in suorum et extraneorum existimatione Collectionis selectæ editores , ut hoc luto non inficiantur. Ex hac et alia contra Rev. DD. Guillon edita dissertatione discat criticus *apographum sermonem ab amanuensibus Italis Parisios transmissum* , a non indoctis viris attentius fuisse examinatum antequam *typothetis traderetur*. Discat Italos , qui tot adhuc et tanti sunt , doctores non contemnere , utpote qui forte pluribus ex Gallia superbis juvenibus , in laborando senes facti , non æquales modo , sed multo superiores possint ambulare. Discat veteres non contemnere , sed revereri codices , cum præsertim in iis reperiantur veri et jam editi sancti Augustini foetus non sine utilissimis variantibus , ut patebit ex tabula secundæ hujus voluminis parti affixa. Revolvat interea nostrum Episcopo Marochensi responsum , et videbit plura clare et feliciter emendata , quæ apud Benedictinos vitiosa erant et manca. *Exhorrescat* denique *novam sermonum centuriam cogitans* , qui hodie post hoc *prælibamentum* in lucem prodeunt. Prodeunt enim , ejus nec minas metuentes , nec fastidio *parcentes* ; si enim fastidium corruptis sapiant palatibus , iis qui antiquitatis saporem non amiserunt , gratum quemdam et

amœnum gustum afferent. Nec etiam docti a legendis apocryphis abstinebunt , in quibus multas inter paleas , plurimas invenient margaritas , præsertim in novi hujus voluminis appendice , ubi edere curavimus sermones quosdam male quidem sancto Augustino tributos , sed pluribus scintillis doctrinæ emicantes.

Claudatur tandem aliquando longior jam ista dissertatio , novis quibusdam recti in critico judicii adductis speciminibus. 1° Dionysii sermones pluris facit quam omnes sive a P. Frangipane , sive a nobis editos ; et non attendit utrosque ex iisdem fontibus profluere. Hi enim codices , ex quibus foetus Augustinianos deprompsimus , Dionysianos sermones habent , quas jam partim rescriptos deseruimus , utpote jam editos , et in omnibus codici nostro similes. 2° Modestiam exaltat Dionysii , qui suos sermones *piorum et eruditorum sacræ antiquitatis amatorum judicio commendat* , imo et in ipso titulo adjecit , *Admixtis quibusdam dubiis* , ut nos superbiæ et præsumptionis insimulet , nec advertit nos in nostris notis rem sæpius *lectoris judicio commendare* , quin et non solum *dubium* juxta quosdam admisisse , sed facto appendice plures ut omnino apocryphos et spurios rejecisse ; si ergo laudanda est modestia , huic laudi jus speciale nobis competit. 3° Sermones a P. Frangipane multo acrius mordet quam illos quos emisit in lucem Dionysius , ne laboris Patris Frangipane approbatione , nostras lucubrationes vel indirecte approbare videatur , sed frustra ex dictis , cum pares sint similesque origines. Non nostri est propositi horum doctorum editorum pru-

dentiam vindicare, quorum opera Christiani orbis præconio satis superque commendantur. Sufficit ut cum *eruditae antiquitatis sacrae amatoribus* gratias illis agamus pro vigiliis sudoribusque, quibus talia nobis munera præpararunt.

Restat ut ad te, Lector, critico valefacientes, convertamur, et novi tibi instituti propositum exponamus. Susceptas ex Italia, nempe vel ex Monte Cassino, vel ex Florentia, plusquam trecentas chartas, assiduo longoque labore pervolvimus. Plura jam edita deprehendimus, sed ita ab editis diversa quoad principium et finem, ut doctiorum criticorum, ipsiusque Bandini perspicaciam fefellerint. Centum et amplius monumenta sic inter opera sancti Augustini recognovimus et exclusimus, non neglectis tamen variantibus, quas multas et sæpe gravissimas in finem colligere curavimus: ingratum certe et fastidiosum nobis opus, sed puritatis Augustinianæ cupidis utilissimum, quod forte levium scriptorum laudes non suscitabit, sed eruditorum oculos sæpius ad se trahet, eorum maxime qui novam et castigatorem auderent sancti Augustini tentare editionem. In duobus autem ejusdem voluminis partibus, (hoc enim volumen propter materiæ locupletioris abundantiam dividere coacti fuimus), reliquos sancti Augustini sermones, additis quibusdam ejusdem fragmentis, reperies, quibus sane perlegendis non præjudicia malevoli critici afferes. Hoc autem in procinctu confiteor, me uno metu agitari, ne videlicet, non obstantibus vigiliis, quas in pervolvendis beati Doctoris sermonibus aliisque scriptis consumpsi, quædam jam

edita attentum animum prætermiserint; tales sunt enim nostri tam contempti codices, ut Augustinianas perpetuo paginas exhibeant, quas sæpius non nisi difficillime inter longiora ejus opera datur recognoscere. Non ergo timor mihi, ne non Augustiniana proferam, sed ne proferam Augustiniana quidem, sed jam alicubi edita. Quod si mihi forte acciderit, ne incuriæ velis imputare, sed ingentis humanæ mentis infirmitati. Annexum autem genuinis, ut nobis videtur, beati Doctoris sermonibus appendicem habes, quem ne despicias precor, quippe qui plura complectatur docti viri attentione non indigna, præsertimque collectionem quamdam orationum eadem manu rescriptarum, ubi utilissima consilia præceptaque reperies. Cur autem illas sancto Augustino abjudicaverimus, suo loco explicetur. Vale ergo, lector charissime, et si tibi longiori dissertatione fastidium attulimus, non nobis culpam ascribas, sed malitioso, quem confutare necessarium fuit, adversario.

N. B. Reperitur apud eundem librarium, PAULUM MELLIER, platea Sancti Andrei de Arcubus, n. 11, Responsonem gallicam Observationibus DD. Guillon Marochensis episcopi, a nobis concinnatam.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE ESTUDIOS

ERRATA

AUT CORRIGENDA IN I SERMONUM INEDITORUM TOMO.

SERM. III, n. 2. <i>Subripat.</i>	leg. <i>subrepat.</i>
Id., n. 5. <i>Corvus de arca demissus.</i> . . .	<i>corvus de arca dimissus.</i>
SERM. V, n. 6. <i>Quo divinitas articulo.</i>	<i>quo divinitas artificio.</i>
Id., n. 7. <i>Pigmentis epithemam.</i>	<i>pigmentis epithema.</i>
SERM. VII, n. 1. <i>Devotionis nostræ.</i> . . .	<i>devotionis vestræ.</i>
Id. <i>ibid. Male cautum videamus.</i>	<i>male cautum videamar.</i>
Id. <i>ibid. In prædicando.</i>	<i>f. in audiendo.</i>
Id., n. 9. <i>Inanivit se.</i>	<i>exinanivit se.</i>
SERM. VIII, n. 3. <i>Ut gentibus universis.</i>	<i>gentibus universis.</i>
SERM. XI, n. 2. <i>Pudore genuisset.</i> . . .	<i>pudore generaret.</i>
Id. <i>ibid. In prophetis ex lege.</i>	<i>in prophetis et lege.</i>
Id. <i>ibid. Laxa incedebis.</i>	<i>lassa incedebis.</i>
SERM. XII, n. 1. <i>Germen percreditur.</i> . .	<i>germen creditur.</i>
SERM. XIV, n. 1. <i>Virgo venit.</i>	<i>virgo veni.</i>
Id., n. 2. <i>Ore osculis.</i>	<i>oris osculis.</i>
Id. <i>ibid. Matres cognoscunt.</i>	<i>f. matres concipiunt.</i>
SERM. XV, n. 4. <i>A nobis repellemus.</i> . . .	<i>a nobis repellamus.</i>
Id. <i>ibid. Peccatis facientibus.</i>	<i>f. peccata facientes.</i>
SERM. XVI, n. 2. <i>In hac muliere.</i>	<i>f. in muliere.</i>
SERM. XVII, n. 2. <i>Facibus peccatorum.</i>	<i>fascibus peccatorum.</i>
SERM. XXIII, n. 1. <i>Manubria mortis.</i> . .	<i>manubias mortis.</i>
SERM. XXV, n. 2. <i>Ecclesie comparare.</i>	<i>ecclesie comparari.</i>
SERM. XXVII, n. 1. <i>Resurrexit ergo Christus in carne, idem autem ut dies esse ipse, qui fuerat, crederetur, nec de nostro corpore rursus eruit, sed ut nos in carne resurgere ostenderet, in eadem resurrexit.</i>	<i>f. Resurrexit ergo Chris- tus in carne eadem, ut idem esse, qui fuerat, crederetur; nec se alieno corpore rursus induit; sed ut nos in carne re- surgere ostenderet, in eadem resurrexit.</i>
SERM. XXX, n. 2. <i>Non potuit.</i>	<i>non potuerit.</i>
SERM. XXXI, n. 1. <i>Si patris filius.</i> . . .	<i>si patri filius.</i>
Id., n. 3. <i>Quos crucifixerant, frange- runt.</i>	<i>quos crucifixerant, fran- gerent.</i>
Id. <i>ibid. Nihil ergo mortuum est.</i>	<i>nihil ergo mortuum est.</i>
SERM. XXXII, n. 1. <i>Carnata majestas.</i>	<i>f. incarnata majestas.</i>
Id. <i>ibid. Grammaticorum calculis.</i>	<i>Legendum potius ut in cod. grammaticorum arculis, sicut indicatur in nota,</i>

SERM. XXXVI, n. 1. Omnia tamen...	leg. f. omnia autem.
Id., ibid. Fuerant multa.....	f. fuerant antea.
SERM. XLIX, n. 2. Pejus mittere ventum.	f. pejorem mittere ventum.
SERM. L, n. 1. Præcedentium patrum..	f. præsentium patrum.
Id., ibid. Certari tecum.....	certare tecum.
Id., n. 5. Laudem... laudare.....	f. laudem... cantare.
Id., ibid. Vestigia imitantes.....	f. vestigia sectantes.
SERM. LV, n. 2. Impetus fistula.....	f. sonitus fistula.
Id., ibid. Paros roseosque.....	f. pueros virgineosque.
Id., ibid. Anfructuosos colles...	f. anfractuosos calles.
Id., n. 5. Herodias.....	Herodiadis filia.
Id., n. 4. Transfudit.....	se transfudit, vel transfluxit.
Id., ibid. In longum elongetur.....	f. in infinitum elongetur.
SERM. LVI, n. 5. Mentis præsidia.....	f. mentis præsidium.
SERM. LVII, n. 1. Sed quem vides hominem, Joanne major est, et tamen non est dignus, etc.	f. sed quem vides, homine Joanne major est, et tamen non est dignus, etc.
Id., n. 2. Rapina est usurpati; sicut Adam, rapina, etc.	f. rapina est usurpati, sicut Adam: rapina, etc.
Id., ibid. Per istam suggestionem hominem diabolus fecit superbiæ illius suæ participem.	Melius: Ista suggestio hominem diabolo fecit per suam superbiæ participem.
Id., ibid. Famulo tuo Moysi.....	famulo suo Moysi.
SERM. LVIII, n. 1. Istius canis rabiosam feritatem obsecundans.	f. istius canis rabiosam feritatem obtundens.
SERM. LIX, n. 1. Evangelicam capitulum.	in evangelicum capitulum.
Id., ibid. Salvat et retentat.....	servat et retentat.
Id., n. 2. Animantia salvare.....	animantia servare.
SERM. LXV, n. 5. Sed adhuc additur..	f. sed ad hoc additur.
SERM. LXVI, n. 1. Viscera culta.....	f. viscera cumulata.
Id., n. 5. Quibus tam fuit timoris....	quibus tanta fuit timoris.

SANCTI AURELII
AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

OPERUM

PARS IV.

OPERA ORATORIA.

CLASSIS VI.

SERMONES INEDITI.

(SUPPLEMENTUM II.)



DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

SERM. XXXVI, n. 1. Omnia tamen...	leg.	f. omnia autem.
Id., ibid. Fuerant multa.....		f. fuerant antea.
SERM. XLIX, n. 2. Pejus mittere ventum.		f. pejorem mittere ventum.
SERM. L, n. 1. Præcedentium patrum..		f. præsentium patrum.
Id., ibid. Certari tecum.....		certare tecum.
Id., n. 5. Laudem... laudare.....		f. laudem... cantare.
Id., ibid. Vestigia imitantes.....		f. vestigia sectantes.
SERM. LV, n. 2. Impetus fistula.....		f. sonitus fistula.
Id., ibid. Paros roseosque.....		f. pueros virgineosque.
Id., ibid. Anfructuosos colles..		f. anfractuosos calles.
Id., n. 5. Herodias.....		Herodiadis filia.
Id., n. 4. Transfudit.....		se transfudit, vel transflu-
		xit.
Id., ibid. In longum elongetur.....		f. in infinitum elongetur.
SERM. LVI, n. 5. Mentis præsidia....		f. mentis præsidium.
SERM. LVII, n. 1. Sed quem vides homi-		f. sed quem vides, homine
nem, Joanne major est, et tamen non		Jeanne major est, et ta-
est dignus, etc.		men non est dignus, etc.
Id., n. 2. Rapina est usurpati; sicut		f. rapina est usurpati,
Adam, rapina, etc.		sicut Adam: rapina, etc.
Id., ibid. Per istam suggestionem homi-		Melius: Ista suggestio ho-
nem diabolus fecit superbiæ illius suæ		minem diabolo fecit per
participem.		suam superbiæ partici-
		pem.
Id., ibid. Famulo tuo Moysi.....		famulo suo Moysi.
SERM. LVIII, n. 1. Istius canis rabio-		f. istius canis rabiosam fe-
sam feritatem obsecundans.		ritatem obtundens.
SERM. LIX, n. 1. Evangelicam capitu-		in evangelicum capitulum.
lulam.		
Id., ibid. Salvat et retentat.....		servat et retentat.
Id., n. 2. Animantia salvare.....		animantia servare.
SERM. LXV, n. 5. Sed adhuc additur..		f. sed ad hoc additur.
SERM. LXVI, n. 1. Viscera culta.....		f. viscera cumulata.
Id., n. 5. Quibus tam fuit timoris....		quibus tanta fuit timoris.

SANCTI AURELII
AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

OPERUM

PARS IV.

OPERA ORATORIA.


CLASSIS VI.

SERMONES INEDITI.

(SUPPLEMENTUM II.)



DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS



S. AUR. AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

SERMONES INEDITI.

SERMONES

DE SCRIPTURA.

SERMO I.

De lapsu.

Erūtur hic sermo ex Cod. Cas. xii, fol. 85, ubi continentur solummodo sancti Augustini factus. Pluribus mendis scaturit iste sermo, quas corrigere tentavimus; nihil aliunde complectitur, quod beato doctore indignum sapienti lectori videatur. Locus ejus post sermonem primum Benedictinorum, et ante primum sermonem Supplementi nostri primi.

SYNOPSIS.

I. Diaboli malitia ut homines in errorem et inobedientiam inducat. II. Adami et Evæ lapsus. III. Homo bestiis in vestitu et victu inferior. IV. Hæc a Deo emendata; sed secundo beneficio homines abusi sunt.

I. FRATRES CHARISSIMI, felix esset hominum genus, si

1.

aut verba Dei bene perciperet, aut percepta servaret. Dicit enim hominibus Deus: « Si audieritis præcepta (1), » et feceritis ea, bona terræ edetis; si autem non feceritis, » gladius vos consumet⁴. » Sed quia diabolus, fidei depravator, secundum naturam videre homines persuadet, pecoribus eos similes exhibet, quos Deus sui similes fecit, et nihilominus eos rebus deterioribus obtinet, cum divinæ fidei objicit rebus deterioribus rationem. Cum Deus hominibus dicat: « Nolite facere mala, et non vos apprehendant²; » e contrario diabolus dicere homines stimulat: Deum, quia vivitis, non curate. Nam nec mali homines viverent, nec boni malorum factionibus laborarent. Et hoc magis homines verum esse consentiunt, cum sciunt et viderint, quod mali homines supplicii gladio perierunt (2). Cum Deus hominibus dixerit filium per virginem natum, diabolus e contra per homines astruit, nec rationem permittere, nec naturam, esse virginem matrem. Cum Deus hominibus dicat resurgere mortuos in præteritam carnem; diabolus e contra hominibus intimat naturam non posse, nisi nova tantum corpora gignere, non et morte (3) perdita renovare. Quid vobis, homines, faciam, quos ratione diabolus fallit?

II. Adam et Eva quomodo deceperit, quærite et videte quam verisimilem finxerit contra Dei præcepta rationem. Scriptum est enim: « Vocavit Dominus Adam, et dixit » ei: Ex omni ligno quod est in Paradiso manducabitis, » de fructu autem ligni quod est in medio Paradisi non » manducabitis ex eo, nec tangetis illud, ne moriamini³. » Lex est; non debuit præteriri. Usque adeo enim Deus

¹ Isaï. 1, 19 et 20. — ² Eccli. vii, 1. — ³ Gen. ii, 16, 17.

(1) De hac versione utitur Augustinus, contra duas epistolas Pelagii, lib. iv, n. 12. — (2) Forte non perierunt. — (3) Cod. male mortem.

beatos fecerat homines, ut mala penitus ignorarent, usque adeo etiam simplices, ut eis innocens nuditas nec verecundiam faceret, nec pudorem. « Erant, inquit, nudi Adam » et uxor ejus, et non pudebat eos⁴. Serpens autem erat » sapientissimus (1) omnium bestiarum, quas fecit Dominus Deus. Et dixit serpens mulieri: Quare dixit Deus, » ut ab omni ligno, quod est in Paradiso non manducetis? Et dixit mulier serpenti: Ex omni ligno quod est » in Paradiso manducamus, de fructu autem ligni, quod » est in medio Paradisi, dixit Deus: Non edetis ex eo, » nec tangetis illud, ne moriamini. Dixit autem serpens » ad mulierem: Nequaquam morte moriemini (2). Scit » enim Deus, quia qua die manducaveritis ex eo aperientur oculi vestri, et eritis tanquam Dii, scientes bonum » et malum². » Videte nunc diabolus, quomodo apud simplices homines Dei verba destruxit; persuasit malus interpres, quia Deus immortalitatem hominibus potuit invidere. Primo elegit foeminam, rem utique fragilem, cui facile suaderet; deinde transtulit in serpentem. Usque adeo autem secunda innocentia fuit, ut serpentem horrendum, quem expavescere debuit, non timeret. « Et sumpsit » mulier de fructu illo, et manducavit, et dedit viro suo » secum. Et manducaverunt, et aperti sunt oculi amborum, et cognoverunt, quia nudi erant³. » O dudum innocens nuditas, ut rubesceres profecisti!

III. « Et fecit Dominus Adæ, et uxori ejus tunicas » pelliceas, et vestivit eos, et dixit Dominus: Ecce Adam » factus est sicut unus nostrum, ut sciat bonum et malum⁴. » Non celat Dominus perditos, sed deridet, qui se deos fieri posse consilio diaboli crediderunt. Facti sunt

¹ Gen. ii, 25. — ² Id. iii, 1-5. — ³ Ibid. 6, 7. — ⁴ Ibid. 21, 22.

(1) De hoc adjectivo verbo utitur Augustinus in Genesi ad litteram, lib. xi, num. 4. — (2) Desunt hæc verba in Cod., ubi textus est truncatus.

denique dii, sed diabolo similes, cum a Deo abjecti sunt, pellibus et delicto vestiti. Dixit ergo Dominus, sed deidens: « Ecce Adam factus est sicut uouus nostrum, ut sciat bonum et malum. » O natura magistra libidinis, atque omnium delictorum, ubi est nunc legatus ille tuus serpens antiquus? Ubi tot linguæ? Ubi est illa immortalitas, quam inuidencia Dei sublatam (1) deceptis hominibus promissisti? Si enim non potes miseris reddere, vel illam revoca, quam tulisti. Videte nunc homines quo duce natura peruenti sint. Videte Paradisi exules, velut naufragos, maris foliis ac pellibus vix munitos (2). Da, si potes, natura, miseris vestes, quibus pro vestibus Deus sanctam fecerat nuditatem. Oves lanis cognatis, ut vestibus, et compositæ sunt et onustæ (3); capris capillus impexus et tegimen efficit et decorem; equis, leonibus, tauris, cæterisque feris ac bestiis mollis lanugo subjectis et cutem splendicat et colorem: aves (4) diversicoloribus plumis et pulchræ sunt, et munitæ; serpens ipse, qui vobiscum damnatus est, quotannis tunicas exiit: dum veteres abjicit (5), induit novitatem. Vos solos homines nudos natura suscepit, et propalatur noverca, non mater. Vos rebus omnibus indigentes misericordia publica pecudum pascit ac vestit; vobis lanas oves impertiunt, vobis capræ, boves et cætera pecora ad victum, aut læti tribuunt, aut laborem. Non serviunt vobis ista, sed præstant, aut si imputatis hoc illis, quod eas pascitis, custoditis, quod ab iisdem abigitis bestias, quod iis pabula vel stabula providetis, nec siquidem domini estis, qui vestri auri (6) servitiorum meremini servitatem.

IV. Et hoc emendaverat Deus, ut vos dedicatos (7) effi-

(1) Vocem illam addidimus, quæ evidenter in Cod. desideratur. — (2) Cod. male munit. — (3) Id. male onus a capris. — (4) Id. pessime habes. — (5) Id. male abjicit. — (6) Id. vestro auro. — (7) Id. male dedicatos.

ceret; sed beneficii secundi indulgentiam ingrati homines perdidistis. Pluerat nobis Deus manna de cælo, ut quod desiderii fuerat, hoc saperet; dederat aquam de saxis sponte salientem, ubicumque sitiistis, ne humorem terræ quærentes, fontes foderetis, aut puteos; dederat terram lacte ac melle fluentem, ut nec favos apum, nec ubera pecudum premeretis; dederat botros ultro nascentes, quorum unum homines duo vix cum traverso humeris sustinerent. Invidistis nobis posteris vestris: nam et nos possemus hæc bona percipere, nisi sanctam Dei potentiam sacrilegio læderetis. Quoniam igitur degradare nostræ origini contigit, si vobis tandem sapiens pudor est, ut iis, qui decepti sunt, fuit sapiens poenitudo, vel nunc Dei Filio credite; quod vobis ad vitam proficiat, et salutem.

SERMO II.

De Adam.

Hunc sermonem mutuati sumus ex Bibl. Laurent., Plut. XII, Cod. XIV, fol. 258; dicitur etiam in Cod. Veneto reperiri; de quo vide Bandini, fol. 21, XVII. Nomen præfert sancti Augustini, cui nulla de causa videtur denegandus. Locus ejus post secundum sermonem nostri primi Supplementi.

SYNOPSIS.

I. Adam creatus et instructus ad resistendum temptationibus et acquirendam vitam æternam, cecidit deceptione diaboli per

mulierem. II. Priorum parentum lapsus tristes effectus attulit. III. Quam grande et luctuosum fuerit Adæ peccatum. IV. Deus procurata confusione et confessione peccati, parat misericorditer generi humano redemptionem; unde demonstratur utilitas humilitatis et compunctionis. V. Peccatum post veniam admissum multo gravius est peccato Adami, propter redemptionis gratiæ abusum. VI. Gratiæ ideo maximæ Deo rependendæ pro tantis beneficiis. VII. Hinc niti debemus respondere gratiæ Dei, sequendo Christum ad cœlos ducentem. VIII. Conclusio.

I. NEMO qui nesciat in principio hominem a Deo plasmatum ut instrueretur prudentia, consilio firmaretur, rationis capax divina providentia (1) redderetur; instrueretur, inquam, prudentia qua hostis calliditatem vitaret, consilio quo salutaria secreta requireret, ratione qua Deo creatori parendum esse cognosceret. Etenim Dominus Deus videns hominem innocentem quem fecerat, instruxit, monuit, armavit: quippe qui cum diabolo fuerat pugnaturus, velut quibusdam armis, hoc est, prudentia, consilio, ratione fuerat instruendus. Addidit præterea legem, qua Dei voluntatem cognosceret, et quid continuo eveniret, addisceret. Quia enim homo incautus libentius diabolo persuadenti quam Domino iubenti consensit, et vitam quam habuit, perdidit, et mortem quam ignorabat, accepit. Stabat Adam inter uxorem et diabolum, inter Evam et hostem, inter mulierem (2) et serpentem. Diabolus persuasit, ut noceat: Eva consensit, ut pereat; diabolus mulierem astutia sua fallenter circumvenit: mulier incauta serpentinum (3) virus accepit; diabolus quod per se non potuit, per uxorem Adam protoplastum circumvenit; Adam vero per uxorem invenit interitum, quam a Deo acceperat in auxilium.

(1) Cod. prudentia. — (2) Id. male muliere. — (3) Id. serpentium.

II. Proh dolor (1)! prospera in contrarium cedunt; utilia perniciem operantur. Deinde plus Adam domesticis, quam inimici jaculis læditur; plus proprio, quam hostili ense perimitur; plus mulieris, quam extero gladio vulneratur. Accessit enim serpens subtilis ut falleret; et accessit non ut viro, sed ut mulieri serpentinum virus infigeret: accessit, inquam, ut unius consensu utrique nocere posset (2). Serpens persuasit quod ambobus obesset; utrique obfuit, quod unius animum malitia serpentis infecit. Denique consentiens mulier talis circa virum extitit, qualem circa se malitiam serpentis invenit. At Eva persuasa est (3), et persuasit; infecta est, et infecit; decepta est et decepit. Quæ quidem mulier feritur sententia duplici, altera propria, altera communi: propria, qua filios parere in dolore præcepta est; communi, qua cum viro morti addicta est (4): altera, quia serpenti assensit; altera, quia marito persuasit. De consensu enim, mortis sententiam accepit; de persuasu, in dolore filios parere meruit. Hanc igitur sententiam et qui non novit, dum experitur, discit; et qui nescit, dum expungitur, sentit; et qui ignorat, dum experitur (5), agnoscit.

III. Proh nefas! præceptum Dei contemnitur, et persuasio serpentis auditur. Despicitur Deus providens, et serpens auditur decipiens. Spernuntur salutaria monita, et recipiuntur colloquia venenata. Unde et dicitur homo ex contemptu mori, quia maluit obedire serpenti. Expoliantur gloria, dignitate privantur. Facti sunt quod non erant, dum amittunt quod fuerant a Deo. Gaudet serpens perpetrasse se quod voluit; lætatur peremisse ho-

(1) Cod. male pro dolore. — (2) Id. potuisset. — (3) Id. Eva perfusa est, alias persuasa est, quod evidenter indicat lectionem variantem, quæ in textum incaute irrepit. — (4) Id. addita est. — (5) Hic aliquod latet mendum, quod sanare non potuimus.

minem, quod optavit. Exultat malitia, affectat in hominibus deceptionem implese, et nescit se, infelix, vulneratum esse, dum vulnerat: et dum trucidat hominem, perimit seipsum. Dolet et Dominus hominem mortis sententiam potius meruisse, quam vitæ; meruisse interitum, quam salutem; gloriam contempsisse, quam mortem. Sed tamen plus malitia serpentis, quam hominis contemptu commotus est (1); crudelitatem hostis exhorruit, et deceptum hominem paterna pietate condoluit. Inimicitiae auctore permotus est, et clementer hominem doluit, qui deceptus est.

IV. Denique Dominus Deus inquit: «Ubi es, Adam?» Confessionem (2) provocat, dum interrogat. Vult enim eum fari peccatum, cum ejus novit admissum (3). Quærit misereri; cum reo de culpa colloquitur. Veniam cogitat, qui causam contemptæ legis incusat. Jurgat, culpatur, ut possit reus tribuere veniam; et quos (4) noluerit instituendo firmare, eos possit confitendo purgare. Accipiunt indumenta pellicea, ut qui confessum delictum jam fecerant, veniam cultus humilitate acciperent. Ostendit Dominus quibus officiis possint delicta purgari. Ostendit confessionem et deformitatem cultus, veniam posse facillime impetrare. Ut enim contumacia est celare, quod Deo teste commiseris, sic periculosum est, si splendore cultus animi innocentiam mentiaris. Nemo itaque, nemo peccator vitia desperata lætitia contegat: nemo infecto deliciis animo dissimulationis virus infundat. Animi vitia corporis mœrore monstrentur. Si vexatus est animus, lugeat corpus; quoniam corpus quoties in amaro (5)

(1) Cod. *hominis contemptus commotus est hominis*, ubi verbi hominis iteratio videtur abundare. — (2) Id. *professionem*. — (3) Id. *amissum*. — (4) Id. *quos*. — (5) Sic forte legendum, ut stet sensus; Cod. sine sensu *in anima*.

est, animus mœstitia condolescit. Corporis vitia sine animæ compassione esse non possunt, et animæ vitia corporis compassione probantur. Pariter contristantur, ut pariter veniam consequantur; quoniam utrumque simul aut beneficio foveri, aut injuria vexari necesse est. Neque enim aliud est homo, quam corporis et animæ congregatio. Hæc enim duo quantum diffinitionibus differunt, tantum hominem dum junguntur efficiunt. Ut enim in vita separari non possunt, ita nunquam boni malique merito separantur. Ut enim non potest corpus bonum ab anima separari, ita malum corpus non potest dissociari. Si enim, in die judicii, largiente Deo, indulgentiam mereantur, cur non in isto sæculo pariter aut mœstitia aut lætitia perfruuntur?

V. Unde tibi, Christiane, excusatio nulla est, qui post servitutem liberatus, post captivitatem receptus, post vexationem curatus, post meritas... (1), habes in monitis, ut exerceas; habes exempla, quod timeas. Adam enim nec fallaciam diaboli norat, nec deceptionem cujusquam desleverat, quidquid posset evadere (2), nisi prior cum hoste, dum confligit, occumberet. Te jam instruit Dominus, tibi exempla gestorū proposuit: «Ecce, inquit, sanus factus es, jam noli peccare; ne quid tibi deterius fiat¹.» Noli, inquit, peccare post veniam; noli vulnerari post curam, noli sordidari post gratiam. Cogita, inquit, homo, graviolem culpam esse post veniam; renovatum vulnus pejus dolere post curam, molestius hominem sordidari post gratiam. Qua de re indulgentiæ ingratus est, qui post veniam peccat; sanitare indignus

¹ Joan. v, 14.

(1) Hic aliquid deesse videtur. Forte: *post meritas pœnas absolutus*. — (2) Hic videtur sententia claudicare, quam sanare non præsumo.

est, qui semetipsum, postquam (1) curatus est, vulnerat, nec mundus esse meretur, qui seipsum post gratiam sordidat. Porro qui post absolutionem non peccat, meretur primum; qui post curam cautus est, sanctitatis possidet donum; qui gratiam Dei in lege tenuerit, æternitatis accipiet regnum. Grave est enim hominem instructum delinquere (2), gravius est jam absolutum peccare. Servo peior est, qui patronum post datam libertatem offendit; beneficii ingratus est, qui datorem tumoris arrogantia despicit. Quære autem salutem de exemplo; acquire, aut consortio similem sententiam metue. Ne severum sentias iudicem, qui dignum contempseris persuasorem: « Sic enim dilexit Deus mundum, ut Filium » suum unigenitum daret; ut omnis qui credit in eo non » pereat, sed habeat vitam æternam¹. » Magna et immensa Dei Patris dilectio, et incessabilibus laudibus prædicanda est, et in omni tempore glorificanda, quia ad redimendos nos de æterna morte, vitæ auctor reparare vitam nobis omnipotentem æternumque Filium, qui erat et qui est unius (3) cum Patre et Spiritu sancto potestatis, mittere destinavit; sicut Deus hunc mundum ab initio creavit, ita et per eundem illum renovavit inventeratum atque jacentem in malitia peccati. Ipse enim per suum sanctum adventum, et illuminavit Ecclesiam, et ab iis terrenis segregavit et elevavit conversationibus, quia ei spem vitæ cœlestis tribuit. Erecta enim fuit de tenebris ad lucem, dum se Sol justitiæ præsentavit Christus; sitiienti avidoque populo ejus doctrinæ fluentia manifestavit, perpetuaque dulcedine irrigavit exemplis suis sanctis, per quæ possumus evadere inferni flammias, et adipisci invisibilia bona quæ nunquam finiuntur.

¹ Joan. III, 16.

(1) Cod. male primo quam. — (2) Id. relinquere. — (3) Id. male unus.

VI. Et ideo agenda sunt gratiæ omnipotenti Deo omnium beneficiorum ejus, et considerandum est sine intermissione quanta super nos effusa sint viscera Creatoris nostri. Omnes enim nos ex gentilitate venimus. Antiqui patres nostri idolis serviebant; et derelinquentes Deum a quo facti sunt, deos venerati sunt quos fecerunt. Nos autem per omnipotentis Dei gratiam, ad lucem de tenebris reducti sumus. Reclamamus ergo de quibus criminum tenebris venimus, et de luce fidei quam accepimus, gratiam agamus, id est, de fide recta, et pura intelligentia, et de baptismo, quod accepimus. Neque enim divinam misericordiam intelligit, qui suæ miseriæ memor non est. Unde per Psalmistam Deo dicitur: « Mirifica misericordias tuas, qui salvos (1) facis sperantes in te². » Tunc enim nobis divinæ misericordiæ miræ fiunt, cum nobis ad memoriam miseriæ nostræ revocantur. Ideo debemus amare illum, et ad eum totis viribus anhelare, a quo veraciter ad vitam de errore revocati sumus. Ecce ad fidem atque ad audiendum verbum Domini nostri ex diversa mundi qualitate venimus, atque ex dissimilibus iniquitatibus in sanctæ Ecclesiæ concordiam congregati sumus; ita ut etiam patenter factum esse videatur quod de reprobatione Ecclesiæ per Isaiam dicitur: « Habitabit lupus » cum agno, pardus cum hædo accubabit³. » Nam per charitatis gratiam lupus cum agno habitat, quia hi qui in sævitia raptores fuerunt, cum mansuetis ac mitibus in pace conquiescunt; et pardus cum hædo accubat, quia is qui peccatorum suorum maculis varius fuit, cum eo qui se despicit, et humiliter peccatorem se fatetur, humiliari consentit. Ubi et subditur: « Vitulus, et leo, » et ovis, simul morabuntur³, » quia is qui per contri-

¹ Psal. XVI, 7. — ² Isai. XI, 6. — ³ Ibid.

(1) Cod. male salvum.

tum cor ad quotidianum se Deo sacrificium præparat, et alius qui tanquam leo ex crudelitate sæviebat, et alter qui velut ovis in innocentiae suae simplicitate perdurat, in caulis sanctæ Ecclesiæ convenerunt. Ecce qualis est charitas, quæ diversitates mentium accendit et conflat, et quasi in unam auri speciem reformat.

VII. Sed in eo, quo (1) electi sic se amant, ad illum necesse est ut festinent; ut eum æterno gaudio in cælo videre mereantur. Unus est enim Dominus ac Redemptor noster, qui hic electorum suorum corda ad unanimitatem ligat, et ad supernum amorem per interna desideria excitat. Unde et illic subditur: « Et puer parvulus » juvabit eos¹. » Quis est iste parvulus, nisi de quo scriptum est: « Puer natus est nobis, et filius datus est nobis². » Qui simul habitantes juvat, quia ne in terrenis rebus corda nostra inhæreant, hæc per internum desiderium quotidie inflamat; et hoc ipsum juvare, est amorem suum incessanter accendere, ne cum nos vicissim diligimus, mente in hoc exilio remaneamus. requiesque vite hujus sic placeat, ut ad oblivionem patriæ nos perducat: ne delectata mens prosperis torpeat. Unde et donis suis flagella permiscet, ut nobis omne quod in sæculo delectabat, amarescat; et illud incendium exurgat in animo, quod nos ad cœlestes desiderium excitet. Puer ergo parvulus nos juvat, cum omnipotens Deus per charitatem quam nobis tribuit, in hoc nos mundo mentem figere non permittit; sed per compunctionem, et emendationem morum, et confessionem peccatorum nos ad se invitat. De quo per Psalmistam dicitur: « Introite portas » ejus in (2) confessione³, » et reliqua. Cum enim peccata nostra per lacrymas confitemur, angustæ viæ por-

¹ Isai. xi, 6. — ² Id. ix, 6. — ³ Psal. xcix.

(1) Cod. quod. — (2) Id male confessionis.

tam ingredimur; sed cum post hæc securi ad æternam vitam perducemur, porta nostræ patriæ (1) in confessionum laudibus intrabimus; quia ibi jam angustia non erit, cum nos lætitia æternæ solemnitatis susceperit. Ibi laudibus prædicabimus eum, quem in humilitate carnis pro nostra necessitate legimus, ut nobis omnibus assessum æterni regni præparet.

VIII. Optandum ergo nobis est, ut ad eum citius perveniamus, cum quo omnia bona obtinebimus, cui conditio (2) perpetua est in æthereis arcibus, una est cum Patre potentia, par splendoris claritas, indivisa sublimitas, honor æquus, eadem virtus, sociale fastigium (3), regnum infinitum in ævum.

SERMO III.

De Josepho.

Legitur sermo iste in Cod. Cass. cccclxxxvii, fol. 112 cum hoc titulo: Item sermo unde supra; supra autem habentur sermones sancti Augustini. Nihil continet quod dubitandi de tituli veritate locum præbeat. Ponatur ergo post sermonem præcedentem.

SYNOPSIS.

I. Post mortem Joseph, Judæorum captivitas. II. Ejus historiae allegorica interpretatio. III. Liberationis a Moyse et Aarone factæ interpretatio similiter allegorica. IV. Ægyptus fugienda, ut Deo sacrificium laudis offeratur.

I. Sicut sacra, dilectissimi, Testamenti Veteris nobis

(1) Cod. porta nostra patria. — (2) Id. conditione. — (3) Id. pessime fastidium.

tum cor ad quotidianum se Deo sacrificium præparat, et alius qui tanquam leo ex crudelitate sæviebat, et alter qui velut ovis in innocentiae suae simplicitate perdurat, in caulis sanctæ Ecclesiæ convenerunt. Ecce qualis est charitas, quæ diversitates mentium accendit et conflatur, et quasi in unam auri speciem reformat.

VII. Sed in eo, quo (1) electi sic se amant, ad illum necesse est ut festinent; ut eum æterno gaudio in cælo videre mereantur. Unus est enim Dominus ac Redemptor noster, qui hic electorum suorum corda ad unanimitatem ligat, et ad supernum amorem per interna desideria excitat. Unde et illic subditur: « Et puer parvulus » juvabit eos¹. » Quis est iste parvulus, nisi de quo scriptum est: « Puer natus est nobis, et filius datus est nobis². » Qui simul habitantes juvat, quia ne in terrenis rebus corda nostra inhæreant, hæc per internum desiderium quotidie inflamat; et hoc ipsum juvare, est amorem suum incessanter accendere, ne cum nos vicissim diligimus, mente in hoc exilio remaneamus. requiesque vite hujus sic placeat, ut ad oblivionem patriæ nos perducat: ne delectata mens prosperis torpeat. Unde et donis suis flagella permiscet, ut nobis omne quod in sæculo delectabat, amarescat; et illud incendium exurgat in animo, quod nos ad cæleste desiderium excitet. Puer ergo parvulus nos juvat, cum omnipotens Deus per charitatem quam nobis tribuit, in hoc nos mundo mentem figere non permittit; sed per compunctionem, et emendationem morum, et confessionem peccatorum nos ad se invitat. De quo per Psalmistam dicitur: « Introite portas » ejus in (2) confessione³, » et reliqua. Cum enim peccata nostra per lacrymas confitemur, angustæ viæ por-

¹ Isai. xl, 6. — ² Id. ix, 6. — ³ Psal. xcix.

(1) Cod. quod. — (2) Id male confessionis.

tam ingredimur; sed cum post hæc securi ad æternam vitam perducemur, porta nostræ patriæ (1) in confessionum laudibus intrabimus; quia ibi jam angustia non erit, cum nos lætitia æternæ solemnitatis susceperit. Ibi laudibus prædicabimus eum, quem in humilitate carnis pro nostra necessitate legimus, ut nobis omnibus assessum æterni regni præparet.

VIII. Optandum ergo nobis est, ut ad eum citius perveniamus, cum quo omnia bona obtinebimus, cui conditio (2) perpetua est in æthereis arcibus, una est cum Patre potentia, par splendoris claritas, indivisa sublimitas, honor æquus, eadem virtus, sociale fastigium (3), regnum infinitum in ævum.

SERMO III.

De Josepho.

Legitur sermo iste in Cod. Cass. cccclxxxvii, fol. 112 cum hoc titulo: Item sermo unde supra; supra autem habentur sermones sancti Augustini. Nihil continet quod dubitandi de tituli veritate locum præbeat. Ponatur ergo post sermonem præcedentem.

SYNOPSIS.

I. Post mortem Joseph, Judæorum captivitas. II. Ejus historiae allegorica interpretatio. III. Liberationis a Moyse et Aaron factæ interpretatio similiter allegorica. IV. Ægyptus fugienda, ut Deo sacrificium laudis offeratur.

I. Sicut sacra, dilectissimi, Testamenti Veteris nobis

(1) Cod. porta nostra patria. — (2) Id. conditione. — (3) Id. pessime fastidium.

reservavit historia, post obitum Joseph novus rex in Ægypto surrexit, qui et Joseph ignorabat, et multitudinem filiorum Israël conatus est extinguere. Eos in operibus luti, laterum et palearum affligebat vehementer. Unde et longa servitute oppressi, et operum duritie fatigati, per Moysen et Aaron clamaverunt ad Pharaonem: « Dimitte nos, » ut exeamus de Ægypto; via trium dierum ibimus in » solitudine, ut sacrificemus Deo nostro¹. »

II. Hæc autem historia, dilectissimi, secundum superficiem litteræ, manifesta est, et præclara, et sui pulchritudine lecta simpliciter auditores ædificat; sed multo majorem ædificationem auditorum mentibus conferet, si amoto cortice litteræ occidentis, spiritualis intelligentiæ percipiamus medullam, ut proposito fundamento historiæ, exequamur fastigium allegoriæ. Nos igitur, dilectissimi fratres, nos filii Israël sumus, qui primorum parentum culpa, de Paradisi gaudiis, de regione claritatis, et felicitatis æternæ, in hanc convallem miseriæ et lacrymarum, in regionem tenebrarum et umbræ mortis, quasi in Ægypto miserabiliter sumus expulsi. Sed quandiu Joseph regnavit in Ægypto, Pharaon Dei populum non afflixit (1). Joseph iste Christum significat, qui sola invidia stimulante a fratribus suis, Judæis scilicet, venditus est, et traditus in Ægyptum, qui in Ægypto positus a fratribus suis non est agnitus, quia Christus « In » mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non agnovit². » Quandiu ergo Joseph in Ægypto præfuit, populus non est a Pharaone gravatus. Quousque enim verus Joseph in nobis regnat, quousque Christus in nobis obtinet principatum, Pharaon, id est, diabolus, et contrariæ potestates nos affligere et molestare

¹ Exod. v, 1-3. — ² Joan. 1, 10.

(1) Vide August. epist. cxcix ad Hesychium n. 39 et alibi.

non possunt. Mortuo autem Joseph, rex novus super Ægyptum consurgit, qui Joseph ignorat, et filios Israël in luto affligit et latere. Rex iste novus, fratres mei dilectissimi, diabolus est qui est rex super omnes filios superbiæ, qui Joseph, id est, Christum, ignorat: « Dixit enim » in corde suo: Non est Deus¹, » et Joseph mortuo, populum opprimit. Si enim Christus in nobis fuerit mortuus, si ejus memoria a nostra mente deciderit, tunc rex novus, id est, diabolus, nobis incipit dominari, tunc luti et lateris nobis gravissimum jugum imponit, dum lutulentis et terrenis voluptatibus nos implicat, dum « mundum, et ea quæ in mundo sunt², » diligere nos compellit, dum sensus, et cogitationes nostras in terrenis negotiis occupat, et cœlestia meditari non sinit.

III. Deus autem, cujus opera misericordia est, qui fidelibus suis misereri potius eligit, quam irasci, eorum miseriæ et afflictioni compatiens ad liberandum populum suum, et Pharaonem puniendum per Moysen et Aaron, legem scilicet et sacerdotium delegavit. Unde et ad Pharaonem ingressi dixerunt: « Hæc dicit Dominus Deus: » Dimitte populum meum, ut sacrificet in deserto. Viam » trium dierum ibimus in solitudinem, ut sacrificemus » ibi (1) Deo nostro³. » Notandum est autem, fratres mei, quod filii Israël in Ægypto positi, Deo sacrificare non poterant. Ægyptus enim tenebræ interpretantur, et mundum istum significat, quia amatores suos filios tenebrarum facit, et tenebris ignorantiae, et caligine peccatorum involvit; unde et ad molam deputati, et peccatorum velamine oculos circumligati, in circuitu ambulant, girantes iter sine fine, laborem sine requie, motum sine stabilitate, cursum sine perventione, et cæcitate (2) igno-

¹ Psal. xiii, 1. — ² 1 Joan. ii, 15. — ³ Exod. v, 1-3.

(1) Col. in. — (2) Id male cæcitatæ.

rantiae percussi, ostium (1) veritatis invenire non possunt. In hac ergo regione tenebrarum et mortis, filii Israël sacrificare non possunt, ubi ranæ perstrepunt in penetralibus, muscarum impetus de limo surgentium ruit in oculos, ubi pestilentia, ubi omnis idololatria regnat, omne dæmonium adoratur.

IV. Exeundum est igitur de Ægypto, ne ranæ garrulitate sua Israëlitarum quietem perturbent, ne « Muscæ » morientes perdant suavitatem unguenti¹, » et commaculent sacrificium. Et exemplo beati Abraham provocati, « De terra et cognatione nostra, et de domo patris nostri » egrediamur², » venientes ad terram, quam nobis monstraverit Dominus. Cum beato Josepho, relicto in manu adultera pallio, prosiliamus foras, et cum adolescente evangelico, relicta sindone, nudi Dominum prosequamur, et veniamus viam trium dierum in solitudine, ut sacrificemus Deo nostro. Via ista per quam ad solitudinem ire præcipimur, Christus est, qui ait: « Ego sum via, veritas, et vita³; » et alibi: « Nemo venit ad Patrem, » nisi per me⁴. » Per hanc ergo non motu corporis, sed affectu, ad solitudinem mentis, et quietem conscientiae veniendum est. Divina enim lex in quiete addiscitur et silentio. Quandiu enim sumus in strepitu peccatorum, quandiu sumus in procella et turbine vitiorum, ad solitudinem non accedimus; sed cum sedatis vitiorum tumultibus, in vera pace et virtutum tranquillitate quiescimus, Deo sacrificium laudis offerimus. Sed ad hanc solitudinem per triduanam dietam pervenitur. Prima dieta est, qua fidelis anima in hortum inducitur; secunda, qua in cellam vinariam intromittitur; tertia, qua in regis cubiculum introducitur. Necesse est enim ut anima, quæ

¹ Eccle. x, 1. — ² Gen. xii, 1. — ³ Joan. xiv, 6. — ⁴ Ibid.

(1) Cod. pessime *hostium*.

in carnalibus desideriis prius suam habebat dulcedinem, de Ægypto subtracta, pro itinere fatigata, in horto Christi ingressa, consolationem et delectationem inveniat, ubi sunt plantaria spiritualium fructuum, et odora menta virtutum, ut sic confortata, et refecta, quantum prius oblectabatur in operibus carnis, tantum delectetur postmodum et gaudeat in virtutibus. Unde et ei in Canticis dicitur: « Veni in hortum meum, soror mea, sponsa » mea¹. » Secunda dieta est, qua in cellam vinariam a rege introducitur. Cella vinaria, divina Scriptura est, in qua vinum spiritualis intelligentiæ continetur, quod fidelium mentes inebriat, et interioris hominis cor lætificat. Postquam enim anima in virtutibus delectata, ab exteriori curiositate, qua occupata fuerat, revocatur, cellam vinariam ingressa, in Scripturis sanctis exercetur, et in lege Domini meditatur die ac nocte. Unde in Canticis dicitur: « Introduxit me rex in cellam vinariam². » Tertia dieta est, qua in regis cubiculum anima introducitur. Regis hoc cubiculum arcanum est contemplationis, et secretum meditationis. Fidelis enim anima per hortum virtutum ab amore temporalium separata, et in cella vinaria divinæ Scripturæ meditatione erudita, in secreto et solitudine mentis, quasi in quodam cubiculo clauditur, et assidua meditatione divino amori inhærendo, clauso ostio in monte contemplationis adorat Patrem suum, et Deo offert sacrificium laudis.

V. Vos igitur, dilectissimi, quos non carnalis generatio, nec circumcisio facta in carne, sed observantia mandatorum Dei veros fecit Israëlitas, exemplo præcedentium Patrum Ægyptum fugite, Pharaonis imperium declinate, lutea et terrena opera, quibus estis occupati, abjicite. Ægyptiorum consortia, quæ vos contaminant et

¹ Cant. v, 1. — ² Id. ii, 4.

corrumpunt, devitate, et clamantes ad Dominum in fortitudine, liberi et expediti cum Moyse et Aaron, per viam trium dierum, bene scilicet cogitando, loquendo et operando, ad quietem et solitudinem mentis venite, et sacrificium devotionis et laudis sacrificate Domino Deo vestro, qui vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

ALERE FLAMMAM
VERITATIS

SERMO IV.

De Verbis Evangelii Matthæi: *Cum venisset Jesus in domum Petri, vidit soerum ejus jacentem, et febricitantem.* Matth. VIII, 14.

Sermonem hunc extraximus ex Biblioth. Laurent., Plut. XVI, Cod. XXI, ubi nomen præfert sancti Augustini. Codex valde defectuosus sexcenta continet menda, quæ pro viribus resarcire tentavimus. Locus ejus post sermonem Maurinensem LXII.

SYNOPSIS.

I. Socius Simonis infidelitatis exemplar. II. Quid significant vespertinæ curationes? III. Cur trans fretum ire jubentur Apostoli? IV. De Scriba qui Christo vult ubicumque adherere. V. Quo sensu dictum sit: *Dimitte mortuos sepelire mortuos suos.*

I. In soerum Petri vitiosa infidelitatis æstimatur affectio, cui adjacet libertas voluntatis, quæ nos quadam sibi conjugii societate conjungit. Ergo ingresso Domino in

Petri domum, id est, in corpus (1), curatur infidelitas peccatorum. Calore æstuans (2) vitiorum, ægra damnatur, mox deinde sanata (3), officii famulatu ministrat. Nam primus credidit (Petrus), et Apostolorum est princeps, et quod in eo ante languebat, Dei verbo invalescens, ministerio tanquam publicæ salutis operatur. Recte autem hanc ex soeru Petri similitudinem ad affectionem infidelitatis aptari (4), loco qui de nuru et soeru consequitur, tractabimus: nunc autem ideo infidelitas soerus Petri nuncupabitur, quia usquedum credit, voluntatis suæ servitio detinebatur.

II. «Vespere autem facto, obtulerunt ei multos dæmonia habentes, et ejiciebat spiritus immundos¹.» Curationem promiscuam horis vespers, concursus eorum, quos post passionem suam docuit, recognoscimus. Omnium peccata dimittens, omnium iniquitatem auferens, et malarum voluntatum insidiantium incentiva depellens, passione (5) corporis sui secundum Prophetarum dicta infirmitates humanæ imbecillitatis absorbit (6).

III. «Videns autem Jesus turbas multas circum se,» jussit Discipulis suis ire trans fretum. Et accedens ad eum quidam Scriba, ait: Magister, sequar te quocumque ieris², et reliqua. Multa incurrunt quæ sensum commune movere possent, atque nos non intelligentiam fingimus, sed gesta ipsa nobis intelligentia impertiunt. Neque enim res intelligentiæ, sed rei intelligentiam obsecundat. Turbæ plures sunt, et ire trans fretum Discipulos (7) præcepit; non æstimo cadere in Salvatoris bonitatem, ut circumcursantes relinquere voluerit; et

¹ Matth. VIII, 16. — ² Ibid. 18, 19.

(1) Cod. corpore. — (2) Id. addit, et quæ vox videtur redundare. — (3) Id. sanato. — (4) Id. optari. — (5) Id. male passionem. — (6) Id. absorbens. — (7) Id. fretus discipulus.

secretum quoddam impertiendæ salutis eligere. Deinde consequitur scriba dicens Magistrum se quocumque ierit secutum, sed nihil ad Scribam dictum factumve loquitur, quod possit offendere. Dominus respondit vulpibus esse foveas, et cœli volucris nidos quiescendi, Filio autem hominis, quo reclinet caput suum, locum esse nullum¹. Et Discipulo postulanti, dari sibi tempus patris (1) sepeliendi, hoc negatum videmus (2), et pii atque humani officii vitam religionem. Ergo rerum tantarum et tam diversarum ratio promenda est, atque ita, ut secundum continentem rerum ordinem, et gravissimas ipsius veritatis causas, interioris significationis intelligentia (3) explicetur. Discipulorum nomen non in duodecim tantum Apostolorum versari existimandum est (4). Nam præter Apostolos, plures fuisse Discipulos legimus. Ex omni igitur turba quædam fieri videtur electio, eorum scilicet, qui Dominum per multa sæculi hujus pericula et jactationes (5) essent secuturi. Ecclesia enim instar est navis, et plurimis locis ita nuncupata est, quæ diversissimi generis et gentis vectore suscepto, subjecta est turbinibus (6), et ventorum flatibus et miris motibus; atque ita illa et sæculi, et immundorum spirituum vexatur incursibus. Propositis enim periculorum omnium motibus (7), navem, id est, Ecclesiam, introimus, scientes nos mari ventisque jactandos. Ut igitur ordo typicæ significationis (8) cohæreret, possetque (9) intelligi fidelium conscendentium navem, et infidelium turba residentium, Scribæ et Discipuli personam subjungit.

IV. Et quidam Scriba, qui est ex doctoribus unus le-

¹ Matth. viii, 20.

(1) Cod. patri. — (2) Deest verbum *videmus* in cod. — (3) Id. *intelligentiam*. — (4) Id. *esse*. — (5) Id. *jactationes*. — (6) Id. male, ut videtur, *hominibus*. — (7) Id. *montibus*. — (8) Id. *significantia*. — (9) Id. male *quæ*.

gis, an sit secuturus interrogat, quasi crederet, vere non hunc esse Christum, quem sequi esse utile (1) confiteretur. Igitur fidelitatis affectum sub diffidentia interrogationis expressit, quia fidei assumptio non interroganda est, sed sequenda. Ut autem eadem interrogatio infidelitatis esset mulctata (2) iudicio, Dominus respondit vulpes habere foveas, et volucres cœli nidos, quibus requiescant, hominis autem Filium non habere ubi caput reclinet. Vulpes est animal insidiosum, circa domorum se occultans foveas, et domesticis avibus insidians, atque hoc nomine pseudopphetas nuncupari aliquo (3) loci legimus. Volucres cœli sæpenumero immundos spiritus cognominari didicimus. Dei ergo Filius paucitatem sequentium configens (4), et doctorem legis diffidentem an sequeretur, exprobrat ipsis pseudopphetis foveas, et immundis spiritibus nidos quiescendi, quod extra navem relictis, id est, extra Ecclesiam positi, effecti sint incolatus pseudopphetarum, et habitatio dæmonum; Filium autem hominis, se scilicet, cui caput Deus sit, non reperire, in quibus, collata Dei cognitione, requiescat: invitatis omnibus, sed ut in navem, ita in Ecclesiam, paucis inter motus (5) maris, id est, sæculi, secuturis.

V. Adest post hæc Discipulus non interrogans, an sequatur, jam enim sequi oportere se credit, sed permitti sibi orans sepelire patrem. Accepimus in Dominicæ Orationis exordio ita primum precandum (6): « Pater noster,

(1) Cod. sine sensu, imo et sine latinitatis colore, *quali lege... quem sequisset cetile*; videat correctionem lector, et iudicet. — (2) Id. *puritate*, quæ vox apertum est mendum; an bene correxerimus attendat lector. — (3) Id. *aliquos*. — (4) Dubie legitur cod. ita, ut non satis appareat, utrum scriptum sit verbum *continens*, an *confitens*. Prius sensum non habet; posterius contra latinitatem peccat; forte scripserat auctor *configens*, quod iudices. — (5) Id. non habet *inter*, et legit *motu*, quod nullum sensum repræsentat. Sic divinantis more emendavimus. — (6) Cod. *predicandum*.

» qui in cœlis es¹. » Ergo credentis in Discipulo populi persona admonetur, ut meminerit quod Pater sibi visibilibus in cœlis est. Sequi autem Dominum jubetur, quia et volebat; ita ut mortui mortuum sepeliant. Sed nullum arbitror officium expectari (1) a mortuis posse; quomodo ergo a mortuis mortuus (2) humabitur? Primum igitur ostendit perfectam in se quidem, nullam (3) sæcularis in alterum officii religionem esse devinctam; deinde inter fidelem filium patremque infidelem, hujus patris (filio officium) (4) non relinqui. Non igitur obsequia humandi patris negavit, sed addendo: « Remitte mortuos sepelire » mortuos suos, » admonet non admisceri memoriæ sanctorum mortuos infideles; mortuos autem etiam eos esse qui extra Deum vivunt, et idcirco commutua mortis officia relinquenda, ut mortui sepeliantur a mortuis, quia per Dei fidem vivos vivo oporteat adhærere.

¹ Matth. iv, 9.

(1) Cod. *expectare*. — (2) Id. *mortui mortuos*. — (3) Id. *nulla*. —

(4) Id. *sine sensu et latinitate in nominis*; in cuius mendi fine clare supponi potest scriptum fuisse *officium* aut *officio*.

SERMO V.

De Verbis Evangelii secundum Matthæum: *Dixit Jesus Discipulis suis parabolam hanc: Simile factum est regnum cœlorum homini, qui seminavit bonum semen in agro suo, etc.* Matth. XIII, 24-30.

Sermo sequens legitur in Cod. Cass. cix, fol. 198, cum nomine sancti Augustini, cujus stylum redolet et ingenium, ut patebit cuilibet legenti Sermones antea vulgatos XLII, n. 6 et 17, LXXXVIII, n. 21, et LXXIII, n. 1 et seqq., et Quest. septemdecim in Matth. n. 11. Ponatur post sermonem Maurinensem LXXIII.

SYNOPSIS.

I. Expositio et explicatio parabolæ zizaniorum. II. Qui est zizania, fiat præsto triticum. III. Non mirandum si zizania ubique sint, etiam in loco sancto.

I. AUDIVIMUS sanctum Evangelium, et loquentem in Evangelio Dominum Christum. Inde loquamur quod ipse donabit. Parabola ista, fratres, laboriosa esset fortasse ad exponendum nobis, sed compendium nobis fecit, quia ipse exposuit, qui proposuit. Qui legit quidem Evangelium, eo usque legit ubi Dominus ait: « Colligite primum » zizania, et alligate fasciculos ad comburendum ea, tri-

» ticum autem recondite in horrea ¹. » Sed postea Discipuli ejus, sicut scriptum est, « Accesserunt ad eum, et » dixerunt ei: Enarra nobis parabolam zizaniorum ². » Et qui est in sinu Patris, ipse enarravit: « Qui seminat bonum semen, ait, filius est hominis, » de seipso. « Ager » est mundus; bonum autem semen, hi sunt filii regni; » zizania autem, filii maligni. Inimicus autem qui ea seminat, diabolus est: messis est finis sæculi, messores » autem Angeli sunt. Cum ergo venerit Filius hominis, » mittet Angelos suos, et colligent de regno ejus omnia » scandala, et mittent in caminum ignis ardentis, ubi est » fletus et stridor dentium. Tunc justi fulgebunt sicut sol » in regno Patris sui ³. » Verba dixi Domini Jesu Christi, quæ non sunt lecta, sed sic sunt scripta. Exposuit ergo nobis Dominus, quod proposuit. Videte quid in agro ejus eligamus esse. Videte quales nos messis inveniat. Ager enim, qui est mundus, Ecclesia est diffusa per mundum. Qui triticum est, perseveret usque in messem. Qui sunt zizania, mutantur in triticum. Hoc interest inter homines et veras spicas et vera zizania, quæ in agro sunt. Quæ spica est, spica est; quæ zizania sunt, zizania sunt. In agro autem Domini, id est, Ecclesia, aliquando quod erat frumentum, vertitur in zizania, et aliquando, quæ zizania erant, convertuntur in frumentum, et nemo scit quid cras futurum sit. Ideo operarii indignati paterfamilias, cum (1) vellent et zizania tollere, non sunt permisi. Voluerunt enim tollere; non illis permissum est zizania separare. Fecerunt ad quod idonei erant; separationem Angelis servaverunt. Et quidem illi volebant servare Angelis separationem zizaniorum; sed paterfamilias qui noverat

¹ Matth. XIII, 30. — ² Ibid. 36. — ³ Ibid. 37-42.

(1) Cod. *et cum*; et videtur abundare.

omnes, et dimittendam esse separationem, jussit eis zizania tolerare, non separare. « Non, inquit; cum dixissent: Vis ut eamus et colligamus ea? Non, ne forte, » cum vultis colligere zizania, eradicetis simul et triticum ¹. » Ergo, Domine, simul et zizania nobiscum erunt in horreo? « In tempore messis, dicam messoribus: Colligite primum » zizania, et alligate fasciculos ad comburendum ea ². » Tolerate in agro, quod non habebitis vobiscum in horreo.

II. Audite, charissima grana Christi; audite, charissimæ spicæ Christi; audite, charissima frumenta Christi. Attendite vos, redite ad conscientias vestras. Interrogate fidem vestram; interrogate charitatem vestram. Discutite conscientiam vestram. Et si vos frumenta inveneritis, veniat vobis in mentem: « Qui perseveraverit usque in finem, » hic salvus erit ³. » Quicumque autem discussa conscientia sua, inter zizania se invenerit, non timeat mutari; nondum jubetur secari, nondum est messis. Noli esse hodie quod heri; vel cras, noli esse quod hodie es. Quid tibi prodest quod dicis quandoque, quia mutaberis? Deus tibi mutato indulgentiam promisit, diem cratinum non promisit. Qualiscumque exieris de corpore, talis venies ad messem. Mortuus est, nescio quis; qui zizania erat, numquid ibi triticum habet fieri? Hic in agro fit aut de zizaniis triticum, aut de tritico zizania. Hic possunt; alibi autem, id est, post illam vitam, tempus est percipiendi quod fecit, non quod non fecit faciendi. Quisquis autem hic zizania fuerit, et ab agro Domini Christi seipsum separare voluerit, non erit ibi triticum. Nam si permaneret utique triticum zizania, quid timet triticum? Sinite utraque crescere usque ad messem: paterfamilias dicit: Simul crescant. Messores non errant; noverunt unde manipulos faciant, et in ignem mittant. De tritico

¹ Matth. XIII, 28, 29. — ² Ibid. 30. — ³ Id. X, 22.

autem non possunt manipuli fieri, et in ignem mitti. Manipuli separationem ostendunt.

III. Habet ibi manipulum suum Arius; habet ibi manipulum suum Eunomius; habet ibi manipulum suum Photinus; habet manipulum suum Donatus; habet manipulum suum Manichæus; habet ibi manipulum suum Priscillianus. Omnes isti discipuli in ignem mittuntur. Secura sunt frumenta pura, in horreo (1) lætabuntur. Ubi autem inimicus ille non seminavit zizania? Quod genus, quem locum frumentorum invenit, et non zizania sparsit? Numquid seminavit inter laicos, et non seminavit inter clericos, aut inter episcopos? aut seminavit inter conjugatos, et non seminavit inter sanctimoniales? aut seminavit in domibus laicorum, et non seminavit in congregationibus monachorum? Ubique sparsit, ubique seminavit. Quid non permixtum dimisit? Sed Deo gratias, quoniam qui dignabitur separare, nescit errare. Non enim latet Charitatem vestram, quia in quacumque excelsa et exaltata messe zizania inveniuntur, et in professione zizania inveniuntur; et dicitis: In illo loco, et ibi inventi sunt mali. Sed ubique inventi mali, sed non semper regnabunt cum bonis mali. Quid mireris quia invenisti malos in loco sancto? Nescis quia primum peccatum, in Paradiso fuit inobedientia? Et per ipsam cecidit angelus; numquid inquinavit coelum? Cecidit Adam; numquid inquinavit Paradisum? Cecidit unus de filiis Noë; numquid inquinavit Justi domum? Cecidit Judas; numquid inquinavit Apostolorum choros? aliquando autem, secundum humanum iudicium putantur aliqua frumenta, et zizania sunt; et putantur aliqua zizania, vere autem frumenta sunt. Propter ista latentia, dicit Apostolus: « Nolite ante tempus quidquam iudicare, donec veniat

(1) Cod. male horrea.

» Dominus, et illuminet abscondita tenebrarum; et manifestabit cogitationes cordis, et tunc laus erit unicuique a Deo¹. » Transit laus hominis; aliquando homo sanctum accusat, et nescit. Dominus ignoscat nescientibus, subveniat laborantibus.

SERMO VI.

De Verbis Evangelii secundum Matthæum: *Audivit Herodes tetrarcha famam de Jesu, et ait pueris suis: Hic est Joannes Baptista; ipse surrexit a mortuis et ideo virtutes operantur in eo, etc.* Matth. XIV, 1, 2. (1)

Hic sermo legitur in quinque codicibus cum nomine sancti Augustini, cujus certissime factus est, ut legenti cuilibet patebit; nempe: 1° in Biblioth. Laurent. Plut. XVII, cod. XXXVI, fol. 281; 2° in Sanctæ Crucis Plut. XXX, cod. II, fol. 159 b; 3° in Bibl. Ædil. cod. CXLII, fol. 165; 4° ibid. cod. CXLIII, fol. 264 b; 5° denique in Bibl. Laur., cod. IV, Plut. XXXIII sinistr., fol. 186. Locus ejus post sermonem Maurinensem LXXIV.

SYNOPSIS.

I. Joannes Baptista martyr fuit. II. Omnes cum Joanne possunt esse martyres. III. Non timendus mortem minans inimicus. IV. Causa, non supplicium martyres facit. V. Ad mortem usque certandum pro veritate contra diabolum insidiantem. VI. Adjuratio ad bene vivendum.

¹ 1 Cor. iv, 5.

(1) Cod. male habet in titulo: *Lectio S. Evangelii secundum Marcum*; hæc enim verba leguntur, non in Marci, sed in Matthæi evangelio.

autem non possunt manipuli fieri, et in ignem mitti. Manipuli separationem ostendunt.

III. Habet ibi manipulum suum Arius; habet ibi manipulum suum Eunomius; habet ibi manipulum suum Photinus; habet manipulum suum Donatus; habet manipulum suum Manichæus; habet ibi manipulum suum Priscillianus. Omnes isti discipuli in ignem mittuntur. Secura sunt frumenta pura, in horreo (1) lætabuntur. Ubi autem inimicus ille non seminavit zizania? Quod genus, quem locum frumentorum invenit, et non zizania sparsit? Numquid seminavit inter laicos, et non seminavit inter clericos, aut inter episcopos? aut seminavit inter conjugatos, et non seminavit inter sanctimoniales? aut seminavit in domibus laicorum, et non seminavit in congregationibus monachorum? Ubique sparsit, ubique seminavit. Quid non permixtum dimisit? Sed Deo gratias, quoniam qui dignabitur separare, nescit errare. Non enim latet Charitatem vestram, quia in quacumque excelsa et exaltata messe zizania inveniuntur, et in professione zizania inveniuntur; et dicitis: In illo loco, et ibi inventi sunt mali. Sed ubique inventi mali, sed non semper regnabunt cum bonis mali. Quid mireris quia invenisti malos in loco sancto? Nescis quia primum peccatum, in Paradiso fuit inobedientia? Et per ipsam cecidit angelus; numquid inquinavit coelum? Cecidit Adam; numquid inquinavit Paradisum? Cecidit unus de filiis Noë; numquid inquinavit Justi domum? Cecidit Judas; numquid inquinavit Apostolorum choros? aliquando autem, secundum humanum iudicium putantur aliqua frumenta, et zizania sunt; et putantur aliqua zizania, vere autem frumenta sunt. Propter ista latentia, dicit Apostolus: « Nolite ante tempus quidquam iudicare, donec veniat

(1) Cod. male horrea.

» Dominus, et illuminet abscondita tenebrarum; et manifestabit cogitationes cordis, et tunc laus erit unicuique a Deo¹. » Transit laus hominis; aliquando homo sanctum accusat, et nescit. Dominus ignoscat nescientibus, subveniat laborantibus.

SERMO VI.

De Verbis Evangelii secundum Matthæum: *Audivit Herodes tetrarcha famam de Jesu, et ait pueris suis: Hic est Joannes Baptista; ipse surrexit a mortuis et ideo virtutes operantur in eo, etc.* Matth. XIV, 1, 2. (1)

Hic sermo legitur in quinque codicibus cum nomine sancti Augustini, cujus certissime factus est, ut legenti cuilibet patebit; nempe: 1° in Biblioth. Laurent. Plut. XVII, cod. XXXVI, fol. 281; 2° in Sanctæ Crucis Plut. XXX, cod. II, fol. 159 b; 3° in Bibl. Ædil. cod. CXLII, fol. 165; 4° ibid. cod. CXLIII, fol. 264 b; 5° denique in Bibl. Laur., cod. IV, Plut. XXXIII sinistr., fol. 186. Locus ejus post sermonem Maurinensem LXXIV.

SYNOPSIS.

I. Joannes Baptista martyr fuit. II. Omnes cum Joanne possunt esse martyres. III. Non timendus mortem minans inimicus. IV. Causa, non supplicium martyres facit. V. Ad mortem usque certandum pro veritate contra diabolum insidiantem. VI. Adjuratio ad bene vivendum.

¹ 1 Cor. IV, 5.

(1) Cod. male habet in titulo: *Lectio S. Evangelii secundum Marcum*; hæc enim verba leguntur, non in Marci, sed in Matthæi evangelio.

I. DE præsentis capitulo, fratres dilectissimi, sancti Evangelii quod nos Dominus docere voluit, certe Ecclesia Christi non ambigit quod martyr sit Joannes, et ante passionem Domini martyrium meruit. Ante natus, ante passus, non tamen salutis auctor, sed iudicis præcursor. Præibat enim ante Dominum sumens ipse obsequium humile, dans altitudinem cœlesti Magistro. Unde dicimus martyrem esse Joannem? Numquid a persecutoribus Christianorum comprehensus, abductus (1), interrogatus, Christum confessus, et passus est? Hoc enim cæteri martyres post Christi passionem possunt dici. Iste ergo unde martyr? quia decollatus est? non enim facit martyrem poena, sed causa. Quia offendit potentem mulierem? unde offendit? qua de re offendit? Dicendo verum regi, marito ejus facto (2), quia non liceret (3) ei habere uxorem fratris sui. Veritas odium meruit, et odium merendo ad passionem, coronamque pervenit. Hi sunt fructus futuri sæculi. Saltat denique luxuria, et damnatur innocentia, sed ab hominibus damnatur, a Deo omnipotente coronatur.

II. Nemo ergo dicat: Non possum esse martyr, quia persecutio non est Christianis. Audi (4) quia Joannes martyrium tulit; at si verum consideres pro Christo mortuus est. Quomodo, inquis (5), pro Christo, qui non est interrogatus de Christo, nec coactus negare Christum. Audi ipsum Christum dicentem: « Ego sum via, » et veritas, et vita⁴. » Si Christus est veritas, pro Christo patitur quisquis pro veritate damnatur, et legitime coronatur. Nemo ergo se (6) excuset; omnia tempora patent

¹ Joan. xiv, 6.

(1) Cod. II, male *adductus*. — (2) Ita cod. II; cod. xxxvi, male *maritus ejus factus*. — (3) Cod. II *non licet*. — (4) Ita cod. II; cod. xxxvi *minus bene audis*. — (5) Ita cod. cxli; cod. xxxvi, *inquit*. — (6) Hanc vocem addit cod. cxli, quæ deest in cod. xxxvi.

martyribus. Nec aliquis dicat persecutionem non fieri Christianis. Sententia Pauli apostoli revocari (1) non potest, quia vera est. Christus per eum est locutus, non est mentitus. Ait enim: « Omnes qui pie volunt vivere » in Christo Jesu, persecutionem⁴ patientur (2). » Omnes ait, neminem exclusit, neminem separavit. Si verum vis probare quod dixit, incipe pie vivere in Christo, et videbis verum esse quod dicit (3). Numquid quia persecutio a terrenis regibus conquivit (4), ideo diabolus non sævit. Ille hostis antiquus semper contra nos vigilat; non dormiamus; illecebras suggerit, insidias, cogitationes malas immittit, ut te (5) deteriori lapsu provocet; lucra ponit, damna minatur. Venitur (6) ad articulum ejus, et cum labore malum suggestionis respuitur, ut præsens mors libenter suscipiatur. Intelligite, fratres; si quis te cogat (7), verbi gratia nobilis quidam, et habens in potestate (8) sanguinem tuum, cogat te falsum dicere testimonium, et non tibi dicat: Nega Christum; quid putas eligeres (9)? Falsum, an mori pro vero? Et tamen nihil tibi aliud dicit persecutor quam: Nega Christum. Si enim Christus est veritas, ut jam diximus, profecto Christum negat, qui veritatem negat. Omnis autem negat verum, qui mendacium loquitur. Ipse qui dicit falsum testimonium, unde? quia timet? certe. Non est persecutio omnibus Christianis, quando pro veritate certa-

¹ 2 Tim. III, 12.

(1) Ita cod. II, pro *vocari*, quod male scriptum est in cod. xxxvi. — (2) Sic cod. cxli; cod. xxxvi *patientur*, qui et paulo post *omnis* habet pro *omnes*, quod legitur in cod. cxli. — (3) Ita cod. xxxvi; cod. autem II *quod dico*. Cod. cxli *quæ dico*. — (4) Cod. cxli, *quievit*, et postea *ita pro ideo*. — (5) Hanc vocem addit cod. II, quæ desideratur in cod. xxxvi. — (6) Sic cod. cxli; cod. autem xxxvi *venis*. — (7) Ibid.; id xxxvi, *cogit*. — (8) Ita cod. II; cod. xxxvi *in potestatem*. — (9) Sic cod. II; cod. cxli *quid putas? eligere*. Cod. xxxvi *quid putas? eligeres*, etc.

tur (1)? Modo singuli probantur, et in causa sua unusquisque tentatur.

III. Quid (2) tibi autem, minans cædem (3), sitiens sanguinem, inflatus potestate, elatus ut fumus, quid tibi facturus (4) fuerat inimicus tuus, qui te ad perjurium et falsum testimonium compellebat, quid erat facturus? Respondit infirmitas: Occideret (5) me, inquit. Non te occideret. Prorsus ego scio, occideret. Si ita est, et ego respondeo (6): Tu, frater, animam (7) occidis, qui falsum testimonium dicis. Occideret autem ille, sed corpus tuum. Quid faceret animæ tuæ? Domus dejiceretur, coronaretur habitator. Ecce quod (8) tibi facturus fuerat inimicus tuus, si stetisses in veritate, et falsum testimonium non dixisses. Occideret utique, sed corpus, non animam. Audi Dominum tuum dantem sollicitudinem: « Nolite, inquit, timere eos qui occidunt corpus, » et postea non habent quid faciant (9), sed eum time » qui habet potestatem corpus et animam occidere et in » gehennam mittere. Ita dico vobis: Hunc time¹. » Hunc timuit Joannes, noluit tacere veritatem, et pertulit malorum (10) hominum iniquitatem. Meruit per impudicam mulierem regis odium, et pervenit ad martyrium.

IV. « Omnes enim qui (11) volunt in Christo pie vivere², » tali persecutione concutiuntur. Nam persecutionem patiuntur pro lucro sæculi, aut pro timore damni,

¹ Luc. XII, 5. — ² 2 Tim. III, 2.

(1) Ita cod. II; cod. XXXVI certantur. — (2) Sic cod. XXXVI; cod. XLI quod. — (3) Cod. CXLII cædere. — (4) Hanc vocem addit cod. CXLII, quæ deest in Cod. XXXVI. — (5) Sic cod. XXXVI; cod. II occidere. Deinde cod. CXLII inquis pro inquit. — (6) Cod. CXLII respondebo. — (7) Sic cod. II; cod. XXXVI tu te, frater, occidis. Cod. CXLII tu, frater, occidis. — (8) Ita cod. CXLII; cod. XXXVI quid. — (9) Sic cod. II; cod. CXLII quod faciunt; cod. XXXVI quid faciunt. — (10) Cod. CXLII malignorum. — (11) Ita cod. XXXVI; cod. CXLII quicumque volunt.

aut pro vita præsentis, aut pro comminatione mortis, quia hoc sæculum (1) sine persecutione non est. Sed discernendum est, quis, pro quo (2) patiatur. Et erunt martyres veri, si pro veritate, quod est Christus, certentur (3), et legitime coronentur. Nam qui pro hoc sæculo, quod (4) in malo est, patitur persecutionem, supplicium temporale sustinere potest.

V. Ergo, fratres, hoc (5), didicimus in lectione præsentis pro veritate usque ad mortem dimicare, et falsum testimonium non dicere, non perjurare, tenere iustitiam in periculis. Nam non est magnum tenere (6) iustitiam in securitate, aut in deliciis. Semper existimemus vigilare adversum nos diabolum, tentatorem et persecutorem nostrum, et in nomine et in adiutorio Domini Dei nostri vigilemus ferventius contra illum, ne in aliquo nos per cupiditatem, qua (7) solet tentare, superet; quia quem non (8) vincit cupiditas et (9) timor, quæ sunt tela inimici? unde homines, qui (10) in hoc sæculo spem habent, variis laqueis implicantur, ita ut non prævaleant obtinere veritatem. Duas denique januas habet diabolus, per quas pulsatur, ut intret: primo per cupiditatem, postea per timorem. Si ambas januas clausas apud fideles invenerit, transit. Et quæ est, inquis (11), cupiditas? Quid timor? Audi, quæ est, ut non cupias (12) quod

(1) Sic cod. XXXVI; cod. CXLII quia in hoc sæculo. — (2) Ita cod. II; cod. XXXVI male quis pro qui. — (3) Sic cod. II; cod. XXXVI certentur. — (4) Ibid. qui. — (5) Ita cod. II; cod. XXXVI addit ante hoc conjunctionem quoniam, quæ redundat; deinde cod. CXLII male dicimus pro didicimus. — (6) Cod. II male tenete. — (7) Id. CXLII male quam. — (8) Ita legendum cum cod. CXLII, addendo negationem non, quæ desideratur in cod. XXXVI, et ponendo interrogationis punctum. — (9) Cod. CXLII nec. — (10) Sic cod. II, in quo deinde deest hoc. Cod. autem XXXVI habet vocem hoc, sed in eo qui desideratur. Cod. CXLII habet qui in hoc. — (11) Sic cod. XXXVI; cod. CXLII inquit. — (12) Cod. CXLII male inconcupias.

præterit, et non timeas quod in tempore deficit et perit (1); et tunc demum nidum, ubi inimicus inhabitet (2), non inveniet; quia certamen nobis positum est usque in finem; non solum nobis quidem (3), qui in superiori loco stamus vel sedemus, et ad ad vos loquimur, sed in omnibus membris Christi certamen positum est.

VI. Pro qua (4) re usque hodie in Numidia consuetudo est sic adjurare (5) servos Dei: Si vincas. Vides quia non sine causa pugnantis, talis conjuratio dicitur. Nam, et hic ubi loquimur apud Carthaginem, et omni provincia proconsulari et Bizacæna, sed et Tripoli, iste est sermo consuetudinis adjurare se invicem servos Dei: Per coronam tuam. Quam coronam nullus accipiet, nisi vicerit. Et ego vos adjuro per coronam vestram, ut contra diabolium toto corde pugnetis, et si simul vicerimus, simul et coronemur (6). Ut quid nobis dicitis: Per coronam vestram, et male agitis, male vivitis? Bene vivite, bene agite, et foris et intus bonam conversationem habete, et corona nostra vos eritis. Plebem Dei, quod estis vos. Apostolus instruebat, cum dicit: «Gaudium meum (7)» et corona mea, state in Domino¹. » Quod si prosperitas temporum arriserit, state in Domino; quod si prosperitas temporum infremuerit (8), stabiles estote in Domino. Nolite ab illo cadere qui semper stat, et stans pugnantem expectat, et adjuvat vos, ut stando et pugnando vincatis, et tunc demum ad illum coronandi veniatis.

¹ Philip. iv, 1.

(1) Sic cod. cxliii; cod. xxxvi male perit. — (2) Id. xxxvi; cod. ii habitet. — (3) Id. cxli; cod. ii tollit vocem quidem, et cum ea cod. xxxvi vocem etiam nobis. — (4) Sic cod. cxli; cod. xxxvi male addit de re. — (5) Sic cod. xxxvi; cod. autem ii et cxli adjuvare, quod et pariter legitur infra. — (6) Cod. ii coronabimur; cod. cxli coronamur. — (7) Deest meum in cod. ii. — (8) Cod. ii fremuerit.

SERMO VII.

De Verbis Evangelii secundum Matthæum: *Egressus inde Jesus secessit in partes Tyri et Sidonis. Et ecce mulier Chananæa a finibus illis egressa, clamavit illi dicens ei: Miserere mei, Domine, Fili David; filia mea male a dæmonio vexatur*, etc. Matth. xv, 22-28.

Sermo iste prodit ex Bibl. Laur., Plut. xvii, cod. xlii, fol. 153. Codex est sæculi undecimi, et sancti Augustini profert nomen. Nihil in eo inveni quod huic titulo obstare videatur. Vide August. serm. lxxvii, n. 9 et seqq. Locus ejus post sermonem Maurinensem lxxvii.

SYNOPSIS.

I. Judæorum error et duritia. II. Chananææ fides. III. Ejus preceationis ad Christum explicatio. IV. Christi responsum exaudientis eam, et conclusio.

I. DOMINI et Salvatoris nostri benignitas æquabiliter omnibus iter salutis ostendit, nec aliquem vult esse segregatum, dum cunctos ad se venire hortatur, et perditos revocat semper. Usque adeo eos duritia mentis invasit, ut hunc sequi nolint qui illos revocare cupiebat errantes, quorum causa descenderat (1) ne perirent. Adhuc, po-

(1) Cod. male descenderant.

pule Judæe, pro te dominicæ inquisitionis sollicitudo pervigilat, et Dominum tuum non vis quærere, dum quæraris. Vere perditum, qui adhuc se perisse non sentiunt. Grandis confusionis eum hebetudo (1) circumdat, qui proprium non agnoscit errorem, et dum revocatur, spernit. Quid tibi amplius facere potuit, nisi ut ad (2) te perditum ipse veniret. Ipse enim intelligebat cordis tui profundam indomabilemque perfidiam, nec alterum misit, ne forte dubitares. Ipse venit, et non credis; perisse te clamitas, et non reverteris. Videte ergo quam larga est misericordia Salvatoris. Quid enim virtus divina laborabat, nisi hoc solum possit acquirere, ne dispersus populus penitus deperiret? Volebat enim eum (3) reparare; dum eum monitis ad se non posset adducere, rebus cœpit et mirabilibus revocare. Nec hac tamen ratione flectuntur. Dicunt enim: « Samaritanus est, et » dæmonium habet¹. » Grandis patientia miserationis divinæ; injuriam patitur, et non movetur. Vere animam liberatoris ostendit. Non tibi sufficit, multitudo vesana, quod Dominum tuum non vis agnoscere, nec hoc beneficii loco ponis, ingratis? Vere scriptum est: « Gens prava » et perversa, hæc Domino reddidistis². » Quid tam pravam? quid tam perversum? iter suum perdidit; Deum deseruit; qui dabat remedium, recusavit.

II. Prætereundus est ergo iste populus qui perdurat in æterna perfidia. Habemus alteram partem quæ magis debeat prædicari. Inducenda est ergo mulier Chananæa quæ ritum barbaricæ feritatis emolliens, confitetur vera. Quam feritas genuina possederat, dicit ei: « Miserere mei, fili » David³. » Confitemur, quoniam alia ratione (4) filiam

¹ Joan. viii, 48. — ² Deut. xxxii, 5. — ³ Matth. xv, 22.

(1) Cod. bis eum, et deinde ebetudo. — (2) Id. male a te. — (3) Id. eos. — (4) Textus evidenter mendosus, ubi absque sensu legitur, quoniam oratione, etc.

suam non posse purgari credebat. Quem gens barbara David filium confitetur, populus non credebat, nec aliud credula mulier postulabat, nisi ut verbum Salvatoris audiret. Hoc enim solo filiam suam judicabat posse sanari. Ait enim mulier: Nec aliter filia mea sanitatem poterit invenire, nisi vocis tuæ potuero impetrare responsum. Cui nihil Jesus dicendo respondit; nec tamen fidem credentis sprexit. Volebat, ut multiplicaretur credulitas mulieris. Post longum silentium, hæc verba Jesus reseravit, dicens: « Non est bonum accipere panem filiorum, et » mittere canibus¹. » Israël populum filios esse respondit; adhuc enim apud Deum filiorum nomen, quod hæserat, permanebat, licet in illos tanta periisset affectio. Nomen perdidit filii, dum patrem contemnit agnoscere. Nescitis vos, infelices populi, hoc sermone jugulari. Patrem respicis, filium dum vocaris. Panes suos negavit canibus esse mittendos. Quod si filii nomen amiseris, canes incipient te esse meliores. Vide misericordiam Domini; fidem tibi servat. Nec canes te vincant. Canem mulierem Dominus nuncupavit; tamen nec satis eam præsens hic sermo laceravit. Non enim omnium canum una conditio (1) in ipsa quidem natura est, sed aliquanta discretio, ita ut mansueti et sapientis generis natura laudetur, quæ agnoscat Dominum suum, nec ab ejus vestigiis aliquando discedat, quæ si se diligi senserit, limen domini pervigili observatione custodit, quam (2) non fames effugat, non cædes expellit. Semper dominum suum quasi quæstuosus latratus inquirit; habet obsequium suum; licet voce explicari non possit, tamen corporis communionem distinguit (3). Ait enim: « Miserere mei, » quam canem Dominus nuncupavit.

¹ Matth. xv, 26.

(1) Cod. conditione. — (2) Id. male quæ. — (3) Id. distinguit.

III. Ait mulier : Quare sic me divina voce castigas ? Solent et canes de dominorum reliquiis gratulari ; nam et de mensis solent fragmenta cadere, quæ canum fames subter speculando suscipiat. Canis mihi nomen imponis ; non quæro panem filiorum tuorum , sed tantum misericordiæ tuæ verba desidero ; nec me rabidus ardor invasit , ut in Deum meum dentium venena convertam. Canis sum , fateor ; latratum meum jam frequenti debes insinuatione suscipere ; latro, et non audior, nec mihi sæva rabies mentis intelligentiam abstersit ; non quæro, sicut tu dixisti, panem filiorum tuorum. Vox enim Prophetæ recurrit dicentis : « Filios genui, et exaltavi ; ipsi autem » me spreverunt¹. » Si talia redduntur obsequia, si sic habetur Dominus, ut post tanta beneficia contemnatur, ne talis sit arrogantia filiorum, qui patris disperdant imperium. Ait mulier : Quamdiu volueris, Domine, canem me dicas ; latratus mei impudentiam sustinebis, famem meam vocis satietate complebis ; et si me contempnas, quam naturam fecit esse dejectam, ab eo tamen qui non concipiat displicere, desiderii tui ardore conflagro. Vestigia tua, etiamsi abjeceris, non relinquam. Alio iterum sermone vocitabo te dominum totius naturæ ; proclamabo divinitatem tuam ; et si voce explicare non possum, tamen tota mente confiteor, adoro, veneror, et deosco. Tua pietas est, quod inquieta persisto tui beneficii, quod latrare non desino. Unum tantum sermonem requiro ; hoc enim solo desiderii mei poterit ardor extinguere. Peto et cum fiducia summa deosco ; filia enim mea laborat. In tantum enim mihi tua est divinitas comprobata, ut credam quod quam variis artibus sanari non potui, tua solum voce accipiat sanitatem. Exemplum enim tuæ pietatis hortatur, et importunam me esse compellit. Memor sum enim te

¹ Isai. 1, 2.

SERMO VIII, DE VERBIS EVANG. SEC. MATTHÆUM. 39
dicente : « Petite, et dabitur vobis¹. » Quis enim ad (1) te, post hæc promissa, non currat ? Quis præmia promissa non poscat ? Peto ergo ; præsta quod deprecor.

IV. Tali ergo Dominus et Salvator noster prece commotus, postquam fidem precantis mulieris agnovit, hoc solum mulieri credenti respondit : « O mulier, magna » est fides tua ; fiat tibi secundum fidem tuam². » Non dixit Dominus : Dabo, quod postulas ; in ejus enim collocavit arbitrio ; et accepit totum quod fideliter postulavit. Nos ergo, fratres, ita fide credamus, ut omnia quæ poscimus similiter impetrare mereamur.

SERMO VIII.

De Verbis Evangelii secundum Matthæum : *In illa die accesserunt ad Jesum Sadducei, qui dicunt non esse resurrectionem, etc. Matth. xxii, 23, etc.*

Legitur hic sermo in Cod. Cass. cix, fol. 179, cum nomine sancti Augustini episcopi, a cujus doctrina non dissentit. Videtur tamen esse fragmentum, ut ex finis brevitate constat. Ponatur post sermonem Maurinensem xc.

SYNOPSIS.

I. Sadducei negantes resurrectionem confutantur. II. Confutatur et Phariseorum ignorantia.

I. SADDUCÆI extra fidem resurrectionis sunt, et quia

¹ Matth. vii, 7. — ² Id. xv, 28.

(1) Cod. male a te.

eam Dominus prædicabat, calumñiam divinis rebus ex obijciendi (1) voluntate proponunt, ut septem videlicet fratrum eandem conjugem habentium, cujusnam eorum in resurrectione futura esset, respondeat (2): atque ita publica opinio accepit, de resurrectionis conditionibus nihil Scripturis prophetalibus contineri; sed Dominus ait: «Erratis, nescientes Scripturas, neque virtutem Dei⁴.» Ergo scriptum est, et cessare debet (2) ambiguitas, quam auctoritas sancta condemnat. Hanc enim eandem calumñiam afferre plures solent, in qua forma mulieres resurgant, et an rursus cum ipsis naturæ suæ et corporis officiis reformentur. Nos quidem temere locum hunc a cunctis ferme præteritum contigimus, sed admonemus tantum Domino fuisse propositum, cujus uxor sit deputanda de septem; eum autem objurgasse cur errant, nescientes Scripturas, Deique virtutem, quia «Non nubent, neque nubentur².» Et quidem sufficeret adversus Pharisæos ita sentientes corporeas illecebras recidisse, et officii cessantibus, inania hæc corporum gaudia abstulisse. Et adjecit: «Erunt similes Angelis Dei³.» Quia igitur Angelis Dei similes sacramentum Scripturarum et divinæ virtutis potestas futuras esse demonstrat; qualis in Scripturis auctoritas est de Angelis opinandi, talem in resurrectione spei nostræ sensum oportet esse de foeminis. Et hæc quidem de resurrectionis conditionibus propositæ reddit quæstioni. De ipsa vero resurrectione adversus infidelitatem eorum, ita locutus est: «Non legistis quod dictum est vobis a Deo dicente: Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob; non est Deus mortuorum, sed viventium⁴.» Sermo enim hic ad Moysen de sanctis istis

⁴ Matth. XXI, 29. — ² Ibid. 30. — ³ Ibid. — ⁴ Ibid. 31, 32.

(1) Cod. male efficiendi. — (2) Vide August. contra Faust. Lib. 19, n. 31, et Serm. CCCLXII, n. 18. — (3) Cod. debeat.

SERMO VIII, DE VERBIS EVANG. SEC. MATTHÆUM. 41
Patriarchis jam pridem quiescentibus, extiterat, quorum erat Deus. Si autem illi non sunt, nihil poterant habere, quia in natura rei est, ut esse id necesse sit, cujus sit alterum; atque ita Deum habere, viventium est, cum Deus æternitatis sit, et non sit (1), quæ mortuæ sunt, habere id quod æternum est. Et quomodo esse illi semper viuentes negabuntur, quorum esse prophetatur æternitas?

II. «Pharisæi autem audientes quod silentium imposuisset Sadducæis, congregati sunt adversus eum¹.» Ex his legis doctoribus, succedunt Sadducæis tentantibus Pharisæi, et illis quidem congruenter fuerat de resurrectione responsum, ut in lege ipsa, ex qua erant profecti (2), contineri sperandæ resurrectionis fidem convincerentur. Pharisæi vero habere scientiam legis gloriabantur, quæ et futurorum specie prælatam imaginem consecuturæ veritatis continebat. Quærent autem quod mandatum potissimum esset in lege, contuentes meditationem legis fuisse in Christo perfectam. Et quidem insolentium ignorantæ legis ipsius verbis responsum est, quæ responsio omnem in se veritatis complexa est doctrinam. Proprium enim Domini nostri Jesu Christi officium est, cognitionem Dei afferre, et intelligentiam nominis ejus potestatisque præstare. Missus enim venerat; ex æternitate deductus iis quæ erant Deo placita perfungebatur...

¹ Matth. XXII, 34.

(1) Videtur deesse earum. — (2) Cod. perfecti.

SERMO IX.

De Verbis Domini: Cum videritis abominationem, etc.
Matth. xxiv, 19.

Hic sermo qui assumitur ex Bibl. Laur. plut. xvii, cod. xl, fol. 17, in pluribus concordat cum num. 28 Enarrationis in Psalm. xxxix. Hinc primo visus fuerat expungendus; sed utrumque attentius legenti talia apparuere discrimina, et quidem maximi momenti, ut stampis mandandus videretur: 1° ut demonstraretur textus Benedictinorum non semper esse sine gravissimis mendis; 2° ut confutaretur una ex præcipuis objectionibus eorum qui nostrum volumen primum impugnarunt, et qui contenderunt vocem imprægnare arguere recentiore ætate, quamvis in hoc sermone, sicut et in Benedictinorum editione sæpe sæpius replicetur. Quæ desunt in editis, fuerunt italicis distincta. Hunc ponas post sermonem Maurinensem xcii, si velis supponere sanctum doctorem bis de eodem textu verba fecisse, vel linguas in suo loco, si malueris.

SYNOPSIS.

I. Tribulationum necessitas. II. Anima fit prægnans cupiditate; quod exemplo explicatur. III. Talibus timenda iudicii pena. IV. Exhortatio ad bene vivendum. V. Deus in promissionibus fidelis est.

I. Discere et intelligere debemus, fratres charissimi,

quia Christiano (1), dum in hoc corpore vivit, tribulatio deesse non poterit; sic enim nos, sicut audistis, contestatur Apostolus dicens: « Omnes qui pie volunt » vivere in Christo, persecutionem patiuntur¹. » Et iterum: « Per multas tribulationes oportet nos intrare » in regnum cælorum². » Venturi sunt dies (2) tribulationis, et malarum (3) tribulationum; venturi sunt, sicut dicit Scriptura; et quantum accedunt dies, augentur tribulationes. Nemo sibi promittat, quod Evangelium non promittit (4). Quomodo enim, appropinquante fine mundi, sicut dicit Evangelium: « Abundavit iniquitas, refrigescit charitas³, » sic propter iniquitates nunquam deerit adversitas. Opus est, ut animus nostrum non solum ad pœnitentiam præparemus... (5). Fratres mei, obsecro vos, attendite Scripturas sanctas (6); si aliquid dixerunt, necesse est et usque in finem sic fiat, quemadmodum dixerunt (7). Non vobis promittunt Scripturæ, nostro (8) in hoc sæculo, nisi tribulationes, pressuras, angustias, augmenta dolorum, abundantiam tentationum, sicut et ipse Dominus in Evangelio dicit: « In mundo pressuram habebitis⁴. » Et iterum: « Mundus gaudebit, et vos tristes eritis, sed tristitia » vestra vertetur in gaudium⁵. »

II. Ad ista præcipue nos paremus, ne imparati deficiamus. De ipsis enim tribulationibus, cum Evange-

¹ 2 Tim. iii, 12. — ² Act. xiv, 21. — ³ Matth. xxiv, 12. — ⁴ Joan. xvi, 33. — ⁵ Ibid. 20.

(1) God. male Christianus. — (2) Edit. venient; et sic postea. — (3) Iid. majorum. — (4) Iid. male promittat. — (5) Desunt quædam. — (6) Edit. nostras. — (7) Iid. si aliquid fefellerunt, si aliquid dixerunt, et aliter accedit quam dixerunt: necesse est, etc. — (8) Iid. Scripturæ nostræ, in hoc sæculo.

lium legeretur, audistis : « Væ prægnantibus et (1) » nutrientibus¹. » Prægnantes sunt, qui in (2) spe intumescunt, nutrientes autem, id est, lactantes, qui jam adepti sunt quod concupierant. Etenim mulier prægnans in spe tumet filii, nondum videt filium : quæ autem jam lactat, amplectitur quod sperabat. *Prægnans est qui res alienas concupiscit; nutriens est qui jam rapuit quod concupierat. Et ut hoc apertius etiam simplices intelligere possint, aliquam similitudinem proponamus. Concupiscit aliquis villam alienam, et dicit (3): Bona est ista villa vicini mei; o si mea esset! o si (4) adjungerem illam, et facerem de isto fundo et de illo unitatem! Amat et avaritia unitatem; quod amat bonum est, sed uti (5) amandum sit, nescit. Forte dives est vicinus ille, qui habet villam bonam, et suspicatur quod illam non possit tollere, quia potens est homo, et prævalet se contra illum defendere; nec concupiscit, nec imprægnatur; nihil sperans, non concupiscit (6); non est prægnans animo (7). Si vero juxta, aliquis vicinus sit pauper, qui vel in necessitate positus est, ut possit vendere, vel potest opprimi (8), ut cogatur vendere, injicitur oculus; sperat se posse tollere aut villam (9), aut coloniam vicini pauperis (10), et mittit illi aliquas tribulationes, verbi gratia*

¹ Math. xxiv, 19.

(1) Edit. *mammantibus*, et sic deinde. Postea addunt modo *audistis; prægnantes*, etc. — (2) Deest in Edit. *in*. — (3) Hæc quæ desunt in Edit., videntur necessaria ad sententiæ integritatem. Hi solum habent: *Ergo similitudinem verbi gratia ponamus: Bona*, etc. — (4) Hæc duo verba non leguntur in Edit., sed habentur in variantibus ad calcem tomi iv Benedictinorum. — (5) Edit. male *ubi*. — (6) *Iid. Ecce concupivit villam proximi; sed iste proximus dives est, non indigens; habens honorem, habens etiam potentiam a cujus forte etiam potentia tibi metuendum sit, non de illius fundo aliquid sperandum; nihil sperans, non concipit*, etc. — (7) *Iid. anima*. — (8) *Iid. premi potest*. — (9) *Iid. speratur villa*. — (10) *Iid. adipisci villulam aut possessionem vicini*, etc.

agit secretius apud eos qui possunt, ut illum exactores (aut) (1) afflictum in aliqua publica administratione constringant, ex quibus contractis debitis multis, necesse habeat infelix vendere casellam, unde aut ipse aut filii sui sustentabantur. Necessitate ergo compulsus venit ad illum per cujus malitiam (2) premitur et affligitur, et nesciens quod ipsius immissione hoc patitur, dicit ad eum (3): Da mihi, domine (4) paucos solidos; patior necessitatem; urgeor a creditore. Et ille: Non habeo modo in manibus (5). Ideo se dicit in manibus non habere, ut ille, oppressus calumnia, necesse habeat vendere. Denique cum ei dixerit (6) quod pro nimia afflictione sua compellatur distrahere, statim ille respondit: Etsi non habeo propriam pecuniam, undecumque studeo mutuare, ut tibi amico meo subveniam; et si ita necesse est, etiam argentum meum distraho, ne tu injuriam patiaris. Quando beneficium petebat, professus est penitus non habere; ut ubi dicit quod possessionem suam venderet, quasi amico subvenire se dixit. Et cum eum ad hanc necessitatem adduxerit, dicit illi, ut venditionem facere debeat, et casellæ (7), pro qua prius verbi gratia forte centum solidos offerebat, ut eum opprimi videt (8), nec medietatem pretii dare acquiescit.

(1) Vox *aut* videtur abundare. — (2) Cod. male *notitiam*. — (3) Edit. horum loco habent: *Et cum patitur iste pauper necessitatem, venit ad ditiozem vicinum suum, cui forte obsequi solet, cui deferre, cui venienti assurgere, quem inclinato capite salutare: Da mihi*, etc. — (4) *Iid. rogo te*, et deinde non habent hæc verba *paucos solidos*. — (5) *Iid. sic finiunt ex abrupto per hæc verba: Si vellet vendere, haberet; et nullam inde deducunt consequentiam; unde arguitur evidens lacuna, quæ in nostro cod. partim suppletur. Variantes ad calcem edit. Benedictinæ legunt: Felix nolit, vendere habet; sed non melior sequela. — (6) Cod. male *dixerat*. — (7) *Id. casellam*. — (8) *Id. male vide*.*

III. *Istis enim talibus, sicut supra jam dictum est, Evangelista proclamat: «Væ prægnantibus et nutritibus;» istis enim vae erit in die iudicii, et ab auditu malo non poterunt liberari, sed audituri sunt: «Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus; quia (1) esurivi et non dedistis mihi manducare; sitivi et non dedistis mihi bibere¹.» Hoc loco attendat Charitas vestra diligenter: si in ignem mittitur qui non dedit rem propriam, putas, ubi mittendus est, qui invasit alienam? Si cum diabolo ardere habet, qui nudum non vestivit, putas, ubi arsurus est qui expoliavit? Et ideo quotiescumque vobis evangelica lectio recitata fuerit, in qua dicit: «Væ prægnantibus et nutritibus in illis diebus²,» non hoc de mulieribus legitimos viros habentibus credite. Quid enim mali fecit mulier, quæ de proprio marito concepit? Quare illi in die iudicii male erit, quæ hoc fecit quod Deus jussit? Non ergo de mulieribus quæ juste concipiunt et pariunt, hoc credendum est, sed de illis, quos supra diximus, qui injuste concipiendo rem alienam, imprægnati esse videntur. De quibus scriptum esse legimus: «Concepit dolorem et peperit iniquitatem³.» Omnis enim concipit, nec ullus potest esse sine conceptu; sed alii concipiunt de Christo, alii de diabolo. Sicut enim de illis, qui a diabolo concipiunt, dicitur: «Concepit dolorem et peperit iniquitatem,» ita et de illis, qui a Spiritu sancto concipiunt, scriptum est: «A timore tuo in utero concepimus et peperimus Spiritum salutis tuæ⁴.»*

¹ Matth. xxv, 41, 42. — ² Id. xxiv, 19. — ³ Psal. vii, 16. — ⁴ Isai. xxvi, 18.

(1) Cod. male qui.

IV. *Hæc enim quæ diximus, fratres charissimi, qui diligenter attendit supradicta mala aut fuisse in se, aut forsitan adhuc esse cognoscit, cito corrigat; non enim nocent mala præterita, si non placent; adhuc enim pœnitendi est (1) et corrigendi locus; nondum facta est illa disjunctio aliorum ad sinistram, aliorum ad dexteram (2); nondum ad (3) inferos sumus, ubi est (4) dives ille sitiens et stillam desiderans. Audiamus, dum vivimus, corrigamur. Non concupiscamus (5) res alienas, et imprægnati non tumeamus, nec velimus pervenire (6) ad illas, et eos adipiscendo tanquam filios osculemur. Quando enim concupiscit aliquis rem alienam, sicut jam dictum est, anima sua quasi concipisse videtur; si vero quod concupiscit, per aliquam calliditatem aut nequitiam potuerit obtinere, quasi natum filium osculari ac mittere (7) cognoscitur. Ergo non sic amemus ista terrena, fratres, ut perdamus cœlestia (8). Mutandum est cor; non hic habitemus jam corde (9); mala regio est amor mundi (10); sufficiat quod hic in carne esse videamur. Audiamus Apostolum dicentem: «Si resurrexistis cum Christo (11), quæ*

(1) Horum omnium loco solummodo legitur in Edit. sine concatenatione cum præcedentibus: *Agnosceamus hoc; fuerunt in nobis, jam non sint in nobis. Nonne hesterno viximus, et hodie vivimus? est corrigendi, etc.* —

(2) Edit. ponunt *dexteram* ante *sinistram*. — (3) *Iid. apud.* — (4) *Iid. male fuit.* — (5) *Id. speremus, minus bene.* — (6) *Id. male perveniamus.* —

(7) *Forte premere.* — (8) Horum loco habent solummodo Edit.: *Væ enim prægnantibus et mammantibus illis diebus. Mutandum est cor; levandum est cor; non hic, etc.* — (9) Edit. *habitandum corde.* — (10) Desunt in Edit. hæc verba *amor mundi*. Deinde habent: *Sufficiat quod adhuc in carne hic eis necesse est; quod non est necesse, non fiat: sufficiat diei malitia sua; sursum corde habitemus. Si resurrexistis, etc.* — (11) *Iid. addunt: Dicit fidelibus, corpus et sanguinem Domini accipientibus dicit, et deinde totus textus refertur usque ad finem versus tertii.*

» sursum sunt quærite, non quæ super terram¹. » Non apparet, quod nobis (1) promissum est; jam enim paratum est, sed non videtur (2). Concupiscendo imprægnari vis; hinc et imprægnare; *concupisce vitam æternam, ad quam vitam te invitat Deus*; ipsa sit spes tua; certus erit partus tuus; non erit abortus (3); non temporaliter amplecteris, quod pepereris, sed in æternum possidebitur (4). *Quod enim promissum est, sine dubio dandum est; sed adhuc retro est* (5); non dabitur (6) modo, sed dabitur postea.

V. *Videte quanta jam dicta* (7) *sunt, fratres; quis illa vel numerare prævalet* (8)? *De omnibus enim rebus, quæ nobis in Scripturis divinis promissa sunt, una tantummodo remansit; Deus enim qui vobis in tantis rebus verum dixit, unus* (9) *non fallit. Scriptum est de Ecclesia, et videtur, quia est; scriptum est de idolis, quia non erunt, et videtur, quia non sunt. Scriptum est quia perdituri erant* (10) *Judæi regnum, et videtur* (11); *scriptum est de die judicii; scriptum est et de præmiis sanctorum* (12), *et de pœna malorum* (13). *Nemo se circumveniat, fratres; quomodo illa omnia*

(1) Edit. *vobis*. — (2) *Iid. non videtis*. Deinde deest vox *concupiscendo*, et particula *et*. — (3) *Iid. abortivus*. — (4) *Iid. non temporalis; amplecteris quod pepereris in æternum*. — (5) *Iid. horum loco habent sine sensu, ita ut Benedictini cum annotatione vocem aliquam supponere coacti fuerint: Sic enim per Isaiam dicitur: Concepimus et parturivimus spiritum salutis. Ergo retro est, et non datur modo, sed dabitur; ubi videndum est textum Isaïæ non esse in loco suo positum, et consequentiam esse falsam ergo retro est. Unde Benedictini in nota: « Forte paratum. » Omnia autem quadrant et optime connectuntur in nostra versione. — (6) *Cod. male dabitur*. — (7) *Edit. data*. — (8) *Iid. quis illam numerat secundum Scripturas?* — (9) *Cod. una*. — (10) *Id. male erant*. — (11) *Edit. addunt: Ibi scriptum est de hæreticis, quia futuri erant, et videtur; ibi, etc.* — (12) *Iid. de premio bonorum*. — (13) *Cætera penitus differunt*.*

SERMO X., DE VERBIS EVANGELII SEC. MATTHÆUM. 49
venerunt, quæ promissa sunt, et dies judicii, et malorum pœna, et justorum præmia, sine ulla dubitatione ventura sunt. Et ideo unusquisque nostrum dum licet, et cum Dei adjutorio in potestate nostra consistit, et peccata vitare, et (1) *quod bonum est exercere contendat; ut cum ille dies terribilis et metuendus advenerit, non cum impiis et peccatoribus perenni incendio concremetur, sed cum justis et Deum timentibus, pervenire ad æternum præmium mereatur; quod ipse præstare dignetur cui est honor et imperium in sæcula sæculorum. Amen* (2).

SERMO X.

De Verbis Evangelii secundum Matthæum: *Cum venerit Filius hominis in majestate sua, et omnes Angeli cum eo, tunc sedebit in sede majestatis suæ, et congregabuntur ante eum omnes gentes, etc.* Matth. xxv, 31, 32.

Prodit hic sermo ex pluribus erutus codicibus, nempe 1º ex Bibl. Laur., Plut. xvii, cod. xxxvi, fol. 67 b; 2º ex ejusdem Bibl. eodem Plut., cod. xxxviii, fol. 133; 3º ex eodem Plut., cod. xl, fol. 157; 4º ex eodem Plut. cod. xlii, fol. 141; 5º denique ex Bibl. Edil, cod. cxlii, fol. 44.

(1) *Et deest in Cod., sed sensu requiritur*. — (2) *Ex ejus lectione sermonis mihi clare videtur, vel sanctum Augustinum duabus vicibus de eadem re cum aliquo discrimine disseruisse, quod probabilissimum est ipsi sapius evenisse; aut duos notarios, plus vel minus peritos, eundem sermonem cum variantibus quibusdam accepisse, dum loqueretur; unde unus facile potest ex altero corrigi et emendari.*

Legitur ubique cum nomine sancti Augustini, cui nullatenus repugnat sive quoad doctrinam, sive quoad stylum. Locus ejus post sermonem Maurinensem XCIV.

SYNOPSIS.

I. Eleemosynæ præceptum ex verbis iudicii deductum. II. Eleemosyna facienda ad promerendum cælum. III. Bonum fœnus eleemosyna.

I. AUDIVIMUS, fratres charissimi, cum sanctum (1) Evangelium legeretur, terribilem simul et desiderabilem vocem, metuendam pariter et desiderandam Domini nostri sententiam. Terribilis enim est propter illud quod dixit: «Discedite a me, maledicti in ignem æternum¹;» desiderabilis propter illud quod ait: «Venite, benedicti» Patris mei, percipite regnum².» Quis enim, audita hac voce, non contremiscat et gaudeat? Gaudeat quidem, quia Christus Christianis servis suis dignatur promittere regnum; contremiscat, quia peccatoribus ignem minatur æternum. Rogo vos, fratres, ut lectionem istam attento corde, et sensu semper vigilantissimo audiatis, et quia nec laboriosa est ad parandum (2), semper illam memoriter teneatis, et virtutem illius assidue cogitatis. Qui enim istam lectionem diligenter attendit, etiamsi reliquas Scripturas legere non potuerit, ad omne opus bonum faciendum, et ad omne malum fugiendum ista lectio potest sola sufficere. Attendite ergo, fratres, et videte quid sit quod Dominus illis, qui ad dexteram futuri sunt, se

¹ Matth. xxv, 41. — ² Ibid. 34.

(1) Hæc vox deest in cod. xxxviii; cod. xl habet *dilectissimi*, loco vocis *charissimi*. — (2) Cod. xxvi *ad patrandum*; ambo alii cod. *ad parandum*.

dicturum esse promisit: «Venite, inquit, benedicti (1),» percipite regnum, quia esurivi, et dedistis mihi manducare; sitivi, et dedistis mihi bibere¹,» et cætera quæ sequuntur. His vero qui ad sinistram erunt dicturus erit: «Discedite a me, maledicti, in ignem æternum,» qui paratus est diabolo et angelis ejus. Esurivi enim et non dedistis mihi manducare; sitivi, et non dedistis mihi bibere².» Attendite ergo, fratres dilectissimi, et videte quia non dixit: Discedite a me, maledicti, quia furtum fecistis, quia falsum testimonium dixistis, quia homicidium aut adulterium commisistis; non hoc dixit, sed ait, quia «Esurivi, et non dedistis mihi manducare.» Non dixit: Discedite a me, quia res alienas tulistis, sed quia de substantia vestra pauperibus non dedistis; non quia mala opera fecistis, sed quia bona (2) facere nolulistis. Ac sic et illos qui ad dexteram futuri sunt sola misericordia liberavit (3), et illos qui ad sinistram sola avaritia condemnavit. Non enim dixit ad dexteram positus: Venite, benedicti, percipite regnum, quia peccatores non fuistis, sed quia peccata vestra eleemosynis redemistis. Sicut et illis ad sinistram non dixit: Discedite a me, maledicti (4), quia peccastis, sed quia peccata vestra eleemosynis redimere nolulistis. Sine peccato nullus hominum esse potest, sed tamen peccata sua redimere eleemosynis omnis homo, auxiliante Domino, potest. In ista enim sententia Domini, qua dixit, quia (5) illi qui esurientem non paverunt (6), mittentur in ignem æternum, possumus evidenter agnoscere, fratres, quali tormento, vel quali poena dam-

¹ Matth. xxv, 35. — ² Ibid. 41, 42.

(1) Ita cod. xl; hæc vox deest in aliis cod. — (2) Cod. xl addit *opera*. — (3) Id. *liberabit.. Condemnabit.* — (4) Ita cod. xl, quæ vox desideratur in aliis cod. — (5) Cod. xl *quod*. — (6) Sic cod. xl; cod. xxxvi *paverit*: deinde cod. xl *mittuntur*, et ostendere pro *agnoscere*.

nandi sunt, qui mala faciunt, quando illi in ignem æternum mittuntur qui bona non faciunt. Si enim cum diabolo condemnatur, qui pauperibus non dedit panem suum, putas, ubi damnandus est ille (1) qui tulit alienum? Si in ignem mittetur qui nudum non vestivit, putas, ubi mittendus est ille qui expoliavit? Si in ignem æternum damnatur qui peregrinum non excepit in domum suam (2), putas, ubi damnandus est qui tulit domum alienam?

II. Hæc ergo cogitantes fideliter, fratres charissimi (3), quantum possumus, bona opera facere studeamus, et secundum vires nostras de paupertate nostra peregrinis et pauperibus erogemus, ut et peccata quæ fecimus redimamus, et de ipsis bonis operibus æterna nobis præmia præparemus. Audiamus Dominum dicentem: « Beati » misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur⁴. » Audistis enim veram Domini nostri (4) sententiam, per quam nobis regna cælorum promittit, si (5) elemosynas facimus, si esurientes pascimus, si sitientes potamus, nudos secundum vires nostras vestimus, peregrinos excipimus; hæc omnia, si fideliter agimus, securi ante tribunal æterni iudicis (6) veniemus, et tunc « In » memoria æterna justi erimus, et ab auditu (7) malo » non timebimus². » Quid est auditus malus (8)? Ille, quem a nobis Dominus dignetur avertere. Hic erit auditus malus, quem ad sinistram positi audituri sunt impii: « Discedite a me, maledicti, in ignem æternum³. » Tenete ergo vos ad elemosynam vel misericordiam, quia « Eleemosyna a morte liberat, et operarium suum non per-

¹ Matth. v, 7. — ² Psal. cxi, 7. — ³ Matth. xxv, 41.

(1) Hæc vox deest in cod. xl. — (2) Cod. xxxviii in domo sua. — (3) Cod. xl dilectissimi. — (4) Vox nostri deest in cod. xxxviii. — (5) Id. cod. sed si. — (6) Cod. xl loco æterni iudicis habet Christi. — (7) Id. xxxvi male auditio. — (8) Omnes eod. male auditum malum? illud quod. hoc erit auditum malum quod, etc.

» mittit ire in tenebras¹. » Unusquisque ergo pro viribus suis, quantum prævalet, porrigat pauperi manum suam. Qui habet aurum, det aurum; qui habet argentum, argentum tribuat; qui vero non habet pecuniam, cum bono animo porrigat peregrino buccellam. Et (1) si non habet integram, ex eo quod habet frangat, et tribuat. Talem enim Dominus per Prophetam dignatus est pauperibus consolationem vel securitatem impendere, ut non diceret: Da esurienti totum panem tuum; sed: « Frange » esurienti panem tuum²; » ut si non habes integram, vel particulam aliquam largiaris. Et ut scias quidquid bono animo obtuleris quia sit acceptabile Deo, audi Dominum in Evangelio de vidua illa quæ duos nummos obtulit: « Amen dico vobis quia vidua hæc plus omnibus » misit, qui miserunt in gazophylacium (2), quia reliqui » qui divites erant ex eo quod illis abundabat, dederunt » aliquid; illa vero totum quod habuit obtulit³; » et ideo meruit, ut illam Dominus ore proprio collaudaret.

III. Faciat ergo unusquisque, quod prævalet, et excepto victu rationabili, et vestitu simplici, quidquid illi superfuert lætus et hilaris det; quia dat parum, et accipit multum; porrigit nummum et comparat regnum; tribuit parvam pecuniam, et accipit vitam æternam; dat temporalia, et meretur (3) æterna; porrigit caduca, et accipit sine fine mansura (4). Ecce pro qua re hilares (5) et bono animo dare debemus. Si tibi homo fidelis diceret: Da mihi unum nummum æreum, et reddo tibi

¹ Tob. iv, 11. — ² Isai. lviii, 7. — ³ Marc. xii, 43, 44.

(1) Cod. xl ut et si. — (2) Ita cod. xl, cui fere concordat cod. xxxviii: Vidua hæc duos nummos obtulit, magis omnibus misit, qui miserunt in gazophylacium. Hæc ultima verba desunt in cod. xxxvi, qui iterat plus omnibus misit, magis omnibus misit. — (3) Cod. xxxvi male meretur. — (4) Itaq. cod. xl; cod. xxxvi male mensura. — (5) Cod. xl hilari.

solidos aureos centum, numquid non cum gaudio dares unum, ut (1) acciperes centum (2)? Quanto magis quia tibi dicit Deus cœli et terræ: « Qui pauperi tribuit (3), » Deo foenerat¹; » et in Psalmo: « Jucundus homo qui » miseretur et (4) commodat²; » debes commodare Deo in terra, quod multipliciter accipias in vita æterna; ut cum in conspectu Angelorum ante tribunal æterni judicis veneris (5), segura et libera conscientia dicere possis: Da, Domine, quia dedi; miserere, quia misericordiam feci. Ego implevi, quod jussisti: tu redde, quod promisisti. Iterum atque iterum admonéo, fratres, ut semper istam evangelicam lectionem memoriter teneatis, et totis viribus cum Dei adiutorio laboretis, ut æternum ignem possitis evadere, et ad cœlorum regna feliciter pervenire; præstante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor, et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XI.

De Filio Prodigio, Luc. xv, 11 et seqq.

Sermo qui sequitur et eductus est e Cod. Cass. cxii, fol. 65, nomen, et stylum, et sententias sancti Augustini ita præ se fert, ut ejus auctor nulla ratione negari possit, præcipue si attendas ad quæstionum Evangeliorum lib.

¹ Prov. xix, 17. — ² Psal. cxv, 5.

³ (1) Ita cod. xl; cod. xxxvi et. — (2) Vide August. Serm. lxxxvi, n. 5. — (3) Ita cod. xl; cod. xxxvi tribuat. — (4) Cod. xl et tribuit. — (5) Ita cod. xl; cod. xxxvi ante tribunal judicis venire merueris.

II, num. xxxiii, ubi idem argumentum eodem ingenio, sed non iisdem verbis tractatur. Ponatur ergo post sermonem Maurinensem cxii.

SYNOPSIS.

I. Exordium ex antea promissis. II. Filii prodigi errores. III. Eiusdem miseria. IV. Redit ad cor suum. V. Redit et ad patrem qui eum videt de longinquo. VI. A patre suscipitur, qui et cadit super collum ejus. VII. Redduntur ei, patre jubente, stola prima, annulus, calceamenta servorum ministerio, occiditurque vitulus saginatus. VIII. Irascens frater major, imago Judæorum. IX. Symphonia et chorus, figura unitatis. X. Ad vocem servorum frater major intrare recusat. XI. Venit pater invitans ad ingressum. XII. Fratris majoris querelæ, qui semper fidelis, nec hædum accepit. XIII. Patris mitis responsio, omnia sua ejus esse declarantis; quo sensu? XIV. Conclusio.

I. In rebus jam pertractatis immorari nos non oportet, sed sicut in eis non oportet immorari, sic eas oportet commemorari. Meminit vestra prudentia superiore Dominico die de duobus filiis, qui et hodierno ex Evangelio recitati sunt disserendum nos suscepisse sermonem, qui non potuit ad finem usque perducere. Sed Dominus Deus noster post illam tribulationem, voluit nos et hodie loqui vobiscum. Reddendum est debitum sermonis, semper tenendum est debitum dilectionis. Aderit Dominus ut humilitas nostra sufficiat expectationi vestræ.

II. Homo habens duos filios¹, Deus est habens duos populos; major filius, populus est Judæorum; minor, populus gentium. Substantia a Patre accepta, mens, intellectus, memoria, ingenium, et quidquid nobis Deus ad

¹ Luc. xv, 11, et seqq.

solidos aureos centum, numquid non cum gaudio dares unum, ut (1) acciperes centum (2)? Quanto magis quia tibi dicit Deus cœli et terræ: « Qui pauperi tribuit (3), » Deo foenerat¹; » et in Psalmo: « Jucundus homo qui » miseretur et (4) commodat²; » debes commodare Deo in terra, quod multipliciter accipias in vita æterna; ut cum in conspectu Angelorum ante tribunal æterni judicis veneris (5), secunda et libera conscientia dicere possis: Da, Domine, quia dedi; miserere, quia misericordiam feci. Ego implevi, quod jussisti: tu redde, quod promisisti. Iterum atque iterum admonéo, fratres, ut semper istam evangelicam lectionem memoriter teneatis, et totis viribus cum Dei adiutorio laboretis, ut æternum ignem possitis evadere, et ad cœlorum regna feliciter pervenire; præstante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor, et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XI.

De Filio Prodigio, Luc. xv, 11 et seqq.

Sermo qui sequitur et eductus est e Cod. Cass. cxii, fol. 65, nomen, et stylum, et sententias sancti Augustini ita præ se fert, ut ejus auctor nulla ratione negari possit, præcipue si attendas ad quæstionum Evangeliorum lib.

¹ Prov. xix, 17. — ² Psal. cxv, 5.

³ (1) Ita cod. xl; cod. xxxvi et. — (2) Vide August. Serm. lxxxvi, n. 5. — (3) Ita cod. xl; cod. xxxvi tribuat. — (4) Cod. xl et tribuit. — (5) Ita cod. xl; cod. xxxvi ante tribunal judicis venire merueris.

II, num. xxxiii, ubi idem argumentum eodem ingenio, sed non iisdem verbis tractatur. Ponatur ergo post sermonem Maurinensem cxii.

SYNOPSIS.

I. Exordium ex antea promissis. II. Filii prodigi errores. III. Eiusdem miseria. IV. Redit ad cor suum. V. Redit et ad patrem qui eum videt de longinquo. VI. A patre suscipitur, qui et cadit super collum ejus. VII. Redduntur ei, patre jubente, stola prima, annulus, calceamenta servorum ministerio, occiditurque vitulus saginatus. VIII. Irascens frater major, imago Judæorum. IX. Symphonia et chorus, figura unitatis. X. Ad vocem servorum frater major intrare recusat. XI. Venit pater invitans ad ingressum. XII. Fratris majoris querelæ, qui semper fidelis, nec hædum accepit. XIII. Patris mitis responsio, omnia sua ejus esse declarantis; quo sensu? XIV. Conclusio.

I. In rebus jam pertractatis immorari nos non oportet, sed sicut in eis non oportet immorari, sic eas oportet commemorari. Meminit vestra prudentia superiore Dominico die de duobus filiis, qui et hodierno ex Evangelio recitati sunt disserendum nos suscepisse sermonem, qui non potuit ad finem usque perducere. Sed Dominus Deus noster post illam tribulationem, voluit nos et hodie loqui vobiscum. Reddendum est debitum sermonis, semper tenendum est debitum dilectionis. Aderit Dominus ut humilitas nostra sufficiat expectationi vestræ.

II. Homo habens duos filios¹, Deus est habens duos populos; major filius, populus est Judæorum; minor, populus gentium. Substantia a Patre accepta, mens, intellectus, memoria, ingenium, et quidquid nobis Deus ad

¹ Luc. xv, 11, et seqq.

se intelligendum et colendum dedit. Hoc patrimonio accepto, filius minor in longinquam regionem profectus est; in longinquam, scilicet usque ad oblivionem Creatoris sui. Dissipavit substantiam suam, vivendo prodige, erogans et non acquirens; expendens quod habebat, et non accipiens quod non habebat; id est, omne (1) ingenium suum consumens in luxuriis, in idolis, in omnibus cupiditatibus pravis, quas meretrices veritas appellavit.

III. Nec mirum, quod istam luxuriam fames secuta est. Erat autem egestas in illa regione; non egestas visibilis panis, sed egestas invisibilis veritatis. Ab egestate, irruit in quendam principem regionis illius. Intelligitur iste princeps dæmoniorum diabolus, in qualem irruunt omnes curiosi. Omnis enim curiositas illicita, pestilens inopia est veritatis. Ille vero fame ingenii avulsus a Deo, in servitutem redactus est, et in pascendis porcis sortitus est officium, id est, cujus servitute solent gaudere dæmonia extrema et immunda. Neque enim frustra et Dominus in gregem porcorum permisit ire dæmonia; pascetur autem de siliquis, de quibus ipse non satiabatur. Doctrinas sæculares siliquas intelligimus, sonantes, non sanguinantes, dignas cibis porcorum, non hominum, id est, unde dæmonia lætentur, non unde fideles justificentur.

IV. Tandem aliquando vidit ubi esset, quid perdidisset, quem offendisset, et in quem irruisset, et reversus est ad se; prius ad se, et sic ad patrem. Dixerat enim forte: « Cor meum dereliquit me¹. » Unde oportebat ut prius ad se rediret, et sic se longe esse a patre cognosceret. Hoc quibusdam increpat Scriptura dicens; « Redite,

¹ Psal. xxxix, 53.

(1) Cor, male amarem,

» prævaricatores, ad cor¹. » Reversus ad se, invenit se miserum: « Tribulationem, inquit, et dolorem inveni, » et nomen Domini invocavi². Quanti, inquit, mercenarii patris mei abundant panibus! Ego autem fame » pereo³. » Unde hoc ei veniret in mentem, nisi quia jam prædicabatur nomen Dei, et erat panis apud quosdam, non bene quidem tenentes, et aliud quærentes, de quibus dicitur: « Amen dico vobis, receperunt mercen » cedem suam⁴. » Tales enim mercenarii habendi sunt, non filii, quales Apostolus designat cum dicit: « Sive » per occasionem, sive per veritatem Christus annuntietur⁵. » Quosdam enim vult intelligi, qui sua quærendo mercenarii sunt, Christum annuntiando pane (1) abundant.

V. Surgit et redit, jacendo enim et cadendo remanserat. Videt eum pater de longinquo, et occurrit illi. Ejus enim vox est in Psalmo: « Tu cognovisti cogitationes meas de longinquo⁶. » Quas cogitationes? Quibus apud seipsum dixit: « Dicam patri meo: Peccavi in cœlum et coram te, jam non sum dignus vocari filius tuus, » fac me sicut unum ex mercenariis tuis⁷. » Non enim jam dicebat, sed dicere cogitabat; ille tamen tanquam dicentem audiebat. Aliquando enim positus quisque in aliqua tribulatione et tentatione, cogitat orare, et in ipsa cogitatione, quid sit Deo dicturus in oratione meditatur, tanquam jure suo filius exigens misericordiam patris, et dicit apud se: Dicam Deo meo hoc et illud. Non enim vereor; cum hoc dixero, cum ita flevero, non me exauditurus est Deus meus? Hæc dicentem plerumque jam exaudit; neque enim quando ista cogitavit, abs-

¹ Isai. xlvj, 8. — ² Psal. cxlv, 3. — ³ Luc. xv, 17. — ⁴ Matth. vi, 5. — ⁵ Philip. i, 18. — ⁶ Psal. cxxxviii, 3. — ⁷ Luc. xv, 19.

(1) Cor, male panem.

condit cogitationem suam ab oculis Dei. Ille ibi erat cum disponderet orare, qui ibi futurus erat, cum inciperet orare. Ideo dicitur in alio Psalmo: «Dixi, proloquar » adversum me delictum meum Domino¹.» Videte quemadmodum adhuc quid apud se dixerit, quid disposuerit; et statim subjecit: «Et tu remisisti impietatem cordis » mei².» Quam proxima est Dei misericordia confitenti! Non enim longe est Deus a contritis corde. Sic enim habes scriptum: «Prope est Dominus eis qui obtriverunt » cor³.» Jam ergo iste obtriverat cor in regione egestatis; redierat enim ad cor, ut obtereret cor. Reliquerat cor superbus; redierat ad cor iratus. Iratus est sibi puniturus, sed suum malum; promeriturus patris bonum redierat. Dixit iratus secundum quod dicitur: «Irascimini, et non » lite peccare⁴.» Omnis enim poenitens irascitur sibi; nam quia irascitur, punit se. Inde motus illi omnes in poenitente, quem vere poenitet, qui vere dolet; inde avulsio capillorum, inde circumcinctio cilicii, inde pectoria tunsio. Certe omnia hæc indicia sunt hominis sævientis in se, et irascentis sibi. Quod facit forinsecus manus, hoc facit intrinsecus conscientia. In cogitationibus percutit se, cædit se, et ut verius dicam, occidit se. Offert enim occidendo se sacrificium Deo spiritus contribulatus: «Cor contritum et humiliatum Deus non sper- » nit⁵.» Proinde ille atterens cor suum, humilians, cædens, occidit cor suum.

VI. Quamvis adhuc disponderet patri dicere, et diceret apud seipsum: «Surgam et ibo et dicam⁶, » cum cognosceret cogitationes ejus de longinquo, occurrit illi pater. Quid est occurrere, nisi misericordiam prærogare? «Cum adhuc, inquit, longe esset, occurrit illi pater,

¹ Psal. xxxi, 5. — ² Ibid. — ³ Id. xxxiii, 19. — ⁴ Id. iv, 5. — ⁵ Id. i, 19. — ⁶ Luc. xv, 18.

» misericordia motus¹.» Quare ille motus misericordia? quia jam iste confectus miseria. Incubuit in illum occurrens, id est, super collum ejus posuit brachium suum. Brachium Patris Filius est; dedit ut Christum portaret, quæ sarcina non onerat, sed sublevat. «Jugum meum, » inquit, leve est, et sarcina mea levis est².» Super erectum incumbebat; superincumbens rursus cadere non sinebat. Tam levis est sarcina Christi (1), ut non solum non premat, sed etiam allevet. Neque enim quemadmodum leves dicuntur sarcinæ, quæ minus onerosæ sunt, habent tamen aliquod pondus suum; et aliud est portare sarcinam gravem, aliud est portare sarcinam levem, aliud est portare sarcinam nullam. Premi videtur qui portat sarcinam gravem, minus premitur qui portat sarcinam levem, sed tamen premitur. Expeditissimis autem videtur humeris ambulare, qui nullam sarcinam portat. Non est talis sarcina Christi. Expedit enim eam portare, ut subleveris. Si illam deponas, magis premeris. Nec hoc vobis, fratres, tanquam impossibile videatur. Forte invenitur aliquod exemplum, unde etiam corporaliter quod dico videatis; et mirum est etiam, et omnino incredibile. Advertite hoc in avibus. Omnis avis portat pennas suas. Attendite et videte quemadmodum complicant alas suas, cum descendunt in terram, ut requiescant, et imponant eas quodam modo lateribus suis. Oneratas putas? Detrahant onus, et cadent. Quanto minus sarcinam illam avis portavit, tanto minus volavit. Ergo deponis eis sarcinam illam quasi misericors; si vis esse misericors, parce; aut si jam demptæ sunt pennæ, nutri, ut crescat onus, et volet de terra. Tale quippe onus desiderabat ille, qui dicebat: «Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, et

¹ Luc. xv, 20. — ² Matth. xi, 30.

(1) Vide August. Serm. xli, n. 5; clxiv, n. 7, 8; cccxliii, n. 4.

» volabo et requiescam¹.» Quod ergo incubuit pater super collum filii, sublevavit, non pressit; honoravit, non oneravit. Quomodo est enim homo idoneus ad portandum Deum, nisi quia portat portatus Deus?

VII. Jubet ergo pater proferri ei stolam primam, quam peccando Adam perdiderat. Jam accepto in pace, jam exulto filio jubet proferri stolam, spem immortalitatis in baptismo. Jubet dari annulum, pignus Spiritus sancti, et calceamenta in pedes in præparatione Evangelii pacis², ut speciosi essent pedes annuntiantis bonum³. Hoc ergo Deus per servos suos facit, hoc est, per ministros Ecclesiæ. Numquid illi de suo dant stolam, de suo annulum, vel calceamenta? Ministerium debent, officium impendunt; ille dat de cujus recessu et de cujus thesauro ista proferuntur. Jussit occidi et vitulum saginatum, id est, ut admitteretur ad mensam, in qua Christus pascitur occisus. Unicuique enim de longinquo venienti, et ad Ecclesiam concurrenti tunc occiditur, quando prædicatur occisus, cum ad corpus ejus admittitur. Occiditur vitulus saginatus, quia qui perierat inventus est.

VIII. Et irascitur major frater rediens de agro, et non vult intrare. Ille est populus Judæorum, cujus animus apparuit et in illis qui jam crediderant in Christum. Nam stomachati sunt Judæi venire gentes de tanto compendio, nullis impositis oneribus legis, non dolore circumcisionis carnalis, in peccato accipere baptismum salutarem. Epulari de vitulo saginato stomachati sunt; equidem jam illi crediderunt, et reddita est illis ratio, et conquieverunt. Cum autem et nunc forte aliquis Judæus, qui in mente habuit legem Dei, et conversatus est ibi sine querela, qualem se ibi fuisse Saulus dixit, apud nos

¹ Psal. lxxv, 7. — ² Ephes. vi, 16. — ³ Rom. x, 15.

(1) Vide Serm. 5, Petri Chrysologi in Bibl. Patr. t. 7, f. 489, lit. D.

factus Paulus, et major, quo minor; eo sublimatus quo minimus factus. Paulus enim minimus est, unde dicimus, Paulo post tibi loquor, Paulo ante. Videte quid est Paulo ante, Modico ante. Quid est ergo Paulus? « Ego enim » sum minimus Apostolorum¹;» ipse dixit. Ergo quicumque Judæus ibi talis est, ut sciat se et habeat in conscientia sua, qui ex ineunte ætate sua unum Deum coluerit, Deum Abraham, et Isaac, et Jacob, Deum prædicatum per legem et prophetas, et observaverit justificationes legis, incipit de Ecclesia cogitare, videns in nomine Christi currere genus humanum; cum cogitat de Ecclesia, appropinquat domi de agro. Sic enim scriptum est: « Cum adveniret » major frater de agro, et appropinquaret domui². » Quomodo enim minor filius quotidie crescit ex (1) Paganis credentibus, sic major filius, quamvis raro, redit tamen ex Judæis. Cogitant Ecclesiam, mirantur quid illud est. Vident apud se Legem, apud nos Legem; apud se Prophetas, apud nos Prophetas; apud se jam nullum sacrificium, apud nos quotidianum sacrificium. Vident se in agro patris fuisse, sed tamen de vitulo non manducare.

IX. Auditur etiam de domo symphonia sonans et chorus. Quid est symphonia? concordia vocum. Qui discordant, dissonant; qui concordant, consonant. Ipsam symphoniam docebat Apostolus dicens: « Obsecro » autem vos, fratres, ut id ipsum dicatis omnes, et non » sint in vobis schismata³. » Quem non delectet ista sancta symphonia, id est, consensus vocum non discrepans, non in aliquo obsurdus et dissonus, qui boni intellectus offendat auditum. Et chorus ad concordiam ipsam

¹ 1 Cor. xv, 3. — ² Luc. xv, 25. — ³ 1 Cor. i, 10.

(1) Cod. male *in* et similiter inferius.

pertinet. In choro non delectat, nisi vox una multorum temperata, habens ex omnibus unitatem, non dissonans in aliquam discordantem varietatem.

X. Hæc ille cum audisset sonare de domo, iratus volebat intrare. Quomodo vero (1) contigit, boni meriti apud suos Judæus ut dicat, tantum posse Christianos? Nos tenemus leges paternas; ad Abraham locutus est Deus, de quo nos nati sumus. Moyses legem accepit, qui nos de terra Egypti liberans, per mare Rubrum duxit. Ecce isti tenentes Scripturas nostras, cantant Psalmos nostros per totum mundum, et habent quotidianum sacrificium; nos autem et sacrificium perdidimus et templum. Interrogat et servum, quid hic agatur? Quemlibet servum interroget Judæus; aperiat Prophetas, aperiat Apostolum; quemlibet interroget; nec Vetus Testamentum nec Novum tacuit de vocatione gentium. Servum interrogatum intelligamus librum scrutatum. Invenies ibi dicentem tibi Scripturam: «Frater tuus rediit, et » pater tuus occidit illi vitulum saginatum, quia salvum » illum recepit¹. » Dicat hoc servus; quem recepit salvum pater? Eum qui mortuus erat et revixit, eum recepit salvandum, et debebatur interfectio vituli saginati ei qui longe abierat. Longe enim abeundo a Deo, impius erat. Respondit servus Apostolus Paulus: «Etenim Christus pro impiis mortuus est². » Stomachante (2) se, non intrat iratus, sed alloquente patre, intravit. Introire noluit ad servi responsum; at vere, fratres mei, fit hoc. Convincimus plerumque Judæos de Scripturis Dei; sed servus adhuc loquitur, filius irascitur; licet (3) vincantur, nolunt intrare. Quid est hoc? Symphonix voces te mo-

¹ Luc. xv, 27. — ² Rom. v, 6.

(1) Cod. male *vere*. — (2) Id. *stomachantem*. — (3) Id. male *sicut*.

verunt, chorus te movit, celebritas et festivitas domus, æmulatio occisi vituli saginati, hæc te moverunt. Nemo te excludit. Cui dicis? Quamdiu servus alloquitur, ille irascitur, non vult intrare.

XI. Redi ad Dominum dicentem: «Nemo venit ad » me, nisi quem Pater attraxerit¹. » Pater ergo egreditur et rogat filium; hoc est trahere. Major vim adhibet rogando superior, quam jubendo. Hoc est autem quod fit, charissimi, cum audierint tales homines occupati circa Scripturas, et habentes qualemcumque conscientiam in bonis operibus, ut possint dicere patri suo: «Pater, » mandatum tuum non præterivi². » Tunc ergo convincuntur (1) de Scripturis, et non inveniunt quid respondeant. Irascuntur, resistunt velut vincere volentes. Postea relinquit (2) illum cum cogitatione sua, et incipit interiorius loqui Deus. Hoc est egredi patrem et loqui ad filium: Intra et epulare.

XII. Et ille contra: «Ecce tot annis servio tibi, et » nunquam mandatum tuum præterivi, et nunquam » dedisti mihi hædum, quem cum amicis meis mandu- » carem. Ecce hic filius suus advenit, qui consumpsit » patrimonium suum cum meretricibus, et occidisti illi » vitulum saginatum³. » Cogitationes sunt interiores, ubi jam occultis modis loquitur pater. Agit enim et respondet intra seipsum, jam non servo responsum reddente, sed patre quodam modo rogante, leniter admonente. Quid est hoc? Nos tenemus Scripturas Dei, et non recessimus ab uno Deo: non expandimus manus nostras ad Deum alienum. Unum illum novimus, ipsum semper colimus, qui fecit cælum et terram, et non accepimus hædum.

¹ Joan. vi, 44. — ² Luc. xv, 29. — ³ Ibid. et 30.

(1) Cod. *convincitur*. — (2) Id. *relinquit*.

Ubi invenimus hædum? Inter peccatores. Quare iste filius major sibi conqueritur hædum datum non esse? Peccare (*sic*) quærebat de quo epularetur. Plane inde stomachabatur, hoc est, quod jam dolent Judæi, hoc est, quod resipiscunt, et intelligunt ideo sibi non datum Christum, quia putarunt hædum. Agnoscunt enim vocem suam in Evangelio, in illis Judæis superioribus dicentibus: « Scimus quoniam iste peccator est¹. » Ille vitulus erat; sed eum hædum putas; sine ista epula remansisti. « Nunquam dedisti mihi hædum; » quia non habebat pater hædum, quem sciebat vitulum. Foris es, quia non accepisti hædum, intra jam ad vitulum.

XIII. Quid enim pater respondit? « Fili, tu mecum » es semper². » Attestatus est pater in propinquo fuisse Judæos, qui semper unum coluerunt Deum. Habemus testimonium Apostoli dicentis, quod ipsi essent prope, gentes autem longe. Gentibus autem loquens ait: « Veniens scilicet Christus evangelizavit pacem vobis, qui » eratis longe, et pacem qui prope³; » longe, tanquam minori filio; ostendens Judæos, quia longe non abierunt porcos pascere, unum Deum non deseruerunt, idola non adoraverant, dæmoniis non servierunt. Non de omnibus loquor, ne vobis occurrant perditii et seditiosi Judæi. Illi occurrant, a quibus isti reprehenduntur, graves, servantes mandata legis, nondum intrantes ad vitulum saginatum, sed jam valentes dicere: « Mandatum tuum » non præterivi; » qui quando intrare cœperit, dicat ei pater: « Tu mecum es semper. » Mecum quidem es, quia non longe profectus es, sed tamen male adhuc extra domum es; præter epulas nostras nolo te esse. Noli invidere fratri minori: « Tu mecum es semper. » Non quidem attestatus est Deus ad illum, ad illud (*sic*) quod minus forte

¹ Joan. ix, 24. — ² Luc. xv, 31. — ³ Ephes. ii, 17.

caute (1), atque jactanter dictum erat: « Nunquam mandatum tuum præterivi; » sed ait: « Mecum es semper; » non ait: Nunquam mandatum meum præteristi. Hoc est verum quod Deus dixit, non unde se forte temere ille jactavit quamvis in quibusdam forte transgressor, tamen non recedens ab uno Deo; ut verum dicat et pater, « Tu mecum es semper, et omnia mea tua sunt. » Numquid quia tua sunt, fratris non sunt? Quomodo tua sunt? Communiter habenti, non separate jurganti. « Omnia » inquit, mea tua sunt. » Quæ dicit ipsius esse, tanquam in possessionem dedit. Numquid coelum et terram subdidit, aut sublimitates Angelorum? Non oportet sic intelligi, neque enim vere subdendi nobis erunt Angeli, ad quorum æqualitatem nos perventuros Dominus in magna mercede promittit: « Erunt, inquit, æquales » Angelis Dei⁴. » Sed sunt Angeli de quibus judicabunt Sancti: « Nescitis, ait Apostolus, quia Angelos judicabimus²? » Sunt enim Angeli semper sancti, sunt Angeli prævaricatores. Equabimur (2) bonis Angelis, judicabimus malos Angelos. Quomodo ergo omnia mea tua sunt? Vere omnia Dei nostra, non tamen omnia subdita. Aliter enim dicis, Servus meus, aliter, Frater meus. Quidquid dicis Meum, verum dicis; cum vere loqueris, tuum est; sed numquid eo jure frater, quo servus? Aliter dicis, Domus mea; aliter dicis, Conjux mea; aliter dicis, Filii mei; aliter dicis, Pater, Mater mea. Absque me, audis (3), tua sunt omnia. Deus meus dicis, sed tamen, Deus meus, numquid sicut, Servus meus? Imo Deus meus, sicut Dominus meus. Ergo habemus superiorem Dominum nostrum, quo fruamur; habemus inferiora cæ-

¹ Matth. xxii, 30. — ² 1 Cor. vi, 3.

(1) Cod. male incaute. — (2) Id. male æquavimus. — (3) Id. male audio.

tera, quibus dominemur. Omnia nostra ergo, si nos ipsius.

XIV. « Omnia mea, inquit, tua sunt. » Si pacificus fueris, si placheris, si de reditu fratris gaudeas, si epulæ nostræ non te contristent, si non remaneas præter domum, quamvis jam ab agro veneris, omnia mea tua sunt. Epulari autem nos oportet et gaudere, quia Christus pro impiis mortuus est, et resurrexit. Hoc est enim quod dictum est, quia « Frater tuus mortuus erat et revixit; perierat, » et inventus est¹. »

SERMO XII.

De Pharisæo et Publicano, Luc. XVIII, 10, etc.

Erutus hic sermo a Cod. Cass. cix, fol. 83 vers., ubi legitur cum nomine sancti Augustini, totum hunc beatum doctorem ita representat, ut dubitandi locus non occurrat. Hinc locus ejus sit post sermonem Maurinensem cxv.

SYNOPSIS.

I. Humilitas exemplo Publicani commendatur, cum damnatur exemplo Pharisæi superbia. II. Iterum exemplo Chananæ exaltatur humilitas.

I. Modo ex Evangelio audivimus, fratres charissimi, duorum hominum personas; humilis et inflati, humilis et superbi; confitentis et confiteri nolentis; accusantis se

¹ Luc. xv, 32.

et justificantis se; curari volentis et curam renuentis. « Duo homines, inquit, ascenderunt in templum, ut » orarent, unus Publicanus, et alter Pharisæus¹. » Pharisæus autem tumidus, superbus et inflatus, non humiliato corpore, non inclinata cervice, sed erecta facie, et tumente pectore, sic ait, non oravit, sed improperavit: « Deus, gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri » homines, injusti, adulteri, raptores, sicut hic Publicanus. Jeuno bis in sabbato, decimas do omnium » quæcumque possideo². » O tumor cordis! O inflatio insanæ mentis! « Gratias tibi, inquit, ago, Deus, quia » non sum sicut cæteri homines. » Hoc est dicere Deo: Gratias tibi ago, quia nihil tibi peccavi; non habeo quod mihi ignoscas; sanus sum, non est quod dimittas. Magna confidentia; magna audacia temeritatis, fratres, istius Pharisæi, et ut verius dicam, magna dementia. Deo dicit: « Non sum sicut cæteri homines, qui omnium corda novit; medico dicit: Nihil mihi dolet, qui putredinem cordis videt. Confitere, Pharisæe miser, peccata (1), ut possis curari; nam cum abscondis vulnera peccatorum, amplius habes secari. Dum se excusat, alios accusat; dicendo se innocentem, alios in reatum adduxit. O insanus furor! O punianda et damnanda superbia! Deus paratus est ignoscere, et reus festinat indulgentiam recusare. Medicus vulnerato medelam sanitatis affert, et vulneratus (2), peccator superbus, quales et nunc multos videmus, putredinem vulnerum abscondit (3). Publicanus vero humilis hominem se peccatorem esse cognoscens, sic orabat dicens: « Deus, propitius esto mihi peccatori³. »

¹ Luc. xviii, 10. — ² Ibid. 11, 12. — ³ Ibid. 13.

(1) Cod. male peccator. — (2) Vide August. Serm. cxxxvii, num. 5, et ccccli, num. 1. — (3) Cod. male abscondent.

tera, quibus dominemur. Omnia nostra ergo, si nos ipsius.

XIV. « Omnia mea, inquit, tua sunt. » Si pacificus fueris, si placheris, si de reditu fratris gaudeas, si epulæ nostræ non te contristent, si non remaneas præter domum, quamvis jam ab agro veneris, omnia mea tua sunt. Epulari autem nos oportet et gaudere, quia Christus pro impiis mortuus est, et resurrexit. Hoc est enim quod dictum est, quia « Frater tuus mortuus erat et revixit; perierat, » et inventus est¹. »

SERMO XII.

De Pharisæo et Publicano, Luc. XVIII, 10, etc.

Erutus hic sermo a Cod. Cass. cix, fol. 83 vers., ubi legitur cum nomine sancti Augustini, totum hunc beatum doctorem ita representat, ut dubitandi locus non occurrat. Hinc locus ejus sit post sermonem Maurinensem cxv.

SYNOPSIS.

I. Humilitas exemplo Publicani commendatur, cum damnatur exemplo Pharisæi superbia. II. Iterum exemplo Chananæ exaltatur humilitas.

I. Modo ex Evangelio audivimus, fratres charissimi, duorum hominum personas; humilis et inflati, humilis et superbi; confitentis et confiteri nolentis; accusantis se

¹ Luc. xv, 32.

et justificantis se; curari volentis et curam renuentis. « Duo homines, inquit, ascenderunt in templum, ut » orarent, unus Publicanus, et alter Pharisæus¹. » Pharisæus autem tumidus, superbus et inflatus, non humiliato corpore, non inclinata cervice, sed erecta facie, et tumente pectore, sic ait, non oravit, sed improperavit: « Deus, gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri » homines, injusti, adulteri, raptores, sicut hic Publicanus. Jejuno bis in sabbato, decimas do omnium » quæcumque possideo². » O tumor cordis! O inflatio insanæ mentis! « Gratias tibi, inquit, ago, Deus, quia » non sum sicut cæteri homines. » Hoc est dicere Deo: Gratias tibi ago, quia nihil tibi peccavi; non habeo quod mihi ignoscas; sanus sum, non est quod dimittas. Magna confidentia; magna audacia temeritatis, fratres, istius Pharisæi, et ut verius dicam, magna dementia. Deo dicit: « Non sum sicut cæteri homines, qui omnium corda novit; medico dicit: Nihil mihi dolet, qui putredinem cordis videt. Confitere, Pharisæe miser, peccata (1), ut possis curari; nam cum abscondis vulnera peccatorum, amplius habes secari. Dum se excusat, alios accusat; dicendo se innocentem, alios in reatum adduxit. O insanus furor! O punianda et damnanda superbia! Deus paratus est ignoscere, et reus festinat indulgentiam recusare. Medicus vulnerato medelam sanitatis affert, et vulneratus (2), peccator superbus, quales et nunc multos videmus, putredinem vulnerum abscondit (3). Publicanus vero humilis hominem se peccatorem esse cognoscens, sic orabat dicens: « Deus, propitius esto mihi peccatori³. »

¹ Luc. xviii, 10. — ² Ibid. 11, 12. — ³ Ibid. 13.

(1) Cod. male peccator. — (2) Vide August. Serm. cxxxvii, num. 5, et ccccli, num. 1. — (3) Cod. male abscondent.

Sic mundari, sic justificari in Publicano humilitas meruit dicendo: «Deus, propitius esto mihi peccatori.» Nam superbia in Pharisæo de templo damnata descendit, et humilitas in Publicano ante Dei oculos approbata ascendit. Meliora inventa sunt peccata cum humilitate, quam innocentia cum superbia. Ecce gratis peccata donat Deus, et datis decimis jactabat se miser Pharisæus. Dicebat enim: «Gratias tibi ago, quia non sum sicut cæteri homines.» Hæc dicendo, omne peccatum recusabat, cum grandem sarcinam ferret, et omnes qui in mundo erant, accusaret (1). O homo, quid te jactas, quasi solus misericordiam facias? Quid te putas proprium habere, cum ipse sis potestatis alienæ? Operaris quidem, benefacis, et noli deficere; sed cum humilitate, ut operum tuorum possis mercedem recipere.

II. Nam illa Chananæa, sanctissimi fratres, cum venerandi apices Evangeliorum legerentur, audivimus, humiliando se meruit beneficium; prostrata in terra, apprehendit pedes Jesu, et dixit: «Domine, auxiliare mihi.» Dixit ad eam Jesus: Non est bonum tollere panem filiorum et mittere canibus¹. Illa, hoc audito convicio, non ægre accepit, aut dixit: Noli me facere canem, aut si tibi non placet beneficium dare, injuriam tamen noli irrogare. Illa hoc non dixit, sed humilians se, ait: «Ita, Domine².» Quid est ita, Domine? Domine, verum dicis; agnosco me canem, et si vis, agnosco et quod sum et quod es. Ego enim sum misera, tu plenus es misericordia. Canem me quidem agnosco, quia lapides unctos osculando lingebam (2), sed quia te cognosco verum

¹ Matth. xv, 25, 26. — ² Ibid. 27.

(1) Vide August. tract. vii in Joan. num. 19. — (2) Id. serm. lxxvii, num. 10 et 11.

Deum, non a te debeo exire jejuna. Quos tu filios appellas, ego dominos agnosco. Et ideo, quia non sum digna cum illis recumbere, saltem permitte me micæ de eorum mensa colligere, quia et «Canes edunt de micis quæ cadunt de mensa dominorum suorum¹.» Et Dominus qui beneficium differebat quod daturus erat, ita ut Discipuli dicerent: «Dimitte illam, quia clamat post nos²,» humilitatem mulieris, et fidem quam ipse præsciens (1) erat, pro nobis ad imitandum in medium publicabat. Respondit et dixit ei: «O mulier, magna est fides tua³.» Dudum canis, modo mulier (2); dudum Chananæa, modo fidelissima; quid miramur? Credidit et mutata est in meliora. «O mulier, inquit, magna est fides tua.» Propter hunc sermonem, «Fiat tibi sicut tu vis⁴.» Et sanata est filia ejus ex illa hora. Ecce quantum valuit in Chananæa humilitas, vel quantum justitiæ fructus in Publicano contulit confessio peccatorum; quia «Omnis qui se exultat, humiliabitur, et qui se humiliat, exaltabitur⁵.» Quia «Superbis Deus resistit, humilibus autem dat⁶ gloriam (3).»

¹ Matth. xv, 27. — ² Ibid. 23. — ³ Ibid. 28. — ⁴ Ibid. — ⁵ Id. xxiii, 12. — ⁶ 1 Petr. v, 5.

(1) Cod. male præsciens. — (2) Vide August. de octo Dulciti quæst. n. 9.

(3) Forte gratiam.

SERMO XIII.

De Verbis Evangelii secundum Lucam : *Egressus Jesus perambulabat Jericho, et ecce vir, cui nomen Zacchæus, et hic erat princeps Publicanorum, etc., Luc. XIX, 1, etc.*

Nil vetat quin sancto Augustino tribuatur hic sermo, qui eruitur ex Bibl. Laur. Plut. XVIII, Cod. XXIII, fol. 242. Locus ejus post sermonem præcedentem.

SYNOPSIS.

I. Zacchæus Jesum videre quærit. II. Ascendit in arborem. III. A Christo videtur, et jubetur descendere. IV. Susceptorem suum suscipit, frustra murmurantibus aliis. V. Zacchæi conversi verba. VI. A Christo veniam obtinet.

I. BEATUS Evangelista proxime cum divitis inhumani vitam describit et linem, humano nos (1) movit et moestificavit affectu, sed hodie Zacchæi divitis humanitatem fidemque referendo cœleste nos extulit et removit ad gaudium. « Et ingressus, inquit, Jesus perambulabat Jericho¹. » Quare perambulabat, et non, ambulabat? Perambulabat Christus? Populum quem Moyses inducit in viam, Jesus ad quietem promissæ mansionis adducit.

¹ Luc. XIX, 1.

(1) Cod. *humanos*.

« Perambulabat Jericho; » Jericho civitas ipsa est, quam Jesus Nave septem tubarum clangore subvertit. Sed quia Christus venit salvare quod perierat, ingreditur in Jericho, ut quod lex terræ vociferatione dejecit, Jesus clamore piæ prædicationis attollat. « Ecce vir nomine Zacchæus, et » hic erat princeps Publicanorum, et ipse dives¹. » Jericho Zacchæus Publicanorum princeps in civitate perditâ, perditâ (1) operis egisse scribitur principatum; ex (2) loco, persona, facto, reatus multitudo monstratur, ut ex magnitudine criminis, remittentis luceat magnitudo. Et ecce vir nomine Zacchæus, et hic erat princeps Publicanorum et ipse dives, et quærebat Jesum » videre. » Qui Christum videre quærit, cœlum, unde Christus, non terram, de qua aurum est (3), intuetur. Dives ergo, qui sursum respicit, non portat divitias, sed proculcat; nec incurvatur divitiis, sed levatur; atque agit divitias ad largitatis obsequium, non agitur divitiis ad avaritiæ servitutem. Divitiarum servus, non dominus est avarus; misericors tot servos probatur (4) habere, quot nummos. « Et quærebat Jesum videre, et non poterat » præ turba, quia statura pusillus erat². » Satis hic animo magnus erat, qui pusillus videbatur in corpore; nam mente tangebatur cœlos, qui corpore homines non æquabat. Nemo ergo de brevitate corporis, cui addere nil potest, curet, sed ut fide emineat, hoc procuret.

II. « Et præcurrens, ascendit in arborem³; » quibus putas iste gradibus altissimæ arboris pervenit ad ramos? Iste calcavit terram, superascendit aurum, transcendit avaritiam, et totam divitiarum supergressus est molem, ut

¹ Luc. XIX, 1. — ² Ibid. 3. — ³ Ibid. 4.

(1) Cod. *male perditis*. — (2) *Id. et.* — (3) *Id. male terra... induitur*; et deinde *poterat* pro *portat* quod per conjecturam posuimus. — (4) *Id. procul*. — (5) *Id. ait.* — (6) *Id. probat.*

prosiliens in arborem veniæ, misericordiæ penderet in fructu, et de specula confessionis indulgentiæ cerneret largitorem. « Ascendit in arborem sycomorum¹, » ut unde Adam texerat nuditatem corporis, Zacchæus inde valeret abluere avaritiæ foeditatem. « Ascendit in arborem » sycomorum, ut videret Jesum quia inde erat transiturus¹. » Vere transiturus, quia Christus per terrenas vias et humanos labores non mansurus venerat, sed venerat transiturus.

III. « Cum autem Jesus venisset ad locum, respiciens » vidit eum²; » quasi si illuc Christus non vertisset oculos, non videret, qui (1) Nathanaël, cum absens esset, sub eadem arbore longe vidit; sed vidit eum ad veniam, respexit ad gratiam, intendit ad vitam, contemplatus est ad salutem. Deus quem videt non ignorans, agnoscere cupit, sed ut sciens, ad gloriam vult videre. « Vidit eum, et ait: » Zacchæe, festinaus descende, quia hodie in domo tua » oportet me manere³. » Si bene ascenderat, quare ei dicitur, Descende? Superius dixit: « Præcurrens ascendit arborem; » præcurrebat servus Dominum, et ante Zacchæus ascenderat arborem, quam crucem dominator ascenderet; hinc est quod ei dicitur: « Festinans descende; » quasi festinans descende ante Dominum de mystica arbore, ut, post crucem dominicæ passionis ascendas. « Nisi quis (2), inquit, tulerit crucem suam, et secutus » me fuerit⁴; » non dixit: Præcesserit me. Descende ergo ut deponas ante me (3) fraudis onera, pondera cupiditatis, usurarum moles, magisterium Publicani, exactionis crudelissimæ principatum, et (apprehendas in te) (4)

¹ Luc. XIX, 4. — ² Ibid. — ³ Ibid. 5. — ⁴ Ibid. — ⁵ Matth. x, 38.

(1) Cod. male *quia*. — (2) In cod. *deest quis*. — (3) *Deest me* in cod. — (4) Hæc ponuntur per conjecturam. Cod. enim habet sine sensu: *expensis inter*.

paupertatis stolam, discipulatum misericordiæ, pietatis usum, patientiæ disciplinam, studia virtutum, scientiam divinitatis, tolerantiam passionum, philosophiam mortis, atque ita vitalis ligni ardua jam perfectus ascendas. « Descende quia hodie in domo tua oportet me manere¹. » Petrus cum dixisset Domino: « Non lavabis » pedes meos²; » respondit Dominus: « Sine modo, sic » oportet³; » et modo dicit: « Oportet me manere in » domo tua. » Oportet, quia cujus domum non intraverit Christus, ille ad divinam non perveniet (1) passionem, et cujus hic ad mensam non sederit Christus, ille cœlestem non accumbet (2) ad mensam.

IV. Et descendens suscepit susceptorem suum, qui pastorem suum pascit, qui reus iudicem suffragio humanitatis inclinatur, qui cibi et potus scœnore (3) debitorem suum sibi facit, et acquirit auctorem; et sic fit ut quæstum non perdat Publicanus iste, sed mutet. « Et » cum viderent omnes, inquit, murmurabant quod ad » hominem peccatorem divertisset⁴. » Qui est (4) sine peccato et sine (labe), ipse sibi veniam negat, qui Deum cur ad peccatores (venerit) (5), quærit. Non peccata, sed hominem tunc requirit; ut peccatum quod est (opus hominis puniat, et hominem), quod est opus suum (6), non amittat. Audi Prophetam dicentem: « Averte faciem » tuam a peccatis meis⁵, » hoc est, ab operibus meis. De se autem: « Opera manuum tuarum ne despicias⁶. » Judex

¹ Luc. XIX, 5. — ² Joan. XIII, 8. — ³ Ibid. — ⁴ Ibid. 7. — ⁵ Psal. I, 2. — ⁶ Id. cxxxvii, 8.

(1) Cod. male *præveniet*. — (2) Id. *accumbit*; et deinde bis *quia*, pro *qui*. — (3) Id. *scœnore*. — (4) Id. *et qui*. — (5) Hæc vox *venerit* non reperitur in cod. Addita est per conjecturam. Idem dicendum de voce *labe*, quæ videbatur deesse. — (6) Hæc per conjecturam restituuntur. Cod. habet: *et peccatum quod est opus suum quod est non amittat*. Patet sensus, sed verba deficiunt.

cum vult ignoscere, hominem respicit, non culpam; pater, cum misereri vult, affectus filii cogitat, non delictum: sic in homine Deus sui memor est operis, ut obliviscatur operis humani. Tu ergo, quid reprehendis, quid murmuris? Cur ad peccatorem divertit Christus? Viam salutis, exemplum veniæ, misericordiæ spem, de tali ingressu cape, et cave ne hoc tibi sit tantum (1) blasphemandi materia, quod tibi totius occasio est salutis. Quo medicus, nisi ad ægrum? « Non est, inquit, opus sanis medicus, » sed male habentibus¹. » Ubi anhelus pastor, nisi post ovem perditam? Quando rex hostibus se immiscit, nisi cum vult liberare captivum? Et qui pretiosam perdidit margaritam, loca squalida non dedignatur intrare, et eam in stercore ipsa perquirere non obhorrescit. Et in quo preces post filium non sedat (2) mater? Et arguitur Deus qui creavit hominem ad imaginem et similitudinem suam, quare hominem inter peccata quærat. Quid facies cum videris eum propter hominem ipsas Tartari tenebras penetrare?

V. Audi tamen quid peccatorem ingressus profecerit Christus: « Stans, inquit, Zacchæus². » Vides quomodo erectus est, qui jacebat? Jacemus in vitiis; jacemus oppressi; stamus, cum boni operis erigimur ad profectum. « Stans, inquit, Zacchæus, dixit: Dimidium, Domine, » bonorum meorum do pauperibus³. » Iste post mortem se credit esse victurum, qui dimidium bonorum suorum jam futuram transmittit ad vitam. Scilicet ille perfectus, qui totum quod habet, illuc ubi victurus semper est, hinc præmittit. Est iste tamen virtutis socius, consors prudentiæ, fidei particeps, qui ad Deum vel dimidium mit-

¹ Matth. ix, 12. — ² Luc. xix, 8. — ³ Ibid.

(1) Cod. totius. — (2) Forte non dat.


tit; quia homo quod hic reliquerit hoc amittit. Et revera, fratres, sicut iste, se (1) ibi credit vivere qui illuc transmittit, ita ille ibi non se credit esse victurum, qui sibi illuc, quod habere debeat, nihil præparat. Nam si paupertatem ferre vix possumus temporalem, in æternum mendicus fieri quis durabit? Quis militans non ad patriam mittit quidquid bellico (2) sudore conquirit, ut adolescentiæ labores, senectus deliciis (3) compenset? et Christianus, cui militare est, quod isto vivit in sæculo, quomodo non cogitat, ut pericula terrena cœlestibus hostiis consoletur? Qualiter autem hæc facere debeat Christianus, Zacchæus ipse et verbo docuit, et monstravit exemplo: « Dimidium bonorum meorum do pauperibus, et » si (4) aliquid fraude abstuli, reddo quadruplum⁴. » Qui aliena prærogat, plus dando diripit, quam furando; nec compescit ille dolentum gemitus, sed producit. Audeo dicere: Qui de fraude Deo offert, commemorat crimina, non emendat; quia Deus in tali munere exuvias suorum pauperum, non misericordias intuetur. Sine causa Deum (5) implorat, contra quem juste alter ploraverit Deo. Dei vox est: « Si tuleris fratri tuo tunicam, ante solis occasum redde illam, ne clamet ad me, et exaudiam illum, » quia misericors sum. Ante solis occasum²; » sicut lucerna (6) furem prodit, ita sol eos qui furantur accusat.

VI. Si volumus ergo Deo offerre nostra, reddamus (7) aliena; si volumus apud Deum, quæ nostra sunt, possidere; si volumus et nos audire talia qualia Zacchæus audivit: « Et hic, inquit, filius est Abrahæ³. » Inhumans dives, cum esset filius Abrahæ, factus est gehennæ filius; iste cum esset rapinæ filius, dando sua, aliena

¹ Luc. xix, 8. — ² Exod. xxii, 26, 27. — ³ Luc. xix, 9.

(1) Cod. male si. — (2) Id. velli quod. — (3) Id. dilicio. — (4) Id. sicut. — (5) Id. Deo. — (6) Id. male lucernam. — (7) Id. male iterum ergo.

reddendo, Abrahæ adoptatur in filium (1). Ne quis tamen putet Zacchæum offerendo dimidium honorum, perfectionis non tenuisse fastigium (2), qui et tota sua et se ipsum sic Domino dedit, ut epularum (3) honore fultus, a mensa Publicani quæsitus ad mensam dominici corporis perveniret, et fraudulentas sæculi divitias derelinquens, in paupertate Christi veras cœli divitias inveniret (4), ad quas nos pervenire concedat, qui vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE LEÓN

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

SERMO XIV.

De Verbis Evangelii secundum Joannem: *Cum sublevasset ergo oculos Jesus, et vidisset quia multitudo magna venit ad eum, dixit ad Philippum, etc.* Joan. VI, 5-14.


Pulcherrimus est et doctrina plenus hic sermo, qui educitur ex Bibl. Laurent. Plut. XVII, Cod. XXXIX, fol. 138. Ad Bedæ methodum propius accedere videtur, quam ad beati Augustini dicendi genus. Prophetantem Codicis auctoritatem sancto doctorei adjudicare non audemus, ejus nomen præ se fert, et doctrinæ perfectissime accommodatur. Ponatur post sermonem Maurinensem CXXV.

SYNOPSIS.

I. Oculi Domini. II. Interrogationis diversi modi et tentationis. III. Judæorum fides debilis. IV. Quinque panes, quinque sunt libri Moysis, duo autem pisces, Prophetæ et Psalmi, vel ordo regalis et sacerdotalis. V. Quid sit discumbere per quinquagenos et centenos? VI. Quid in fanum discumbere? VII. Viri simus per fortitudinem. VIII. Quid sit frangere panem et apponere? IX. Obscuras Scripturæ sententias, quæ plebis captum superant, Episcopi et Sacerdotes doceant et defendant. X. Cophinis Apostoli figurantur. XI. Sapientia carnalis Christum prophetam, non Dei Filium agnoscit.

I. QUOTIESCUMQUE Dominum legimus ex paucis panibus multas turbas hominum pavisse, non tantum est mirandum, quantum venerandum. Non est enim mirum

reddendo, Abrahæ adoptatur in filium (1). Ne quis tamen putet Zacchæum offerendo dimidium bonorum, perfectionis non tenuisse fastigium (2), qui et tota sua et se ipsum sic Domino dedit, ut epularum (3) honore fultus, a mensa Publicani quæsitus ad mensam dominici corporis perveniret, et fraudulentas sæculi divitias derelinquens, in paupertate Christi veras cœli divitias inveniret (4), ad quas nos pervenire concedat, qui vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE LEÓN

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

SERMO XIV.

De Verbis Evangelii secundum Joannem: *Cum sublevasset ergo oculos Jesus, et vidisset quia multitudo magna venit ad eum, dixit ad Philippum, etc.* Joan. VI, 5-14.

Pulcherrimus est et doctrina plenus hic sermo, qui educitur ex Bibl. Laurent. Plut. XVII, Cod. XXXIX, fol. 138. Ad Bedæ methodum propius accedere videtur, quam ad beati Augustini dicendi genus. Prophetantem Codicis auctoritatem sancto doctorei adjudicare non audemus, ejus nomen præ se fert, et doctrinæ perfectissime accommodatur. Ponatur post sermonem Maurinensem CXXV.

SYNOPSIS.

I. Oculi Domini. II. Interrogationis diversi modi et tentationis. III. Judæorum fides debilis. IV. Quinque panes, quinque sunt libri Moysis, duo autem pisces, Prophetæ et Psalmi, vel ordo regalis et sacerdotalis. V. Quid sit discumbere per quinquagenos et centenos? VI. Quid in fanum discumbere? VII. Viri simus per fortitudinem. VIII. Quid sit frangere panem et apponere? IX. Obscuras Scripturæ sententias, quæ plebis captum superant, Episcopi et Sacerdotes doceant et defendant. X. Cophinis Apostoli figurantur. XI. Sapientia carnalis Christum prophetam, non Dei Filium agnoscit.

I. QUOTIESCUMQUE Dominum legimus ex paucis panibus multas turbas hominum pavisse, non tantum est mirandum, quantum venerandum. Non est enim mirum

quia potuit, sed potius venerandum quia facere voluit. Qui enim ex nihilo cuncta creavit, non est mirum, si ex paucis panibus multas turbas pavit. Sed considerandum est quod turbas quas refecturus erat prius sublevatis oculis respexisse dicitur: oculi enim Domini in Scripturis duplicem habent significationem. Aliquando enim dona Spiritus sancti significant, aliquando respectum divinæ miserationis; dona Spiritus sancti, sicut in Zacharia legitur: « In lapide uno septem oculi sunt¹. » Et Joannes in Apocalypsi: « Vidi agnum occisum habentem cornua septem, et oculos septem, qui sunt septem spiritus Dei missi in omnem terram²; » respectu divinæ miserationis, sicut in Psalmo legitur: « Oculi Domini super justos³. » Et iterum: « De cœlo respexit Dominus, » vidit omnes filios hominum⁴. » Cujus enim oculis nuda et aperta sunt omnia, tunc nos videre dicitur, quoniam nobis dona suæ gratiæ tribuit, vel nos a pressura tribulationis liberat, sicut ait Moysi: « Videns vidi afflictionem populi mei, qui est in Egypto, et gemitum eorum » audivi, et descendi liberare eum⁵. » In hoc ergo loco sublevatio oculorum Domini respectum miserationis significat, quia turbas quas postea pavit, prius misericorditer inspexit. His enim oculis Dominus Petrum respexit quando « Egressus foras amare flevit⁶. »

II. Dicit ad Philippum: « Unde ememus panem ut » manducet hi⁷? » Interrogavit Dominus Discipulum non ut ab eo aliquid disceret, sed ut eum doceret. Quod facilius intelligimus, si quibus modis interrogatio fiat perpendamus. Fit enim tribus modis; aut studio reprehendentis, aut voto discentis, aut affectu docentis: studio reprehendentis, sicut Scribæ et Pharisei Dominum interro-

¹ Zach. iii, 9. — ² Apoc. v, 6. — ³ Psal. xxxiii, 16. — ⁴ Id. xxxii, 13. — ⁵ Exod. iii, 7, 8. — ⁶ Matth. xxvi, 75. — ⁷ Joan. vi, 5.

gaverunt, ut eum reprehenderent, velut de quadam muliere in adulterio deprehensa, et de denario et cæteris similibus: voto discentis, sicut Apostoli Dominum interrogaverunt, dicentes: « Domine, quando hæc erunt, aut quod » signum adventus tui¹? » Et cætera alia: affectu docentis, sicut Angelus Joannem in Apocalypsi interrogavit, dicens: « Hi qui amicti stolis albis, et unde venerunt²? » Quo respondente: « Domine mi, tu nosti, » continuo docuit dicens: « Hi sunt qui venerunt ex magna tribulatione, et laverunt stolas suas, et dealbaverunt eas in » sanguine Agni³. » Interrogavit ergo Dominus Discipulum, non ut eum reprehenderet, neque ut ab eo aliquid disceret, sed ut eum doceret. Quod sollicitè Evangelista manifestare curavit, cum protinus subjunxit: « Hoc autem » dicebat tentans eum; ipse enim sciebat quod esset facturus. » In quibus verbis magnam nobis intulit quæstionem, cum dixit: « Hoc autem dicebat tentans eum; » maxime cum Jacobus apostolus dicat: « Nemo, cum » tentatur, dicat quoniam (1) a Deo tentatur, quia Deus » intentator malorum est⁴; Deus enim neminem tentat⁵. » Si igitur Deus neminem tentat, quare Evangelista dicit: « Hoc autem dicebat tentans eum? » Ad hoc breviter respondendum, quia alia est tentatio diaboli, qua hominem tentat, ut perdat, et alia Dei, quo hominem tentat, ut probet (2). Quod melius cognoscimus si earumdem ordinem tentationum subtilius discutiamus. Est enim tentatio diaboli, qua hominem tentat, ut perdat, de qua liberari cupientes in Oratione quotidie dicimus: « Et ne » nos inducas in tentationem⁶. » Est autem et alia, quæ

¹ Matth. xxiv, 3. — ² Apoc. vii, 13. — ³ Ibid. 14. — ⁴ Joan. vi, 6. — ⁵ Jacob. i, 13. — ⁶ Matth. vi, 13.

(1) Deest in cod. vox *quoniam*; et deinde habet *tentator pro tentatur*. — (2) Vide Augustin. Serm. ii, num. 2, 3, et tract. xliii in Joan. num. 6.

ex fragilitate vel delectatione carnis oritur, de qua Jacobus dicit : « Tentatur aliquis a concupiscentia sua abs- » tractus et illectus¹; » et Apostolus : « Tentatio vos non » apprehendat, nisi humana². » Est autem et alia, qua Deus hominem tentat, ut probet, de qua per Moysen Israëlitis dicitur : « Tentat vos Dominus Deus vester, ut » sciat, si diligitis eum, an non³; » et per quemdam Sapientem : « Vas figuli probat fornax, et homines justos » tentatio tribulationis⁴. » Quo genere tentationis tentavit Deus Abraham, ut qui notus erat Deo, hominibus appareret probatus. Taliter enim se tentari optabat Propheta, cum dicebat : « Proba me, Domine, et tenta me⁵. » Hoc igitur modo Dominus tentavit Philippum, ut qui ignarus erat mysterii, sciulus redderetur et doctus et disceret eo praesente, « Qui educit panem de terra, et vi- » num lætificet cor hominis⁶, » non dubitare de paucis panibus multas turbas hominum satiari posse. Hæc igitur tentatio non est timenda, sed potius propter probationem toleranda atque optanda, Jacobo apostolo admonente, qui ait : « Omne gaudium existimate, fratres, » cum in varias tentationes incideritis⁷; scientes quia » tentatio patientiam operatur, patientia vero probatio- » nem, probatio vero spem⁸; » et alibi : « Beatus vir, » qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, » accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligen- » tibus se⁹. »

III. « Respondit Philippus : Ducentorum denariorum » panes non sufficiunt eis, ut unusquisque modicum ac- » cipiat¹⁰. » Philippus os lampadis interpretatur. Significat hoc in loco populum Judæorum, qui quondam os

¹ Jacob. i, 14. — ² 1 Cor. x, 13. — ³ Deut. xiii, 3. — ⁴ Eccli. xxvii, 6. — ⁵ Psal. xxv, 2. — ⁶ Id. ciii, 15. — ⁷ Jacob. i, 2. — ⁸ Rom. v, 3, 4. — ⁹ Jacob. i, 12. — ¹⁰ Joan. vi, 7.

SERMO XIV, DE VERBIS EVANGELII SEC. JOANNEM. 81
lampadis fuit, quando, aperto ore, ad laudandum Deum prosilivit. In eo vero quod ait : « Ducentorum denario- » rum panes eis non sufficiunt, ut unusquisque modi- » cum quid accipiat, » raram vel modicam ejusdem populi significat fidem, qui per corporalem Domini præsentiam, et parvum numerum Apostolorum utriusque Testamenti notitiam ad cognitionem hominum venire posse non credidit. Ducenti denarii utrumque Testamen- tum significant. « Dicit eis unus ex Discipulis ejus Andreas » frater Simonis Petri : Est puer unus hic qui habet » quinque panes hordeaceos et duos pisces, sed hæc » quid sunt inter tantos¹? » Si littera inspiciatur, Andreas hoc in loco majorem fidem quantulumcumque videtur habere Philippo, cum dicit : « Est puer unus hic » qui habet quinque panes hordeaceos et duos pisces; » sed in fide dubitavit, cum subjunxit : « Sed hæc quid sunt » inter tantos? » Significat propheticum sermonem, qui cum Dominum in carne venturum prædixit, fidem habuit; sed cum eum venientem idem populus magna ex parte credere renuit, in fide dubitavit. Quos præfiguravit (1) Isaac, qui, cum caligantibus oculis filium benediceret, multa ei sub figura prædixit, sed tamen qui præsens esset, non agnovit. Puer in Scripturis aliquando pro puritate, aliquando pro levitate vel instabilitate mentis accipitur; pro puritate, sicut de Domino dicitur : « Ecce puer meus electus, quem elegi²; » et sicut ipse Discipulis suis ait : « Pueri, numquid pulmentarium » habetis³? » Pro levitate vel instabilitate mentis, sicut Dominus de Judæis dicit : « Cui assimilabo hanc genera- » tionem pessimam, vel cui eam similem dixerimus? Si- » milis est pueris sedentibus in foro, ludentibus atque

¹ Joan. vi, 8, 9. — ² Isai. xlii, 1. — ³ Joan. xxi, 5.

(1) Cod. male præfigurabit.

» dicentibus : Saltavimus vobis, et non cantastis, plan-
» ximus et non lamentastis¹. » Est enim puerilis aetas
garrula et levis, nisi disciplinae verbere coarceatur.

IV. Puer namque iste populum significat Judaicum,
qui pro levitate et instabilitate mentis, in fide et cog-
nitione Dei firmus non permansit. Quinque panes habuit,
quia Judaicus populus quinque libros Moysi accepit,
videlicet Genesim, Exodum, Leviticum, Numerum,
et Deuteronomium (1), qui hebraea lingua Bresit, Ele-
semoth, Vagecra, Vagedaber, Elleabdabarim nominan-
tur. Et bene quidem illi panes hordeacei fuisse referun-
tur propter duritiam legis. Hordeum namque spissum
habet tegumen, et non facile ad ejus pervenitur medul-
lam; obscuritatem legis significans, quia lex ante adven-
tum Domini in tantum velata extitit, ut nullus hominum
eam spiritaliter intelligere posset, quoadusque veniens
benedictionem daret, qui Legem dederat. Si enim per
quinque panes quinque libri Moysis intelliguntur, pos-
sumus et per duos pisces alios duos intelligere libros, ora-
cula scilicet Prophetarum et cantica Psalmorum, qui
post auctoritatem Legis, sacratiores in eodem populo
habebantur, quorum unus memoriter decantando, alte-
rum vero in synagogis suis frequenter legendo recitabant.
Et recte per hos duos pisces hi duo libri intelliguntur,
qui talem populum in Ecclesia futurum praedixerunt,
qui hoc servaret in moribus quod piscis habet in natura.
Piscis namque quatuor habet naturas; unam, quia sine
aqua vivere non potest; secundam, quia super eam sal-
tus dare consuevit; tertiam, quia quo magis tunditur
fluctibus, eo amplius convalescit; quartam, quia mundi

¹ Math. vi, 16, 17.

(1) Vide Augustin. in Joan. Tract. xxiv, num. 5, et lib. de diversis Quaest.
lxxxiii, quaest. lxi.

» pisces per coitum nec generant, nec generantur. Sicut
igitur piscis sine aqua vivere non potest, ita idem po-
pulus sine fonte baptismatis in vitam intrare perpetuam
nequit, Domino dicente : « Nisi quis (1) renatus fuerit
» ex aqua et Spiritu sancto, non potest intrare in regnum
» Dei¹. » Et sicut super aquas saltus emittit, sic ipse po-
pulus terrena despiciens, penna contemplationis se ad
coelestia sublevat, dicens cum Apostolo : « Nostra autem
» conversatio in caelis est². » Et quemadmodum piscis,
quanto magis fluctibus tunditur, eo amplius convalescit,
sic et perfectus Christianus tantum in Deum proficit,
quantum (2) in hoc saeculo invenit quod durius portet,
dicens cum Propheta : « Induxisti nos in laqueum, po-
» suisti tribulationes in dorso nostro, imposuisti homi-
» nes super capita nostra; transivimus per ignem, et
» aquam, et eduxisti nos in refrigerium³. » Et sicut mundi
pisces per coitum nec generant, nec generantur, ita
quoque et in Ecclesia tales habentur qui conjunctionem (3)
respuentes, integritatem virginalem sectantur, implentes
illud quod Dominus dicit in Evangelio : « Sint lumbi
» vestri praecincti, et lucernae ardentes⁴. » Aliter per
duos pisces (4), duos ordines, qui in eodem populo ce-
lebriores habebantur intelligere possumus, regalem sci-
licet et sacerdotalem, a quibus regebantur et instruebantur;
quod Dominus Jesus in se suscipere dignatus est,
ut fieret nobis rex pariter et sacerdos : rex nos bene re-
gendo; sacerdos semetipsum Deo hostiam immaculatam
pro nobis offerendo.

V. « Dixit ergo Jesus : Facite homines discumbere⁵. »

¹ Joan. iii, 5. — ² Philip. iii, 20. — ³ Psal. lxxv, 11, 12. — ⁴ Luc.
xii, 35. — ⁵ Joan. vi, 10.

(1) Deest in cod. vox quis. — (2) Cod. quanto. — (3) Id. male conjunc-
tione. — (4) Vide Augustin. in Joan. tract. xxiv, num. 5.

Discumbere homines, est spiritualiter in fide quiescere. Tunc enim Discipulis, ut homines discumbere facerent Dominus præcepit, quando eos in mundum ad prædicandum destinavit, dicens: « Euntes in mundum universum » docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, » et Filii, et Spiritus sancti, et qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit¹. » Tunc autem eos discumbere » fecerunt, quando profecti prædicaverunt ubique Deo » cooperante, et sermonem confirmante sequentibus signis². » Sed illud prætermittendum non est, quod factum (1), alio Evangelista narrante, cognovimus: « Fecerunt » eos discumbere per convivia quinquagenos et centenos². » Ordo enim iste discumbentium, varietatem significat in Ecclesia conversantium. Quinquageni igitur discumbunt poenitentes; quinquagenarius enim numerus poenitentibus congruit, quia quinquagesimus Psalmus in poenitentia est decantatus, et quinquagesimus annus in Lege Jubilæus est dictus, id est, annus remissionis: centeni qui, Deo protegente, nulla poenitentia publica indigent. Aliter quinquageni discumbunt conjugati, centeni virgines: vel certe quinquageni qui terrenas res bene disponunt, centeni qui perfectionis amore omnia pro Domino derelinquunt.

VI. « Erat autem fœnum multum in loco⁴. » Fœnum, herba est pratorum, quæ, dum viridis, est et visu delectabilis, et (2) sessioni atque deambulationi suavis; sed cum falce secata fuerit, subito pristinam viriditatem amittit. Per fœnum ergo delectatio carnalis, sive ejusdem fragilitas carnis designatur; quæ cum amatoribus suis jucunda videatur et pulchra, falce mortis præcisa, in ariditatem pulveris redditur, Isaïa dicente: « Omnis caro fœnum,

¹ Matth. xxviii, 19, 20, et Marc. xvi, 15, 16. — ² Marc. xvi, 20. —

³ Id. vi, 40. — ⁴ Joan. vi, 10.

(1) Cod. *sicut*. — (2) Deest in cod. *vox et*.

» et omnis gloria ejus quasi flos fœni¹. » Et: « Siccatum » est fœnum et cecidit flos, quia Spiritus Domini sufflavit » in eo. Vere fœnum est populus. » Cujus fœni ariditatem inspexerat Propheta, cum dicebat: « Homo sicut fœnum; » dies ejus tanquam flos agri sic effloreat². » Et Job: « Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis; qui quasi flos egreditur et conteritur, et fugit velut umbra, et nunquam in eodem statu permanet³. » Turba enim quam Dominus pavit supra fœnum discubuit, ut intelligamus quia si spiritualiter ab eo refici cupimus, necesse est, ut delectationes carnis sub mentis dominio comprimamus, juxta illud Apostoli: « Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut » obediatis concupiscentiis ejus⁴, » sed, « Mortificate membra vestra quæ sunt super terram⁵; » id est, fornicationem, immunditiam, avaritiam et cætera hujusmodi.

VII. « Discubuerunt ergo viri numero quasi quinque » millia⁶. » Nec absque consideratione prætereundum est, quod in hac refectioe Domini nulla fœmina interfuisse memoratur, sed tantummodo viri; vir quippe a viribus dicitur, et virorum nomine illos Scriptura sacra censere consuevit, qui viriliter tentamenta diaboli tolerare student. Unde ad beatum Job post victoriam dicitur: « Accinge, sicut vir, lumbos tuos⁷, » id est, sicut fortis restringe luxuriam. Et in Sapientia: « O viri, ad vos clamito⁸; » ac si diceret: Qui fluxa et fœminea mente sunt, mea verba audire non possunt. Hinc et in laude Joseph tribulationes ægyptias fortiter tolerantis, dicitur: « Misit » ante eos virum⁹. » Cum ergo in hoc convivio Domini tantummodo viri fuisse dicuntur, mystice monemur, ut

¹ Isaï. xl, 6, 7. — ² Psal. cxi, 15. — ³ Job. xiv, 1, 2. — ⁴ Rom. vi, 12.

— ⁵ Coloss. iii, 5. — ⁶ Joan. vi, 10. — ⁷ Job. xxxviii, 3, et xl, 2. —

⁸ Prov. viii, 4. — ⁹ Psal. cxv, 7.

si « Quam suavis sit Dominus, gustare¹ » desideramus, viri simus, id est, fortes contra diaboli tentationes, Apostolo monente: « Viriliter agite, et confortamini, » omnia vestra in charitate fiant²; » et Angelo in Apocalypsi: « Estote fortes in bello, et pugnate contra antiquum serpentem. » Nec ab hac refectioe Dominica foemina jejuna remanebit, si sexu foemiueo viriliter tentamenta diaboli compresserit, sicut e contra vir sexu, foemina mente efficitur, si contra impetum tentationis mollis, et dissolutus in opere suo invenitur. Ad quorum vituperationem dicitur: « Effoeminati dominabuntur » eis³. » Bene autem quinque millia fuisse referuntur, propter quinarium numeri perfectionem. Quinarium enim numerus ad quinque sensus corporis pertinet, visum, scilicet, auditum, gustum, odoratum et tactum. Hos igitur sensus sollicite custodire debemus, si convivio Domini interesse volumus. Custodiamus oculos nostros ab illicito visu, ne videant quod concupiscant, propter illud quod Dominus ait: « Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam moechatus est eam in corde suo⁴. » Et iterum: « Non concupisces rem proximi tui⁵; » ut cum Job dicere valeamus: « Pepigi foedus cum oculis meis, ne cogitarem quidem de virgine⁶, » quod ut facere possimus, assidue cum Propheta oremus, dicentes: « Averte oculos meos, ne videant vanitates⁷. » Custodiamus aures, ne libenter audiant verba maledictionis, detractionis, falsitatis et scurrilitatis; sed semper apertae sint ad divinum Verbum audiendum, ut cum Job dicere possimus: « Auditum auris audivi te, Domine⁸. » Hinc nos Propheta admonet dicens: « Sepi aures tuas spinis, ne audiant

¹ Psal. xxxiii, 9. — ² 1 Cor. xvi, 13, 14. — ³ Isai. lvi, 4. — ⁴ Matth. v, 23. — ⁵ Exod. xx, 17 et alibi. — ⁶ Job. xxxi, 1. — ⁷ Psal. cxviii, 37. — ⁸ Job. xlii, 5.

» verba detrahentium¹. » Custodiamus nares ab illicitis odoribus, ne per illecebras odoris ad peccandum pertrahamur; sed sicut ait Apostolus: « Simus Christi bonus » odor Deo in omni loco². » Custodiamus linguam a maledictione, detractione, falsitate, murmuratione et otioso sermone, et propter taciturnitatis custodiam, interdum a bonis cessemus eloquiis, juxta illud Prophetæ: « Dixi: » Custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea; » posui ori meo custodiam et obmutui, et humiliatus sum, et silui a bonis³. Mors enim et vita, ut ait Salomon, in manibus linguæ⁴. » Et: Qui custodit os suum et linguam suam, custodit ab angustiis animam suam⁵. » Tota enim nostra religio quodam modo commaculatur, nisi linguæ moderationes posuerimus; quia, sicut ait Apostolus: « Corruptunt mores bonos colloquia mala⁶. » Et Jacobus: « Si quis putat se religiosum esse non refrenans linguam suam, sed seducens cor suum, hujus vana » est religio⁷. » Custodiamus manus ab effusione sanguinis, a percussione et læsione proximi, et eas semper paratas ad elemosynam largiendam habeamus, et ad id quod bonum est operandum promptissimas, ut cum Propheta dicere possimus: « Lavabo inter innocentes manus » meas, et circumdabo altare tuum, Domine⁸. » Quod si fecerimus, ad millenarii numeri perfectionem pervenimus. Millenarius quippe numerus, ultra quem nulla computatio crescit, eorum perfectionem significat, qui perfectæ consummatæque sunt virtutis, quibus, ut ait Apostolus: « Nihil deest in ulla gratia, expectantibus » revelationem Domini nostri Jesu Christi⁹. »

VIII. « Accepit ergo Jesus panes, et cum gratias egis-

¹ Eccl. xxviii, 18. — ² 2 Cor. ii, 15. — ³ Psal. xxxviii, 2, 3. — ⁴ Prov. xviii, 21. — ⁵ Id. xxi, 23. — ⁶ 1 Cor. xv, 33. — ⁷ Jacob. i, 26. — ⁸ Psal. xxv, 6. — ⁹ 1 Cor. i, 7.

» set, distribuit discumbentibus; similiter ex piscibus,
 » quantum volebant¹. » Alius Evangelista dicit, quod « Ac-
 » cipiens Jesus panes, gratias agens benedixit, fregit, dedit
 » Discipulis suis, ut apponerent, et apposuerunt turbæ². »
 Jam enim superius per panem legem Moysi significari
 diximus; per pisces oracula Prophetarum, et cantica Psal-
 morum. « Accepit Jesus panes, fregit, et dedit Discipulis, »
 quando, post resurrectionem, spiritalem sensum in Lege eis
 aperuit; scilicet quando incipiens a Moyse interpretaba-
 tur. Etiam pisces fregit, et dedit quando eis in Psalmis,
 et Prophetis spiritalem intellectum ostendit, dicens illis,
 quia, « Sic scriptum est in lege Moysi, et Psalmis, et
 » Prophetis de me; et sic oportuit pati Christum, et re-
 » surgere a mortuis, et intrare in gloriam suam, et præ-
 » dicari in nomine ejus remissionem peccatorum³. » Dis-
 cipuli autem apposuerunt turbæ, quando eandem intelli-
 gentiam universo orbi prædicaverunt; de quibus dicitur:
 « In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis
 » terræ verba eorum⁴. » Refecturus autem Dominus tur-
 bam, gratias egit Patri, non quod aliquid indigeret ab eo
 postulare, qui cuncta postulata dat cum Patre, sed ut
 ostenderet omnia sancta et justa ab eo esse quaerenda,
 de quo Jacobus apostolus ait: « Omne datum optimum,
 » et omne donum perfectum desursum est, descendens
 » a Patre luminum⁵. »

IX. « Ut autem impleti sunt, dixit Jesus Discipulis
 » suis: Colligite quæ superaverunt fragmenta, ne pe-
 » reant⁶. » Magna hic Domini potentia ostenditur, sed
 non minor humilitas ejus declaratur. Magna est enim
 potestas de quinque panibus quinque millia hominum
 satiare, sed mira humilitas, fragmenta quæ remanse-

¹ Joan. vi, 11. — ² Marc. viii, 6. — ³ Luc. xxiv, 46, 47. — ⁴ Psal.
 xviii, 5. — ⁵ Jacob. 1, 17. — ⁶ Joan. vi, 12.

SERMO XIV, DE VERBIS EVANGELII SEC. JOANNEM. 89
 runt non velle perire. Si autem per panes Scripturam
 intelligi dictum est, possumus et per fragmenta quæ re-
 manserunt obscuriores quasque sententias ejusdem Scrip-
 turæ intelligere. Quod ergo plebeia multitudo non capit,
 Dominus Apostolis colligere præcepit, quia obscuras
 sententias, quas simplex multitudo capere non potest,
 magistri Ecclesiæ, Episcopi scilicet et Sacerdotes in pro-
 priis pectoribus debent recondere, ut tempore necessi-
 tatis non solum ad eam docendam, sed ad defendendam
 idonei inveniantur. Unde apostolus Paulus, cum virtutes
 episcopi describeret, scientiam Scripturarum in eo eli-
 gendam esse ostendit, dicens: « Obtinentem eum, qui
 » secundum doctrinam est, fidelem sermonem, ut potens
 » sit exhortari in doctrina sana, et contradicentes re-
 » darguere¹. » Quamvis enim melior sit sancta simplicitas,
 quam docta malitia, tamen magistris Ecclesiæ utrumque
 convenit, ut et sancta sit vita propter exemplum, et docta
 lingua propter eruditionem aliorum. Unde Dominus ait:
 « Omnis scriba doctor in regno coelorum, similis est pa-
 » trifamilias, qui profert de thesauro suo nova et vetera². »
 Et iterum: « Quis putas est fidelis servus et prudens,
 » quem constituit Dominus super familiam suam, ut det
 » illis in tempore tritici mensuram? Amen dico vobis
 » quia super omnia bona sua constituet eum³. »
 X. « Collegerunt ergo, et impleverunt duodecim co-
 » phinos fragmentorum ex quinque panibus hordeaceis,
 » quæ superfuerunt his qui manducaverant⁴. » Hic Domini
 miraculum augmentatum est. Magnum enim miraculum
 esset si de quinque panibus, quinque millibus hominum
 satiatis, nihil superesset. Sed evenit signum, auxit ad-
 mirationem, quia non solum de quinque panibus quinque
 millia hominum satiata sunt, sed etiam tot fragmenta
¹ Tit. 1, 9. — ² Matth. xiii, 52. — ³ Id. xxiv, 45-47. — ⁴ Joan. vi, 13.

remanserunt, ex quibus duodecim cophini replerentur. Sed neque duodenarius numerus a mysterio vacat; per duodecim namque cophinos duodecim Apostoli congrua ratione figurantur. Cophinus enim ex vilibus ac minutissimis contextitur virgis; sic et nimirum, et Apostoli dum non ex regibus et principibus, non ex philosophis et sapientibus hujus mundi, sed ex simplicibus et piscatoribus sunt electi, quasi cophini ex vilibus et minutissimis virgis sunt contexti; de quibus ait Apostolus: « Infirmam mundi elegit Deus, ut confundat fortia¹. » Est enim et alia ratio per quam congrue Apostoli cophinis comparantur. In cophinis igitur fimus ponitur, et in arenam terram defertur, ut uberiores fructus reddat; sic et Apostoli, pinguedine Spiritus sancti repleti, eandem gratiam in arenam terram, id est, in gentiliam corda detulerunt, ut fructus uberiores redderent, ut impleretur prophetia: « Pinguescent speciosa deserti, et exultatione colles acingentur; induti sunt arietes ovium, et valles abundabunt frumento². »

XI. « Illi homines cum vidissent quod fecerat signum, dicebant, quia hic est vere Propheta qui venturus est in mundum³. » Merito homines ab Evangelista appellantur, quia humana tantum sapiebant. Videntes enim tale tantumque miraculum, debuerant dicere, quod hic est vere Filius Dei, qui venit in mundum; sed quia homines erant et humana sapiebant, Filium Dei tacentes, Prophetam confitentur. Sed nec in toto errant, cum Dominum Prophetam confitentur, quia sicut ipse de se ipso ait: « Non est Propheta sine honore, nisi in domo et in patria sua⁴. » Et iterum: « Non oportet mori Prophetam extra Jerusalem⁵. » Sed nos ab eo docti, et Spi-

¹ 1 Cor. I, 27. — ² Psal. xxiv, 13, 14. — ³ Joan. vi, 14. — ⁴ Matth. xiii, 67. — ⁵ Luc. xiii, 33.

SERMO XV, DE VERBIS EVANGELII SEC. JOANNEM. 91
ritu sancto instructi, horum refugientes ex Epistola (1), confiteamur cum Petro, quia « Hic est Filius Dei vivi¹, » qui propter nos, et propter nostram salutem venit in mundum, et iterum venturus est judicare vivos et mortuos.

SERMO XV.

De Verbis Evangelii secundum Joannem: *Perrexit Jesus in montem Oliveti, et diluculo iterum venit in templum, et omnis populus venit ad eum, et sedens docebat eos*, etc. Joan. viii, 1-12.

Hic sermo, qui legitur in duobus Codd. Biblioth. Laurent., nempe Plut. xvii, Cod. xxxvi, fol. 106, et Plut. xxi, Cod. x, fol. 151 b, ita differt, ut in priori omnino discrepet ab eo qui editus est tractat. xxxiii in Joann. num. 3 et seqq., in posteriori vero concordet media pars cum Codice xxxvi, et altera pars Editis conveniat, exceptis paucis variantibus. Omnem Augustini doctrinam representat, et nomine ejus in utroque Codice insignitus, nil habet quod sancti doctoris cogitandi et scribendi modo repugnet. Hinc illum in lucem emittimus, licet plura legantur in commentario Bedae in Evangelium Joannis, ita tamen ut ex Cod. x variantes solum sectiones extrahamus, in cæteris Codici xxxvi adherentes. Locus ejus post sermonem Maurinensem cxxxiii.

SYNOPSIS.

I. Misericordia Dei ex eo quod Christus in montem Oliveti

¹ Matth. xvi, 16.

(1) Sic cod. evidenti errore. Forte legendum *ex impietate*.

remanserunt, ex quibus duodecim cophini replerentur. Sed neque duodenarius numerus a mysterio vacat; per duodecim namque cophinos duodecim Apostoli congrua ratione figurantur. Cophinus enim ex vilibus ac minutissimis contextitur virgis; sic et nimirum, et Apostoli dum non ex regibus et principibus, non ex philosophis et sapientibus hujus mundi, sed ex simplicibus et piscatoribus sunt electi, quasi cophini ex vilibus et minutissimis virgis sunt contexti; de quibus ait Apostolus: « Infirmam mundi elegit Deus, ut confundat fortia¹. » Est enim et alia ratio per quam congrue Apostoli cophinis comparantur. In cophinis igitur fimus ponitur, et in arenam terram defertur, ut uberiores fructus reddat; sic et Apostoli, pinguedine Spiritus sancti repleti, eandem gratiam in arenam terram, id est, in gentiliam corda detulerunt, ut fructus uberiores redderent, ut impleretur prophetia: « Pinguescent speciosa deserti, et exultatione colles acingentur; induti sunt arietes ovium, et valles abundabunt frumento². »

XI. « Illi homines cum vidissent quod fecerat signum, dicebant, quia hic est vere Propheta qui venturus est in mundum³. » Merito homines ab Evangelista appellantur, quia humana tantum sapiebant. Videntes enim tale tantumque miraculum, debuerant dicere, quod hic est vere Filius Dei, qui venit in mundum; sed quia homines erant et humana sapiebant, Filium Dei tacentes, Prophetam confitentur. Sed nec in toto errant, cum Dominum Prophetam confitentur, quia sicut ipse de se ipso ait: « Non est Propheta sine honore, nisi in domo et in patria sua⁴. » Et iterum: « Non oportet mori Prophetam extra Jerusalem⁵. » Sed nos ab eo docti, et Spi-

¹ 1 Cor. I, 27. — ² Psal. xxiv, 13, 14. — ³ Joan. vi, 14. — ⁴ Matth. xiii, 67. — ⁵ Luc. xiii, 33.

SERMO XV, DE VERBIS EVANGELII SEC. JOANNEM. 91
ritu sancto instructi, horum refugientes ex Epistola (1), confiteamur cum Petro, quia « Hic est Filius Dei vivi¹, » qui propter nos, et propter nostram salutem venit in mundum, et iterum venturus est judicare vivos et mortuos.

SERMO XV.

De Verbis Evangelii secundum Joannem: *Perrexit Jesus in montem Oliveti, et diluculo iterum venit in templum, et omnis populus venit ad eum, et sedens docebat eos*, etc. Joan. viii, 1-12.

Hic sermo, qui legitur in duobus Codd. Biblioth. Laurent., nempe Plut. xvii, Cod. xxxvi, fol. 106, et Plut. xxi, Cod. x, fol. 151 b, ita differt, ut in priori omnino discrepet ab eo qui editus est tractat. xxxiii in Joann. num. 3 et seqq., in posteriori vero concordet media pars cum Codice xxxvi, et altera pars Editis conveniat, exceptis paucis variantibus. Omnem Augustini doctrinam representat, et nomine ejus in utroque Codice insignitus, nil habet quod sancti doctoris cogitandi et scribendi modo repugnet. Hinc illum in lucem emittimus, licet plura legantur in commentario Bedae in Evangelium Joannis, ita tamen ut ex Cod. x variantes solum sectiones extrahamus, in cæteris Codici xxxvi adherentes. Locus ejus post sermonem Maurinensem cxxxiii.

SYNOPSIS.

I. Misericordia Dei ex eo quod Christus in montem Oliveti

¹ Matth. xvi, 16.

(1) Sic cod. evidenti errore. Forte legendum *ex impietate*.

perrexerit, et diluculo venerit in templum insinuat. II. Sessio Christi humilitatem incarnationis indicat. III. Sapientia Christi responsionis evoluitur. IV. Hinc se quisque iudicet, antequam iudicet alios. V. Aliæ interpretationes mysticæ Christi mulieri adulteræ peccatum condonantis. VI. Christus suæ potentiae argumenta evoluit. VII. Exhortatio moralis.

I. PRESENTEM sancti Evangelii lectionem tanto intentius considerare, fratres charissimi, ac semper reminisci debemus, quanto maximam nobis commendat gratiam nostri Conditoris. Ecce enim, ut (1) audivimus, oblatam sibi ab impiis accusatoribus mulierem peccatricem, non juxta Legis præceptum lapidare, sed ipsos accusatores primum semetipsos considerare, et sic in peccantem sententiam dare præcepit, ut ex consideratione propriæ infirmitatis (2), qualiter aliis misereri debuissent, agnoscerent. Sed quia moris solet esse Scripturarum ut aliquando a statu temporis, aliquando a situ loci, aliquando ab utroque, qualia sint (3) post narranda significant; relaturus Evangelista temperatam legis discretionem misericordia Redemptoris (4), præmisit, quia « Jesus perrexit in montem Oliveti (5), et diluculo iterum venit in templum¹. » Mons quippe Oliveti sublimitatem Dominicæ pietatis et misericordiæ designat, quia græce *oleos*, latine misericordia vocatur (6); et ipsa unctio olei fessis ac dolentibus membris solet afferre levamen; sed et hoc, quod oleum agilitate et puritate

¹ Joan. viii, 1, 2.

(1) Deest *ut* in cod. x. — (2) Cod. x, *fragilitatis, qualiter alteri*, etc. — (3) Sic cod. x; cod. autem xxxvi sunt. — (4) Cod. x *temperatam legis distinctionem misericordiam*; cod. autem xxxvi habet *miser cordia*, quod est melius, sed et *temperata*, quod claudicat. — (5) Vide August. Tract. xxxiii in Joan. num. 3. — (6) Cod. x, *quia et græce misericordia olivetum vocatur, eleon*.

præminet, ut quocumque liquore superfundere volueris (1), confestim hunc transcendere eique superferri consueverit, gratiam misericordiæ cœlestis non inconvenienter insinuat (2). De qua scriptum est: « Suavis Dominus minus universis, et miserationes ejus super omnia opera » ejus¹. » Tempus quoque diluculi exortum ejusdem gratiæ, qua, remota Legis umbra, lux evangelicæ veritatis erat revelanda demonstrat. « Pergit ergo Jesus in montem Oliveti, » ut arcem misericordiæ in se constare denuntiet. « Venit iterum diluculo in templum, » ut eandem misericordiam, cum incipiente Novi Testamenti (3) lumine, fidelibus, templo videlicet suo, pandendam præbendamque significet.

II. « Et omnis, inquit, populus venit ad eum, et sedens docebat eos². » Sessio Domini humilitatem incarnationis ejus, per quam nobis misereri dignatus est, insinuat. Unde etiam nobis præcipitur: « Surgite postquam sederitis³; » ac si aperte dicat: Non ante (4), sed postea, quia cum (5) vera vos humilitate castigaveritis, præmium supernæ exultationis vos accepturos sperate. Bene autem dicitur, quia cum sedens doceret Jesus, omnis populus venit ad eum, quia postquam humilitates suæ (6) incarnationis proximus benignusque factus est, libentius est et a multis ejus sermo receptus. Nam (7) a pluribus est superbix impietate contemptus. « Audierunt enim (8) mansueti, et lætati sunt⁴, » magnificantes Dominum cum

¹ Psal. cxxiv, 9. — ² Joan. viii, 2. — ³ Psal. cxxvi, 6. — ⁴ Id. xxxiii, 3.

(1) Cod. x male *oleum et vitute ac puritate præminet, et quocumque liquorem*, etc. — (2) Desunt hæ voces *non inconvenienter* in cod. xxxvi, sed leguntur in cod. x. — (3) Desunt hæ voces in cod. x. — (4) Cod. x *antea*. — (5) Deest hæ vox in codd. sed requirit sensus. — (6) It. in cod. x. — (7) Cod. x *namque*. — (8) Deest *enim* in cod. xxxi.

Psalmista, et exaltantes nomen ejus in invicem (1). Audierunt invidi, « et dissoluti sunt, nec compuncti (2) » sunt¹, » tentaverunt eum, et deriserunt (3), striderunt in eum dentibus suis. Denique tentantes adduxerunt mulierem in adulterio deprehensam, interrogantes quid de ea fieri juberet (4), quam Moyses talem mandaverat lapidari (5); ut si ipse hanc lapidandam decerneret, deriderent eum quasi misericordiae, quam semper docuerat (6), oblitum; si lapidari vetaret, striderent in eum dentibus suis, et quasi factorem scelerum legisque contrarium valerent merito damnare (7). Sed absit ut terrena stultitia (8) quid diceret inveniret, et coelestis sapientia respondere deficeret (9). Absit ut (10) impietas caeca, soli justitiae, ne mundo luceret, obsisteret. « Jesus » autem, inquit, inclinans se deorsum, digito scribebat » in terra². » Per inclinationem Jesu, humilitas; per digitum qui articulorum compositione flexibilis est, subtilitas discretionis exprimitur. Porro per terram humanum, quod vel bonarum actionum, vel malorum, solet reddere fructus, ostenditur. Postulatur ergo Dominus judicare de peccatrice; non statim dat judicium, sed prius « Se inclinans deorsum, digito scribebat in terra, » ac sic (11) demum, quod obnixè rogatur judicat, nos vide licet typice instituens, ut cum quolibet proximorum er-

¹ P. al. xxxiv, 16. — ² Joan. viii, 6.

(1) Cod. x male *exultantes nomen ejus invicem*. — (2) Desunt haec voces in cod. x. — (3) Cod. x addit *derisu*, deinde cod. xxxvi pessime *stridnerunt*. (4) Ita cod. x, qui tamen male legit *jubere*; cod. xxxvi *quod de ea iuberet*; deinde ambo codd. *Moysem*. — (5) Cod. x *lapidare mandaverit*; forte legendum *quia Moyses talem mandaverat lapidari*. — (6) Id. *semper docebat*. — (7) Id. *velut merito damnerent*. — (8) Sic cod. x; cod. autem xxxvi male *sed absit ad terrena stultitia ut quod*, etc. — (9) Cod. x *quid responderet*, et ante *sapientiam*. Forte legendum *et coelesti sapientiae, quid responderet, deficeret*. — (10) Deest *ut* in cod. x. — (11) Cod. male *si*.

rata conspiciamus, non haec antea (1) reprehendendo judicemus, quam (2) ad conscientiam nostram humiliter reversi, digito eam discretionis solerter exculpemus, et quid in ea Conditori (3) placeat, quidve displiceat, sedula (4) examinatione dirimemus, juxta illud Apostoli: « Fratres, et si praecupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, instruite hujusmodi in » spiritu mansuetudinis (5), considerans te ipsum, ne et » tu tenteris¹. »

III. « Cum autem perseverarent interrogantes eum, erexit » se, et dixit eis (6): Qui sine peccato est vestrum, » primus in illam lapidem mittat². » Quia hinc et inde Dominus Scribae et Pharisei tendebant laqueos insidiarum, putantes eum vel in misericordem futurum in judicando, vel injustum, praevidens (7) ille dolos illorum, quasi filia transit araneae, et judicium justitiae per omnia et mansuetudinem pietatis ostendit (8), completumque est in eis illud Psalmistae, quod diximus, quia « Dissoluti » sunt, nec compuncti sunt³; » dissoluti sunt namque, ne Dominum (9) insidiis concluderent, nec compuncti sunt, ut eam dilectionis sequerentur officii. Vis enim audire temperantiam miserendi? « Qui sine peccato est » vestrum; » vis iterum audire justitiam judicandi? « Primus in illam lapidem mittat. » Si Moyses, inquit, mandavit nobis mulierem hujusmodi lapidare (10), videte

¹ Gal. vi, 1. — ² Joan. viii, 7. — ³ Psal. xxxiv, 16.

(1) Cod. x *ante*. — (2) Codd. *quia*. — (3) Sic cod. x; cod. autem xxxvi male *conditoris*. — (4) Sic cod. x; vox *sedula* in cod. xxxvi non reperitur. — (5) Cod. x *lenitatis*. — (6) Deest vox *eis* in cod. xxxvi. — (7) Codd. *praevidens*. — (8) Cod. x *ostendens*, qui prius male *ab osos et transit*. — (9) Id. male *nec*. (10) Hinc in omnibus dissentiunt ambo codices; cod. x pergit, ut legitur in Editis tract. xxxiii in Joan. num. 4, cum paucis variantibus, quarum una et altera Benedictinum opus feliciter emendant, ut videri potest in variantibus a nobis collectis; cod. autem xxxvi modo prorsus diverso progreditur in hunc modum.

quia non hoc peccatoribus, sed justis facere præcipit. Primo vos ipsi justitiam Legis implete, et sic innocentes manibus et mundi corde ad lapidandam ream concurrite. Primo spiritualia Legis edicta, fidem, et misericordiam, et veritatem perficite, et sic ad carnalia judicanda vos (1) convertite. Dato autem iudicio Dominus, « Iterum se » inclinans scribebat in terra¹. » Et quidem juxta morem consuetudinis humanæ, potest intelligi quod ideo coram tentatoribus improbis inclinari, et in terra scribere voluerit, ut aïo vultu intendens, liberum daret exiendi locum, quos sua responsione percussos citius exituros, quam plura interrogaturos (2) esse prævideret.

IV. Denique « Audientes unus post unum exhibant, » incipientes a senioribus³. » Sed figurate nos admonet in eo quod, et ante datam, et post datam sententiam, inclinans se scribit in terra, ut et prius peccantem proximum corripiamus, et postquam debitæ castigationis illi ministerium reddiderimus, nos ipsos digna humilitatis investigatione perpendamus; ne forte vel eisdem quæ in illis reprehendimus vel aliis quibuslibet simus facinoribus irretiti. Evenit (3) enim sæpe, ut qui verbi gratia homicidam publice peccantem judicant, pejus odiorum malum quo ipsi in secreto depopulantur, non sentiant; qui fornicatores accusant, pestem superbiæ, qua de sua castitate extolluntur, ignorent; qui ebriosum condemnant, virus invidiæ, quo exceduntur, ipsi non videant. Quid ergo nobis in hujusmodi periculis remedii, quid restat salutis, nisi, cum peccantem conspicimus alium, mox inclinamus nos deorsum, id est, quæ (4) delicta ex nostræ con-

¹ Joan. viii, 8. — ² Ibid. 9.

(1) Hanc vocem addidimus, quæ visa est necessaria. — (2) Cod. male *exiendis... quo... interrogatus... et deinde exiebat*. — (3) Ibid. *et venit*. — (4) Id. sine sensu *quando*, et inferius negationem non prætermittit.

ditione fragilitatis vitare non possumus, si non nos divina pietas sustentet, humiliter inspiciamus. Digito scribamus in terra, id est, discrimine solerti pensemus, an cum beato Job dicere possimus: « Neque enim reprehendit nos cor nostrum in omni vita nostra¹; » et meminerimus seduli, quia, si reprehenderit nos cor nostrum, major est Deus corde nostro, et novit omnia.

V. Possumus autem, et ita recte intelligere quod veniam peccatrici daturus (1), digito Dominus in terra scribere voluerit, ut (2) ipsum se esse monstraret, qui Legis Decalogum suo digito, id est, Spiritus sancti opere quondam scripsit in lapidem. Et bene lex in lapidem scripta est, quæ ad domanda duri et contumacis populi præcordia dabatur; bene in terra scripsit Dominus, gratiam remissionis daturus contritis et humilibus corde, qui fructum possent ferre salutis. Bene inclinans se deorsum digito scribit in terra, qui quondam sublimem se ostendens in monte, digito scribebat in lapide, quia per humiliationem susceptæ humanitatis, spiritum gratiæ fructiferis fidelium cordibus infundit, qui excelsus in angulo (3) apprensus, duris dura quondam dedit mandata populis. Bene inclinatus scripsit in terra, erectus misericordiæ verba depromit, quia quod per humanæ infirmitatis societatem promisit (4), per divinæ virtutem potentiæ hominibus donum pietatis impendit. « Eri- » gens se, inquit, Jesus, dixit ei: Mulier, ubi sunt qui » te accusabant? Nemo te condemnavit? Quæ dicit: » Nemo, Domine². » Nemo condemnare ausus est peccatricem, quia in se singuli cernere cœperant, quod magis

¹ Job xxvii, 6. — ² Joan. viii, 10.

(1) Cod. male *addit est*. — (2) Id. *et*. — (3) Sic cod. qui melius dicere videretur *in monte*, et forte *in arduo*. — (4) Sic ex conjectura *correximus* *codicis mendum*, qui scribit *permansit*.

damnandum cognoscerent. Sed qui accusantium turbas prolato justitiæ pondere fugavit, videamus accusatam quanto misericordiæ munere sublevet. Sequitur: « Dixit » autem ei Jesus: « Nec ego te condemnabo. Vade et amplius noli peccare¹. » Impleta est hoc loco sententia Psalmographi, qui in Domini laudibus canit (1): « Intende, prospere procede, et regna, propter veritatem, » et mansuetudinem, et justitiam, et deducet te mirabiliter dextera tua². » Propter veritatem quippe regnat, quia viam veritatis mundo prædicando, catervis credentium regni sui gloriam dilatat. Propter mansuetudinem et justitiam regnat, quia plures ideo se regno subiiciunt illius, quod eum mansuetum in liberandis a peccato pœnitentibus, et justum in damnandis pro peccato contumacibus esse cognoscunt: mansuetum, in largienda gratia fidei et virtutum coelestium; justum, in reddenda mercede perpetua fidei, et coelestium certamini (2) virtutum. « Deduxit eum mirabiliter dextera tua; » quia habitans in homine Deus, mirabilem (3) eum in omnibus quæ faceret et doceret ostendit. Sed et insidias quas astutus hostis excogitare potuerat, mirabili prudentia semper cludentem monstravit. « Nec et ego te, inquit, » condemnabo; vade, et noli amplius jam peccare. » Quam misericors et pius est! præterita peccata relaxat. Quam justus est! et justitiam diligit, ne amplius peccet, interdicit.

VI. Verum quia poterant dubitare aliqui, an posset Jesus, quem (4) verum hominem noverant, dimittere peccata; dignatur ipse apertius quid divinitus valeat

¹ Joan. viii, 11. — ² Psal. xlii, 5.

(1) Vide Augustin. tract. xxxiii in Joan., num. 4. — (2) Cod. male certamine. — (3) Ibid. mirabile. — (4) Id. quæ, pro quem, nisi potius legendum videatur contra codicis tenorem, quæ reum hominem fecerant.

ostendere. Post repulsam namque tentatorum nequitiam, post solutam peccatricis culpam, iterum loquitur eis dicens: « Ego sum lux mundi; qui sequitur me non ambulat in tenebris, sed habebit lucem vitæ¹. » Ubi manifeste ostendit, non solum qua auctoritate mulieri peccata dimiserit, sed quid etiam figuraliter expresserit ipse pergendo in montem Oliveti, quid diluculo iterum veniendo in templum, quid digito in terra scribendo, patrem videlicet se esse misericordiarum, et Deum totius consolationis, simul et largitorem lucis indeficientis, (1) Legis pariter latorem, et gratiæ. « Ego sum lux mundi. » Ac si aperte dicat: Ego sum lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum²; Ego sol justitiæ, qui timentibus Deum orior. Tegor enim nube carnis, non ut abscondar quærentibus, sed ut temperer infirmis, ut sanent oculos mentis, fide purificent corda sua, ut me ipsum mereantur intueri. « Beati enim » mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt³. Qui sequitur me non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ. » Qui meis modo jussis et exemplis obsequitur (2), non timebit in futuro tenebras damnationis, sed lucem potius vitæ, ubi nunquam prorsus moriatur, habebit.

VII. Sequamur igitur, fratres, modo lucem justitiæ fide quæ per dilectionem operatur, ut eam tunc consequi mereamur specie, quæ dilectionis meritum et remuneret, et addat, ipso attestante, qui ait: « Qui autem diligit » me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum, et » manifestabo ei me ipsam⁴. » Veniamus tota mentis intentione ad eum, qui in visibili monte Oliveti locum

¹ Joan. viii, 12. — ² Id. 1, 9. — ³ Matth. v, 8. — ⁴ Joan. xiv, 21.

(1) Cod. pessime indeficientis. — (2) Id. male exequitur.

habebat. « Unxit eum (1) Dominus Deus suis oleo lætitiæ » præ consortibus ejus¹. » ut et nos consortes ejusdem suæ unctionis, id est gratiæ spiritualis dignetur facere participes, quod non tamen aliter quam (2) diligendo justitiam, et odiendo iniquitatem, adipisci merebimur; nam et de ipso Psalmus qui hæc loquitur præmisit: « Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem²; » et prædicando videlicet gloriam capitis, et membra quæ ad hoc pertinere possint, qualiter conversari debeant, ostendendo. Reminiscamur quia ipse diluculo venit in templum, et ipsi existere nostri Conditoris studeamus templum; discussis vitiorum tenebris, in lucem proficere virtutum, quatenus etiam nostra præcordia visitare Dominus, nos coelestibus instruere disciplinis, et quidquid in nobis sordidum repererit propitius emundare dignetur, qui vivit et regnat cum Patre in unitate Spiritus sancti Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XVI.

De Verbis Evangelii secundum Joannem: *Dixit Jesus Discipulis suis: Amen, amen dico vobis: Non est servus major domino suo, neque Apostolus major est eo qui misit illum, etc.* Joan. XIII, 16-32.

Educitur hic sermo ex Bibl. Edil. Cod. cxlii, fol. 204. Differt ab iis qui editi sunt de eadem Scriptura in tractatibus lix, lx, lxi et lxii, sed in quibusdam ad eorum-

¹ Psal. XLIV, 8. — ² Ibid.

(1) Cod. enim. — (2) Id. tam... quia.

dem explicationes accedit. Nomen habet Augustini in Codice, nec satis constat utrum sit diversa homilia a sancto Doctore facta, an earumdem brevius compendium. Quidquid sit, in tantis sapit Augustinum, ut non præmittendus videatur. Locus ejus post sermonem Maurinensem cxi.

SYNOPSIS.

I. De electione Judæ. II. Præscientia Christi. III. Honor Christi ministris collatus. IV. Græcorum usus de die Paschæ. V. Turbatio christianismo non repugnat. VI. Judæ crimen insinuat Christus, non prorsus patefacit. VII. Interrogatio facta a Joanne. VIII. Quomodo in Juda, qui jam a diabolo possessus erat, introivit Satanus. IX. Crimen a Christo non præceptum. X. Non prohibitum est argentum habere, sed ma'e habere. XI. Judæ impudens malitia. XII. Clarificatio Filii hominis.

I. Nox intelligit Judam fore beatum cum cæteris facientibus ea quæ ipse Dominus fecit et docuit. Et hoc est quod sequitur: « Non de omnibus vobis dico, ego » scio quos elegerim; sed ut impleatur Scriptura: Qui » manducat mecum panem, levabit contra me calcaneum » suum¹. » Judas levavit contra eum calcaneum suum, hoc est, conculcavit eum in quantum potuit. Alia vero translatio Psalmi sic habet: « Homo pacis meæ in quo » speravi, qui edebat panes meos, magnificavit super me » supplantationem². » Elegit quidem Dominus Judam ad illud quod de eo factum est, in salutem aliorum: unde cum vero elegit sibi sequaces, ut beati fierent. Unde alibi: « Elegi vos duodecim, et unus diabolus est³. »

II. « A modo dico vobis, priusquam fiat, ut credatis, » cum factum fuerit, quia ego sum⁴. » Ac si dicat:

¹ Joan. XIII, 18. — ² Psal. XL, 10. — ³ Joan. VI, 71. — ⁴ Id. XIII, 19.

habebat. « Unxit eum (1) Dominus Deus suis oleo lætitiæ » præ consortibus ejus¹. » ut et nos consortes ejusdem suæ unctionis, id est gratiæ spiritualis dignetur facere participes, quod non tamen aliter quam (2) diligendo justitiam, et odiendo iniquitatem, adipisci merebimur; nam et de ipso Psalmus qui hæc loquitur præmisit: « Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem²; » et prædicando videlicet gloriam capitis, et membra quæ ad hoc pertinere possint, qualiter conversari debeant, ostendendo. Reminiscamur quia ipse diluculo venit in templum, et ipsi existere nostri Conditoris studeamus templum; discussis vitiorum tenebris, in lucem proficere virtutum, quatenus etiam nostra præcordia visitare Dominus, nos coelestibus instruere disciplinis, et quidquid in nobis sordidum repererit propitius emundare dignetur, qui vivit et regnat cum Patre in unitate Spiritus sancti Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XVI.

De Verbis Evangelii secundum Joannem: *Dixit Jesus Discipulis suis: Amen, amen dico vobis: Non est servus major domino suo, neque Apostolus major est eo qui misit illum, etc.* Joan. XIII, 16-32.

Educitur hic sermo ex Bibl. Edil. Cod. cxlii, fol. 204. Differt ab iis qui editi sunt de eadem Scriptura in tractatibus lix, lx, lxi et lxii, sed in quibusdam ad eorum-

¹ Psal. xlii, 8. — ² Ibid.

(1) Cod. enim. — (2) Id. tam... quia.

dem explicationes accedit. Nomen habet Augustini in Codice, nec satis constat utrum sit diversa homilia a sancto Doctore facta, an earumdem brevius compendium. Quidquid sit, in tantis sapit Augustinum, ut non præmittendus videatur. Locus ejus post sermonem Maurinensem cxi.

SYNOPSIS.

I. De electione Judæ. II. Præscientia Christi. III. Honor Christi ministris collatus. IV. Græcorum usus de die Paschæ. V. Turbatio christianismo non repugnat. VI. Judæ crimen insinuat Christus, non prorsus patefacit. VII. Interrogatio facta a Joanne. VIII. Quomodo in Juda, qui jam a diabolo possessus erat, introivit Satanus. IX. Crimen a Christo non præceptum. X. Non prohibitum est argentum habere, sed ma'e habere. XI. Judæ impudens malitia. XII. Clarificatio Filii hominis.

I. Nox intelligit Judam fore beatum cum cæteris facientibus ea quæ ipse Dominus fecit et docuit. Et hoc est quod sequitur: « Non de omnibus vobis dico, ego » scio quos elegerim; sed ut impleatur Scriptura: Qui » manducat mecum panem, levabit contra me calcaneum » suum¹. » Judas levavit contra eum calcaneum suum, hoc est, conculcavit eum in quantum potuit. Alia vero translatio Psalmi sic habet: « Homo pacis meæ in quo » speravi, qui edebat panes meos, magnificavit super me » supplantationem². » Elegit quidem Dominus Judam ad illud quod de eo factum est, in salutem aliorum: unde cum vero elegit sibi sequaces, ut beati fierent. Unde alibi: « Elegi vos duodecim, et unus diabolus est³. »

II. « A modo dico vobis, priusquam fiat, ut credatis, » cum factum fuerit, quia ego sum⁴. » Ac si dicat:

¹ Joan. XIII, 18. — ² Psal. xl, 10. — ³ Joan. vi, 71. — ⁴ Id. XIII, 19.

Usque huc toleravi, obtacui; sed jam noto proditorem, antequam faciat, quod cito facturus est, ut postea credatis, quia ego sum ille de quo Scriptura illa prædixit.

III. Cum igitur exemplo suo docuit Apostolos humiliationem et calcanei passionem, supponit quo consoletur eos honorem (1), quod ipse et Pater in eis recipietur. « Amen, amen dico vobis, qui accipit si quem misero, » me accipit. Qui autem me accipit, accipit eum qui me » misit¹. » In verbis istis non unitas naturæ missi et mittentis, sed in misso mittentis auctoritas commendatur. Quisquis ergo missum sic accipiat, ut in eo mittentem attendat, ut in Petro Christum, scilicet in servo Dominum, in Christo Patrem, scilicet in Unigenito Genitorem.

IV. Acute intuendum, si prædicta coena fuit eadem quæ paulo post commemoratur, quomodo ante diem festum Paschæ facta est? Sed supra dictum est, et diem azymorum pro Pascha, et pro diebus azymorum, quorum primus et ultimus major cultu habebatur, poni Pascha. Unde Joannes dicit: « Ante diem festum Paschæ, » vocando Pascha primum diem solemnitatis sequentis, id est, sextam feriam. Græci vero non illum diem, cujus vespere luna quartadecima apparuit, sed solum sequentem vocant diem (2) immolationis Agni, dicentes Dominum quinta feria anticipando comedissem cum Discipulis paschalem agnum, et tunc instituisse sacramenta carnis sanguinisque sui, dum adhuc fermentatum comederetur, ideoque in fermentato sacrificant. Dicunt itaque Dominum ipso die Paschæ crucifixum fuisse ad meridiem, et ad hoc confirmandum inducant, quia Judæi noluerunt intrare in prætorium, scilicet Pilati domum, ne contaminarentur; sed comederent Pascha, non intelli-

¹ Joan. XIII, 20.

(1) Cod. *honore*. — (2) Id. *addit male et*.

gentes Pascha, nisi esum Agni. Cum igitur patenter contrarii sint tribus Evangelistis, impudenter dicitur (1), Joannem in hac parte correxisse eos; sed constat omnes eodem spiritu locutos fuisse, ne si in uno errarent, in aliis minus eis crederetur.

V. « Cum hæc dixisset, turbatus est spiritu, et pro- » testatus est, et dixit: Amen, amen dico vobis quia » unus ex vobis tradet me². » Protestatur, id est, prædicit occultum crimen, ut videns proditor se latere non posse, pœniteat facti. Nec tamen designat eum ex nomine, ne aperte coargutus, impudentior fiat. Mittit ergo crimen in numero, ut conscius pœnitentiam agat. Turbatus est Dominus potestatis (2), transfigurans in se affectum nostræ infirmitatis. Ergo quando turbamur, non desperemus. Pereant argumenta philosophorum (3), qui negant in sapientem cadere perturbationes animorum. Turbetur animus christianus non miseria, sed misericordia. Quod enim Dominus turbatur spiritu, significat turbandos spirituales ex charitate, cum urgens causa zizania a tritico ante messes cogit reparare.

VI. « Et illi cœperunt contristari, et dicere singilla- » tim: Numquid ego sum, Domine²? » Noverant undecim Apostoli, quod nihil tale cogitaverant, sed plus credunt Magistro, quam sibi, et timentes fragilitatem suam, tristes quærent de peccato, cujus non habent conscientiam. Quibus ait: « Qui mecum intingit manum » in catino, hic me tradet³. » Cæteris contristatis, et retrahentibus manus, et interdientibus cibos ori suo, Judas impudentia qua proditurus erat Magistrum, manum mittit in paropside, ut audacia bonam conscien-

¹ Joan. XIII, 21. — ² Matth. XXVI, 22. — ³ Marc. XIV, 20.

(1) Cod. *dicit*. — (2) Id. *potestate*. — (3) Vide Augustin. in Joan. tractat. LX, num. 3.

tiam mentiretur. Et notandum quod omnes duodecim de eodem vase in circuitu cibos cum Domino sumebant in cœnaculo strato, quasi jacendo more antiquo recumbentes; alioquin proditor per intinctionem manus expresse notatus esset, si nullus de aliis ad escam Domini manum extendisset. Quod vero Matthæus paropsidem¹, Marcus catinum dicit²; unus quadraturam vasis, alter quia esset fictile designat. « Filius quidem hominis vadit, sicut » scriptum est de illo; vae autem homini illi, per quem » Filius hominis tradetur³. » Poena prædicatur, ut qui pudore non vincitur, timore corrigatur. Etiam hodie vae illi qui altaribus sacrosanctis malignus accedit, et præcordiis aliquo scelere pollutis. « Bonum erat ei, si natus » non fuisset homo ille⁴. » Si in utero matris mortuus fuisset, ne vivus nasceretur, in comparatione mali, quod postea promeruit, bonum sibi esset. Sic dicitur, Ponticum mare dulcius esse, quam cætera maria, id est, minus amarum; vel usitate et simpliciter dictum est, multo melius esse non subsistere, quam male subsistere, ut si de aliquo pessimo diceretur: Melius esset illi si nunquam fuisset.

VII. « Aspiciebant ergo ad invicem Discipuli, hæsi- » tantes de quo diceret⁵, » et quærentes inter se, quis esset ex eis qui hoc facturus esset. « Erat ergo recumbens » unus ex Discipulis ejus in sinu Jesu, quem diligebat » Jesus⁶. » Quid dixerit (1), « In sinu, » paulo post ait, ubi dicit, « Supra pectus Jesu. » Ipse est Joannes quem diligebat Jesus, non plus omnibus, sed familiaris, ut adolescentem, ut cognatum, ut virginem, in quo formam contemplativorum proposuit. Erat enim consuetudo,

¹ Matth. xxvi, 23. — ² Marc. xiv, 20. — ³ Matth. xxvi, 24. — ⁴ Ibid.

— ⁵ Joan. xiii, 22. — ⁶ Ibid. 23.

(1) Vide August. in Joan. tractat. lxi, num. 4.

ut scriptor gestorum, cum ad se veniret, tanquam de alio loqueretur; per sinum significatur secretum, de quo bibit divinitatis sacramentum. « Innuit ergo huic Simon Petrus, » et dicit ei: Quis est de quo dicit? Itaque cum recubisset ille supra pectus Jesu, dicit ei: Domine, quis » est? Respondit Jesus: Ille est, cui ego intinctum panem » porrexero¹. » Interrogat Petrus Joannem non verbis, sed nutu corporis, Joannes Dominum familiari consilio, cui submissa voce exprimit proditorem.

VIII. « Et cum intinisset panem, dedit Judæ Simo- » nis Iscariotis, et post buccellam tunc introivit in illum » Satanus². » Dominus per intinctam buccellam suam exprimit traditorem, fortassis per panis intinctionem, illius significans fictionem. Non enim omnia quæ intinguntur, ablunntur, sed nonnulla tinguntur, ut inficiantur. Si autem bonum aliquod hæc tinctio significat, eidem bono ingratum non immerito secuta est damnatio. Nota quia intraverat Satanus in cor Judæ, quando pactus est cum Judæis pretium de sanguine Domini, ut ait Lucas. Venerat ergo ad cœnam habens diabolum in cogitatione; post panem vero intravit in eum, non ad hoc, ut illum tentaret; sed ut proprium possideret. Intrat enim in cor, immittendo iniquas persuasiones cogitationibus iniquorum. Sed nunc intelligere debemus a diabolo Judam plenius esse possessum, sicut Apostoli, qui jam post resurrectionem acceperant Spiritum sanctum, insufflante Domino et dicente: « Accipite Spiritum sanctum³, » postea plenius acceperunt in die Pentecostes.

IX. « Dicit ei Jesus: Quod facis fac citius⁴. » Non præcepit facinus, sed prædixit, dans in se potestatem, ut quia voluntatis crimen pro facto pensatur, invidia

¹ Joan. xiii, 24-26. — ² Ibid. 26, 27. — ³ Id. xx, 22. — ⁴ Id. xiii, 27.

perageret re, quod voluntate jam fecerat (1). Festinat Dominus in bonum salutis fidelium, quod Judas operatur, sed non sibi. Multi quippe bonum, ut Judas, faciunt, sed nihil proficit illis.

X. « Hoc autem nemo scivit discumbentium ad quid » dixerit. Quidam enim putabant, quia oculos habebat » Judas, quod dicit ei Jesus: Eme ea quæ opus sunt non » bis ad diem festum, aut egenis ut aliquid daret ¹. » Habebat Dominus oculos, oblata fidelium conservans suorum necessitatibus. Tunc ecclesiasticæ pecuniæ forma est instituta, ubi intelligeremus, quod præcepit non cogitandum de crastino, non ad hoc fuisse præceptum ut nihil pecuniæ servetur a Sanctis; sed ne Deo pro ista serviatur, et propter inopiæ timorem justitia deseratur.

XI. « Respondens autem qui tradidit eum dixit: Num- » quid ego sum, Rabbi? » Ne tacendo se prodere videretur, interrogat, sicut alii. In hoc quod ait: « Rabbi, » jungit affectum blandientis, et magistrum vocat, quasi excuset proditorem. « Ait illi: Tu dixisti ². » Cogitando aliquid dicitur, juxta illud: « Dixerunt apud semetipsos ³. » Constat itaque, quia Judas corde dixit, et ratum habuit se esse proditorem. Confutatur ergo, cum audit: « Tu » dixisti, » nec tamen aliis aperte exprimitur. Potest enim intelligi quasi Dominus diceret, Non ego dixi. Cum ergo accepisset ille buccellam, exiit continuo. « Erat autem » nox ⁴. » Quia bono male usus est, hæc præsumptio peccata auxit, ut aperte a Domino recederet. Nox autem congruit sacramento; erat enim, qui exiit, filius tenebrarum, faciens opera tenebrarum.

XII. « Cum ergo exiisset, dicit Jesus: Nunc clarifica-

¹ Joan. XIII, 28, 29. — ² Matth. XXVI, 25. — ³ Ibid. — ⁴ Ibid. 22. — ⁴ Joan. XII, 30.

(1) Cod. male faceret.

» tus est Filius hominis, et Deus clarificatus est in eo. Si » Deus clarificatus est in eo, et Deus clarificavit eum in » semetipso, et continuo clarificavit eum ¹. » Exeunte Juda, pro quo dicebatur: « Non estis mundi omnes ², » remanserunt soli mundi cum suo mundatore. In hoc significata est clarificatio Christi, in qua separatis malis, manebit in æternitate cum sanctis. Cum enim transibit mundus, nemo in populo Christi remanebit immundus. Et quia res significantes, tanquam significatæ, appellantur, ut petra non dicitur, Significabat Christum, sed, Christus erat (1); ita non dicit: Nunc significata est clarificatio; sed, Clarificatus est Filius hominis, id est, Deus clarificatus in eo, quia hæc est clarificatio Filii hominis. Quod quasi exponens subdit: « Si Deus clarificatus est in eo, » quia non venit facere voluntatem suam, sed Patris, et » Deus glorificabit eum in semetipso (2), et continuo fiet » hæc glorificatio ³; » statim autem post mortem resurget humana natura immortalis (3) æternitate, in quo apparebit Deum habere in se, qui eam resuscitabit. Vel quia mox futura quasi jam facta reputantur, potest et ita intelligi: Ecce traditor inducit mercatores mortis, flagella, crucem; sed gloria triumphalis hæc est. Nunc clarificabitur Filius hominis, quia Sancti qui in tenebris expectant, videbunt Deum, anima ejus ministrante, quam cito exspirabit. Et hoc est quod dicit Deum clarificari in eo. Si Deus clarificabitur in eo, id est, in membris ejus, ut expositum est, constat, quia « Deus et glorificabit eum » in se ipso, et continuo glorificabit, » ne differatur ejus immortalis resurrectio, ut aliorum.

¹ Joan. XIII, 31, 32. — ² Ibid. 10. — ³ Ibid. 31, 32.

(1) Deest vox erat in cod. — (2) Cod. male in sæculo. — (3) Id, in mortali.

SERMO XVII.

De Verbis Evangelii secundum Joannem: *Dixit Jesus Discipulis suis: Amen, amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis.* Joan. xvi, 23-30.

Hic sermo legitur in tribus Codd., nempe duobus ex Bibl. Laurent., quorum prior habetur Plut. xvii, Cod. xlIII, fol. 25; posterior autem Plut. xix, Cod. xvii, fol. 126 b; uno vero ex Bibl. Aedil. Cod. cxxxvi, fol. 151 b. Omnes nomen sancti Augustini praeferunt, cui nihil obstat quominus tribuatur. Locus ejus post sermonem Maurinensem cXLV.

SYNOPSIS.

I. Orandum est, licet res postulata non impetretur. II. Quare? Sunt qui mali petunt. III. Sunt qui carnalia postulant, aut qui petunt bona boni pro indignis. IV. Aliquando bona a bonis postulata in futuro implenda servantur. V. Sunt qui sancti contraria petunt animae salutem. VI. Quid sit petere in nomine Christi. VII. Quid specialiter petendum? VIII. De locutione Christi in proverbiiis. IX. Christus orat, ut homo; exaudit, ut Deus. X. Homo non prius amat, quam ametur. XI. Duplex Christi natura. XII. Proprium Deo, cogitationes hominum intueri.

I. LARGITOR virtutum, et remunerator meritorum, Dominus Jesus Christus, sciens humanam naturam nihil

boni in (1) se habere posse, nisi per ejus gratiam, qui ait: « Sine me nihil potestis facere¹, » ad instantiam orandi et importunitatem petendi nos alibi hortatur, et admonet, dicens: « Petite et accipietis, quærite et invenietis (2), pulsate et aperietur vobis². » Et ne aliquis impetrare se posse quod postulat, dubitaret, si tamen in oratione non deficiat, magnam fiduciam petentibus in exordio hujus lectionis exhibuit, dicens: « Amen, amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis³. » Ubi notandum, quia cum nos ad petendum hortatur Dominus (3), sua gratuita dona, nostra vult esse merita. Et ideo quamvis sciat quid nobis necesse sit, antequam petamus eum, ut inveniat in nobis quod (4) juste remuneret, ad petendum nos invitat, dicens: « Omnis qui petit accipit, et qui quærit invenit, et pulsanti aperietur⁴. » Sed forte movet minus intelligentes, quare dicat: « Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis; » cum legamus non solum inferiores quosque, sed etiam Paulum apostolum, qui summæ perfectionis fuit, aliquid petiisse, et non impetrasse.

II. Sed ut veridica Domini promissio nobis clarius eluceat, libet diversas personas petentium inspicere, et causas impetrandi vel non impetrandi discernere. Aliquando enim solet contingere, ut in oratione bona petantur, sed quia mali sunt qui petunt, a Domino exaudiri non merentur. Superflue namque se exaudiri a Domino putant in suis orationibus, qui eum audire contemunt in suis sermonibus, Salomone testante, qui ait: « Qui ob-

¹ Joan. xv, 5. — ² Id. xvi, 24. — ³ Ibid. 23. — ⁴ Matth. vii, 8.

(1) Deest in codd. *in*, quod requirit sensus. — (2) Sic cod. xvii; quæ verba desunt in cæteris codd. — (3) Sic id.; hæc vox deest in cæteris. — (4) Cod. cxxxvi *quid*.

» turat aures suas (1), ne audiat legem; oratio ejus erit » execrabilis⁴. »

III. Aliquando vero carnales carnalia petunt, et ideo a Domino non exaudiuntur. Quibus per beatum Jacobum apostolum dicitur: « Petitis, et non accipitis, eo quod » male petatis, ut in concupiscentiis vestris permaneat². » Aliquando boni bona petunt, sed illorum mala merita pro quibus petunt, eis obsistunt, ne exaudiantur; quales erant illi pro quibus Jeremiæ a Domino dicitur: « Tu » vero noli orare pro populo hoc, et non assumas pro eis » laudem et orationem, neque obsistas mihi, quia non » exaudiam te³. » Et iterum: « Si steterit Moyses et Sa- » muel coram me, non est anima mea ad populum istum⁴. » Nec tamen putandum est quod a fructu mercedis (2) privemur, quoties pro iniquis orantes exaudiri non meremur, quia et si illi non sunt digni accipere, pro quibus petimus, nobis tamen pro bona intentione merces recompensabitur. Unde (3) non dixit simpliciter: « Si quid pe- » tieritis Patrem in nomine meo, dabit, » sed cum additamento: « Dabit vobis; » quod est dicere: Et si illi non merentur accipere, pro quibus petitis (4), vobis tamen pro affectu charitatis merces retribuatur, sicut Psalmista ait: « Et oratio mea in sinu meo (5) convertetur⁵. »

IV. Aliquando Sancti saneta petunt, sed quia eorum petitio in presenti non impletur, restat ut in futuro impleatur; sicut universalis Ecclesia quotidie in oratione postulat dicens: « Adveniat regnum tuum⁶; » quod reg-

¹ Isai. xxxiii, 15. — ² Jacob. iv, 3. — ³ Jerem. vii, 16. — ⁴ Id. xv, 1. — ⁵ Psal. xxxiv, 13. — ⁶ Matth. vi, 10.

(1) Cod. xvii aurem suam. — (2) Ibid. quia fructu mercedis. — (3) Sic cod. cxxxvi; cod. xliii addit bene, quæ vox legitur etiam in cod. xvii, qui tollit negationem non. — (4) Sic cod. xvii; cod. xliii petetis. — (5) Cod. cxxxvi in sinum meum.

num non finita oratione advenit, tamen post universale (1) iudicium sine dubio creditur venturum.

V. Aliquando Sancti cum in oratione contraria animæ suæ ignoranter (2) petunt, occulto iudicio Dei non ad voluntatem; sed ad salutem exaudiuntur. Multo enim salubrius est exaudiri ad salutem, quam ad voluntatem. Quod ut manifestius intelligatur, duos in medium ponamus (3), unum malum et alterum bonum, ita tamen ut bonus petisse legatur, et non impetrasse, malus autem petisse, et impetrasse. Sed ne aliquis tacita conscientia dicat, fieri posse illum ante oculos Dei justum esse, qui est exauditus, et illum injustum, qui non est exauditus, talis in malo proponendus est, cujus malitiam nullus ignoret (4), et talis in bono, de cujus sanctitate nullus dubitet, Paulus scilicet apostolus, et diabolus. Quis enim diabolum auctorem malitiæ esse neget, maxime cum per beatum Job de eo dicatur: « Omne sublime vi- » det, et ipse est rex super omnes filios superbiæ¹? » Quis vero Paulum apostolum post conversionem sanctum fuisse dubitet, maxime cum ipse iudex de eo testatur dicens: « Vas electionis mihi est iste, ut portet nomen meum » coram gentibus, et regibus, et filiis Israël². » Nullus. Et tamen diabolus petiit, et impetravit; Apostolus autem petiit et non impetravit. Petiit diabolus, ut substantiam Job læderet, et audivit: « Ecce universa quæ habet, in » manu tua sunt³. » Petiit Apostolus, ut auferretur ab eo stimulus carnis suæ⁴, et non impetravit. Quis ergo horum magis exauditus est, diabolus, an Apostolus? Dia-

¹ Job. xli, 25. — ² Act. ix, 15. — ³ Job. i, 12. — ⁴ 2 Cor. xii, 7-9.

(1) Sic cod. xvii; cod. autem xliii male addit ecclesiæ. — (2) Sic id., quæ vox deest in cod. xliii. — (3) Cod. xvii ponimus. — (4) Sic cod. xvii, qui et inferius dubitet; cod. autem xliii ignorat... dubitat.

bolus exauditus est ad voluntatem, non tamen ad salutem, quia inde deterior effectus est, unde sancto viro damnatum inferre conatus est. Apostolus vero non est exauditus ad voluntatem, sed ad salutem, quia non expediebat illi, ut stimulus carnis suæ ab eo auferretur, qui ob custodiam humilitatis ei datus fuerat, sicut ipse dicit: « Et ne magnitudo revelationum extollat me, datus est » mihi stimulus carnis meæ, Angelus Satanæ, qui me (1) » colaphizet. Propter quod ter Dominum rogavi, ut discederet a me, et dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea. » Nam virtus in infirmitate perficitur¹. » Quicumque ergo fide non dubitans ea, quæ ad salutem animæ suæ pertinent, perseveranter petit, sine dubio exauditur, aut in presenti, aut in futuro. Unde bene dicitur, « In nomine meo. » Nomen vero ejus Jesu est (2), id est, Salvator, sive salutaris. Ille ergo in nomine Jesu petit, qui animæ suæ salutem quærit.

VI. « Usque modo non petistis quidquam in nomine meo². » Numquid non ante petierunt Apostoli dicentes: « Domine, dic nobis, quando hæc erunt, vel quod signum adventus tui³? » Et his similia fecerant utique; sed quod ait: « Usque modo non petistis quidquam in nomine meo (3), » duobus modis intelligi potest; sive, « Non petistis quidquam, » quia me æqualem Patri non credidistis, ut in nomine meo peteretis; sive certe, « Non petistis quidquam, » quia ad comparisonem eorum, quæ petere debuistis, nihil sunt quæ petistis. Fragiles namque mentes Apostolorum, ante passionem, prius terrena et transitoria petere noverant, sicut de duobus filiis Zebedæi legimus, qui persuaserunt matri, ut peteret

¹ 2 Cor. xii, 7-9. — ² Joan. xvi, 24. — ³ Matth. xxiv, 3.

(1) Cod. xvii ut me. — (2) Sic cod. cxxxvi; verbum est deest in cæteris codd. — (3) Hæc verba in nomine meo desunt in cod. xliii.

ab eo, ut unus sederet a dextris, et alter a sinistris in regno ejus¹. Sed quia ad comparisonem eorum (1) quæ petere debuerant, nihil erant, quæ (2) petebant, protinus audierunt: « Nescitis quid petatis. » Terrena namque, et transitoria æternæ felicitatis (3) comparata, nihil sunt æstimanda. Sed quia (4) hactenus ab ea, quæ æterna sunt, petenda pigri fuerant, Domini sermonibus ad petendum incitantur, cum dicitur, « Petite, » et ne se accepturos dubitarent, recte subjungitur, « Et accipietis. »

VII. Quid autem principaliter petere deberent, manifestatur, cum subinfertur: « Ut gaudium vestrum sit » plenum². » Ubi ordo verborum talis est: Petite, ut gaudium vestrum sit plenum, et accipietis. In quo loco ostenditur, quia in oratione non aurum, non argentum, non terrenas divitias, non præsentis vitæ longitudinem petere debemus, sed vitam æternam, et ea quæ ad illam pertinent, id est, virtutes animæ. Plenum enim et perfectum gaudium esse non potest, ubi fragilitatis mutabilitas (5) ita variatur, ut vix per (6) unius horæ spatium gaudium nobiscum permanere possit. Subito enim lætitia a (7) tristitia absorbetur, gaudium in dolorem vertitur, sanitas (8) infirmitate læditur, ampla possessio paupertate tenuatur, prosperitas adversitate prosternitur; juvenis ad senectulem, vita currit ad mortem. Cum ergo dicit: « Petite, et accipietis, ut gaudium vestrum sit » plenum, » illam singularem et beatam vitam nos petere admonet, ubi est lætitia sine tristitia, gaudium sine do-

¹ Matth. xx, 20, 21. — ² Joan. xvi, 24.

(1) Sic cod. cxxxvi; deest vox eorum in cod. xliii. — (2) Cod. xvii nihil erat quod. — (3) Cod. xliii male felicitatis; cod. autem xvii felicitati. — (4) Sic cod. xvii; cod. xliii qui. — (5) Cod. xvii fragilitas mutabilitatis. — (6) Deest vox per in cod., sed sensu requiritur. — (7) Sic cod. xvii; deest vox a in cæteris codd. Deinde cod. xliii male dolore pro dolorem, quod habet cod. xvii. — (8) Sic cod. cxxxvi; duo alii codd. male addunt in.

lore, securitas sine timore, vita sine morte; quam qui adepti fuerint, « Gaudium et lætitiā obtinebunt, et fugiet ab eis dolor et gemitus¹; » quando (1) implebitur quod Dominus alibi promittit, dicens: « Iterum videbo vos, et gaudebit cor vestrum et gaudium vestrum nemo tollet a vobis². » Hanc devotus ille supplicator specialiter concupierat, cum dicebat: « Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ; ut videam voluntatem Domini, et visitem templum ejus³. » Et iterum: « Credo videre bona Domini in terra viventium⁴. »

VIII. « Hæc in proverbii locutus sum vobis. Venit hora cum jam non in proverbii loquar vobis, sed palam de Patre annuntiabo vobis⁵. » Proverbia quidem (2), similitudines dicuntur, quæ ad obscuriores quasque sententias intelligendas, necessarie auditoribus adhibentur, ut saltem per visibilia invisibilia cognoscere queant. Unde liber Salomonis Proverbiorum nomen accepit, eo quod parvulorum ignorantiam per quasdam similitudines (3) ad sapientiam discendam suadeat. Locutum ergo se dicit Dominus in proverbii, quia prius fragilitati Discipulorum condescendens, ut mysterium regni cœlorum facilius capere possent, in suis sermonibus similitudines adhibuit; sicut ait Matthæus evangelista: « Loquebatur Jesus cum Discipulis suis in parabolis, et sine parabolis non loquebatur illis⁶. » Sed cum promittit se non in proverbii locuturum, sed palam de Patre annuntiatum, ad tantam perfectionem per Spiritus (4) sancti adventum

¹ Isai. xxxv, 10. — ² Joan. xvi, 22. — ³ Psal. xxvi, 4. — ⁴ Ibid. 13. — ⁵ Joan. xvi, 25. — ⁶ Matth. xxiv, 34.

(1) Sic cod. cxxxvi pro voce *quod* male posita in cæteris codd. — (2) Cod. cxxxvi male *quædam*. — (3) Sic cod. xvii; cod. xliii *quasdam similitudine*, minus bene. — (4) Cod. xliii male *Spiritum*.

ostendit dies (1) esse venturos, quibus non necesse sit jam in proverbii quasi parvulis loqui (2); cum idem Spiritus sanctus adveniens palam de Patre annuntiabit (3), id est, perfecte cognoscere faciet, qualiter Pater in Filio, et Filius sit (4) in Patre, et quæcumque potest Pater similiter et Filius; secundum quod ipse ait: « Omnia quæ habet Pater, mea sunt¹. » Unde et subditur: « Illo die in nomine meo petetis²; » quod est dicere: Illo die, cum Spiritus sanctus adveniens cognoscere vos fecerit, quia « Ego et Pater unum sumus³, in nomine meo petetis, » quia æqualem Patri me esse cognoscetis, et omnia dare me posse cum Patre credetis. Sive quod ait: « In nomine meo petetis, » tale est ac si diceret: Cum Spiritus sanctus adveniens terrena vos perfecte contemnere fecerit, solummodo quæ ad salutem animarum pertinent petenda intelligetis (5).

IX. Et quia Christus ita homo apparuit, ut perfectus esset Deus, recte subjungitur: « Et non dico vobis, » quia ego rogabo Patrem de vobis⁴; » quia enim homo est, alibi Patrem pro Discipulis rogasse legitur dicens: « Pater sancte, serva eos (6) in nomine tuo quos dedisti mihi⁵. » Et iterum: « Pater, cum essem cum eis, ego servabam eos; nunc autem pro eis rogo, non pro mundo, » et non rogo ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos a malo⁶. » Et alibi Petro: « Ego pro te rogavi Patrem (7); » ut non deficiat fides tua. » Nunc autem non rogaturum

¹ Joan. xvi, 15. — ² Ibid. 26. — ³ Id. x, 30. — ⁴ Id. xvi, 26. — ⁵ Id. xvii, 11. — ⁶ Ibid. 12-15.

(1) Sic prorsus legendum; codd. autem habent *eos*. — (2) Sic codd. xliii; cod. cxxxvi male habet *necesse est*; cod. autem xvii graviore errore *quibus necesse est in proverbii quasi proverbii loqui*. — (3) Cod. male *annuntiet*. — (4) Sic cod. xvii; deest vox *sit* in cod. xliii. — (5) Sic cod. xvii; cod. xliii *intelligatis*. — (6) Sic cod. cxxxvi; cod. xliii *nos* male. — (7) Cod. male *patre*.

se Patrem pro Discipulis dicit, quia omnipotens est in divinitate cum Patre. Rogat ergo Patrem per humanitatem, quia omnia postulata cum eo dat per divinitatem; sive certe quod ait: « Et non dico vobis, quia ego rogabo » Patrem de vobis, » ad tantam beatitudinem Sanctos ostendit esse venturos in æternam vitam, ut nullius auxilio vel prece indigeant, quia (1) æterna beatitudine replebuntur; sicut Dominus per Isaiam (2) prophetam pollicetur, dicens: « In diebus illis, et in tempore illo » non docebit vir fratrem suum, neque proximum suum » dicens: Cognosce (3) Dominum; omnes enim cognoscent me a minimo usque ad maximum, dicit Dominus¹. » Et ideo non dixit de præsentis, Rogo, sed de futuro, Rogabo.

X. Quod autem subjunxit (4): « Ipse enim Pater amat » vos, quia vos me amastis, et credidistis, quia a Deo » exivi², non ita accipiendum est, quasi amor Discipulorum præcesserit, ut proprio merito a Patre amari mererentur, sed gratuito dono primum a Patre dilecti sunt, ut Filium credere et amare potuissent; de quibus per Prophetam ipse dicit: « Diligam eos spontanee³. » Et in Evangelio: « Non vos me elegistis, sed ego elegi vos⁴. » Hinc Jacob apostolus ait: « Voluntarie genuit nos (5) » verbo veritatis⁵. » Eadem (6) enim gratia quæ subsequitur hominem, ut bene possit, ipsa præcedit ut bene velit. Nisi enim humanam voluntatem gratia Dei præveniret (7), ut bene vellet, nequaquam Psalmista diceret:

¹ Jerem. xxxi, 34. — ² Joan. xvi, 27. — ³ Osee. xiv, 5. — ⁴ Joan. xv, 16. — ⁵ Jacob. i, 18.

(1) Sic cod. cxxxvi; cæteri male *qui*. — (2) Hic memoria excedit auctor, aut amanuensis scribendo Isaiam posuit loco Jeremiæ; hæc enim verba leguntur apud Jeremiam, non apud Isaiam. — (3) Cod. xliii *cognosce*. — (4) Sic cod. xliii; cod. xvii *subjungit*. — (5) Codd. male *nobis*. — (6) Sic cod. xliii; cæteri *ea*. — (7) Sic cod. cxxxvi; cæteri male *perveniret*.

« Fortitudinem meam ad te custodiam, quia tu es (1) » Deus susceptor meus; Deus meus, misericordia ejus » præveniet me¹. » Et nisi eadem hominem subsequeretur, ut bene posset, nullo modo idem (2) Psalmista diceret: « Misericordia ejus subsequetur me omnibus diebus vitæ » meæ³. »

XI. « Exivi a Patre, et veni in mundum, iterum re- » linquo mundum, et vado ad Patrem³. » In hoc versiculo Dominus utramque suam naturam, divinam scilicet et humanam nobis commendavit; quia enim Deus in forma divinitatis ab hominibus videri non poterat, « Exi- » vit a Patre, et venit in mundum, » quia, ut videri possit in forma servi, visibilem se mundo ostendit; sicut ait Apostolus: « Cum esset in forma Dei, non rapinam ar- » bitratus est esse se æqualem Deo; sed semetipsum exi- » navit formam servi accipiens in similitudinem (3) ho- » minum factus, et habitu inventus ut homo⁴. » Iterum reliquit mundum, et ivit ad Patrem, quando expleto incarnationis suæ mysterio, humanam naturam, quam ex nobis assumpserat, in Patris dexteram collocavit, sicut ait Marcus evangelista: « Dominus quidem Jesus, post- » quam locutus est eis, assumptus est in cœlum, et se- » det (4) a dextris Dei⁵. » Sicut ergo non deseruit Patrem, cum in mundum venit, sic non reliquit electos, cum ad Patrem rediit; sicut ipse alibi ait: « Ecce enim ego vo- » biscum sum omnibus diebus usque ad consummatio- » nem sæculi⁶. » Manens ergo cum Patre per divinitatem, venit in mundum per humanitatem; et rediens ad Patrem

¹ Psal. lviij, 10, 11. — ² Id. xxii, 6. — ³ Joan. xvi, 28. — ⁴ Philip. ii, 6, 7. — ⁵ Marc. xvi, 19. — ⁶ Matth. xxviii, 20.

(1) Sic cod. cxxxvi; desunt verba *tu es* in cod. xliii. — (2) Sic cod. cxxxvi; cæteri habent *ita*. — (3) Sic cod. cxxxvi; cod. xliii *similitudine*. — (4) Cod. xvii *sedet*.

per humanitatem, mansit cum electis per divinitatem; sicut ipse ait: « Nemo ascendit in caelum, nisi qui de caelo descendit, Filius hominis, qui est in caelo¹. »

XII. « Dicunt ei Discipuli ejus: Ecce nunc palam loqueris, et proverbium nullum dicis². » In his suis verbis ostendunt Discipuli, quia in hac ultima confabulatione loquens ad eos Dominus, de his maxime disputabat, quae illos audire delectabat; et quamvis ea quae loquebatur, nondum perfecte intelligerent, tamen se intelligere putantes, responderunt dicentes: « Ecce nunc palam loqueris, et proverbium nullum dicis; » quia eorum (1) cogitationes frequenter praeveniens, ea quae interrogare volebant, non interrogatus in medium proferebat, divinae naturae indicium in eo comprehendunt. Unde et subjungunt (2) dicentes: « Nunc scimus, quia scis omnia, et non opus est tibi, ut quis te interroget; in hoc credimus, quia a Deo existi³. » Proprium namque est Deo, cogitationes hominum intueri, Scriptura testante, quae (3) ait: « Tu Deus solus nosti corda filiorum hominum⁴; » et iterum: « Quae sunt in corde hominis, oculi tui vident, Domine⁵; » et Psalmista: « Intellexisti cogitationes meas de longe⁶. »

¹ Joan. III, 13. — ² Id. XVI, 29. — ³ Ibid. 30. — ⁴ 3 Reg. VIII, 39. —

⁵ Jerem. XX, 12. — ⁶ Psal. CXXXVIII, 2.

(1) Sic cod. XLIII; cod. XVII qui vero eorum. — (2) Sic cod. XLIII; cod. XVII male subiungent, et prius comprehenderunt. — (3) Cod. XLIII male qui; sed quae legitur in cod. CXXXVI.

SERMO XVIII.

De eo quod ait Apostolus: *Ut sciatis, quae sit altitudo, latitudo, longitudo et profundum.* Ephes. III, 18.

Hic sermo non videtur esse completus, sed inter fragmenta potius est computandus. Extrahitur ex Lectionario Bibl. Mugellan., Cod. XI, fol. 26 b, propiusque accedit ad ea quae habentur in Editis tract. CXVIII in Joan. n. 5; serm. CLXV, num. 4, 5, et serm. Append. CXLVII, n. 4, 5. Locus ejus post sermonem Maurinensem CLXV.

SYNOPSIS.

Expositio textus Apostoli duobus modis, et quidem mysticis.

« Qui enim cognovit, inquit (Apostolus), latitudinem, et longitudinem, et altitudinem, et profundum, et supereminentem scientiae charitatem Christi¹, » vidit et Christum, vidit et Patrem. Ego haec verba apostoli Pauli sic intelligere soleo: In latitudine, bona opera charitatis; in longitudine, perseverantiam usque in finem; in altitudine, spem coelestium praemiorum; in profundo, inscrutabilia judicia Dei, unde ista gratia in homines venit; et hunc intellectum coaptare etiam sacramento crucis, ut in latitudine, accipiatur transversum lignum, quo ex-

¹ Ephes. III, 18, 19.

tenduntur manus, propter operum significationem; in longitudine, ab ipso usque in terram, ubi totum corpus crucifixum stare videtur, quod significat persistere, hoc est longanimiter permanere; in altitudine, ab ipso transverso ligno sursum versus, quo caput eminet, propter expectationem supernorum, ne illa opera bona, atque in eis perseverantia, propter beneficia Dei terrena ac temporalia, facienda credantur; sed potius propter illud, quod desuper sempiternum sperat « Fides quæ per dilectionem operatur¹. » In profundo autem, pars illa ligni quæ in terræ abdito defixa latet, sed inde consurgit illud omne, quod eminet; sicut ex occulta Dei voluntate vocatur homo ad participationem tantæ gratiæ, « Alius sic, » alius autem sic², supereminens vere (1) scientiæ charitatem Christi³, » eam profecto ubi pax illa est, quæ præcellit omnem intellectum.

SERMO XIX.

De adventu Domini I.

Sermonem hunc habes extractum e Cod. Cass. x, fol. 196, nec sine voluptate leges, utpote qui doctis piisque sententiis abundet, nec a genere Augustiniano abscedat. Locus ejus ante sermonem Maurinensem CLXXXIV.

SYNOPSIS.

I. Christus dux noster. II. Fideliter adimpletæ sunt prophetiæ. III. Cavendum, ne, sicut in diebus Noë, incauti de-

¹ Galat. v, 6. — ² 1 Cor. vii, 7. — ³ Ephes. iii, 19.

(1) Cod. vero.

prehendatur. IV. Divitiis et rebus terrenis non inherendum. V. Quamquam et divitiis possibilis sit salus. VI. Pauper malus, et bonus dives. VII. De malis temporum nemo murmuret. VIII. Dantur ista ad medicinam. IX. A Deo sæpius admonitis nulla remanebit excusatio. X. Moralis epilogus.

I. FRATRES, Christiani sumus, et omnes iter agere volumus; et si nolumus, iter agimus. Manere hic nemo permittitur. Omnes venientes in hanc vitam, volubilitas temporum transire compellit. Nulli sit pigritiæ locus. Ambula, ne traharis. Occurrit nobis iter agentibus in bivio homo quidam, non homo, sed Deus, propter homines homo. Et dixit nobis: Ad sinistram ire nolite. Facilis quidem videtur, et lenis, et deliciosus iste transitus, tritus a multis, et latus; sed finis hujus viæ interitum habet. Sed est illa via quæ habet plurimos labores, difficultates, angustias, duritias, ubi non solum deliciae non inveniuntur, sed vix humanitas competens exhibetur, per quam difficile ambulaturi estis, sed difficultate cito finita, ad magnam gaudiorum altitudinem venietis, ut evadatis illas insidias quas nemo evadit.

II. Recolamus præterita tempora et Scripturas sacras. Nonne ipse homo est Verbum Dei? Nonne ipsum « Verbum, » postea « Caro factum est et habitavit (1) in nobis? » Antequam caro fieret et habitaret in nobis, nonne ipsum Verbum locutum est per Prophetas? Locutus est utique Deus Verbo suo ad Abraham, quod genus ejus peregrinum futurum esset, cum ipse, cui dicebatur, erat senex, et Sara anus et sterilis. Creditum est; et factum est: quod ipsum genus, id est, populus inde nascens

¹ Joan. i, 14.

(1) Cod. habitabit.

tenduntur manus, propter operum significationem; in longitudine, ab ipso usque in terram, ubi totum corpus crucifixum stare videtur, quod significat persistere, hoc est longanimiter permanere; in altitudine, ab ipso transverso ligno sursum versus, quo caput eminet, propter expectationem supernorum, ne illa opera bona, atque in eis perseverantia, propter beneficia Dei terrena ac temporalia, facienda credantur; sed potius propter illud, quod desuper sempiternum sperat « Fides quæ per dilectionem operatur¹. » In profundo autem, pars illa ligni quæ in terræ abdito defixa latet, sed inde consurgit illud omne, quod eminet; sicut ex occulta Dei voluntate vocatur homo ad participationem tantæ gratiæ, « Alius sic, » alius autem sic², supereminens vere (1) scientiæ charitatem Christi³, » eam profecto ubi pax illa est, quæ præcellit omnem intellectum.

SERMO XIX.

De adventu Domini I.

Sermonem hunc habes extractum e Cod. Cass. x, fol. 196, nec sine voluptate leges, utpote qui doctis piisque sententiis abundet, nec a genere Augustiniano abscedat. Locus ejus ante sermonem Maurinensem CLXXXIV.

SYNOPSIS.

I. Christus dux noster. II. Fideliter adimpletæ sunt prophetiæ. III. Cavendum, ne, sicut in diebus Noë, incauti de-

¹ Galat. v, 6. — ² 1 Cor. vii, 7. — ³ Ephes. iii, 19.

(1) Cod. vero.

prehendatur. IV. Divitiis et rebus terrenis non inherendum. V. Quanquam et divitiis possibilis sit salus. VI. Pauper malus, et bonus dives. VII. De malis temporum nemo murmuret. VIII. Dantur ista ad medicinam. IX. A Deo sæpius admonitis nulla remanebit excusatio. X. Moralis epilogus.

I. FRATRES, Christiani sumus, et omnes iter agere volumus; et si nolumus, iter agimus. Manere hic nemo permittitur. Omnes venientes in hanc vitam, volubilitas temporum transire compellit. Nulli sit pigritiæ locus. Ambula, ne traharis. Occurrit nobis iter agentibus in bivio homo quidam, non homo, sed Deus, propter homines homo. Et dixit nobis: Ad sinistram ire nolite. Facilis quidem videtur, et lenis, et deliciosus iste transitus, tritus a multis, et latus; sed finis hujus viæ interitum habet. Sed est illa via quæ habet plurimos labores, difficultates, angustias, duritias, ubi non solum deliciae non inveniuntur, sed vix humanitas competens exhibetur, per quam difficile ambulaturi estis, sed difficultate cito finita, ad magnam gaudiorum altitudinem venietis, ut evadatis illas insidias quas nemo evadit.

II. Recolamus præterita tempora et Scripturas sacras. Nonne ipse homo est Verbum Dei? Nonne ipsum « Verbum, » postea « Caro factum est et habitavit (1) in nobis? » Antequam caro fieret et habitaret in nobis, nonne ipsum Verbum locutum est per Prophetas? Locutus est utique Deus Verbo suo ad Abraham, quod genus ejus peregrinum futurum esset, cum ipse, cui dicebatur, erat senex, et Sara anus et sterilis. Creditum est; et factum est: quod ipsum genus, id est, populus inde nascens

¹ Joan. i, 14.

(1) Cod. habitabit.

secundum carnem, servituum (1) esset in Ægypto per annos quadringentos; factum est. Quod esset ab illa captivitate liberandus; liberatus est. Quod esset accepturus promissionis terram; accepit. Et longe futura et propinqua dicta sunt, et peracta; et nunc aguntur. Locutus est sermo Domini per Prophetas. Peccaturam (2) illam gentem, tradendam in manus hostium suorum, quod offenderint Deum suum; facta sunt omnia: venturam in captivitatem Babylonicam (3); et hoc factum est: venturum inde regem Christum; venit Christus, natus est Christus, quia ipse sermo se ipsum pronuntiabat esse venturum. Dicitur quod ipsum crucifixuri essent Judæi; crucifixerunt. Prædictum est quod resurrexurus et glorificandus esset; factum est, resurrexit, ascendit in cælum. Prædictum est quod in nomine ejus omnis terra creditura esset; prædictum est quod reges persecuturi essent (4) Ecclesiam ejus; facta sunt hæc. Prædictum est quod reges credituri essent in eum; tenemus jam fidem regum, et de fide Christi dubitamus? Prædictæ sunt hæresum circumcisiones. Numquid et ipsas non videmus? Et inter eas undique circumstrepentes (5) ingemiscimus? Prædictum est ipsa idola per Ecclesiam nomenque Christi esse delenda; et hoc videmus impleri. Prædicta sunt scandala in ipsa Ecclesia, prædicta et zizania, prædicta et palea; hæc omnia et oculis intuemur (6), et quantumcumque possumus fortitudine impertita a Domino toleramus. In quo te fefellit iste, qui tibi ista dixit? Hac perge, dicto securus, si fidelis es. Experimenta tanta capiens hujus qui tibi loquitur, in his rebus eum probo, quia sic se probare (7) dignatus est. Si omnino verum mihi dicit,

(1) Cod. quod serviturus. — (2) Id. peccare. — (3) Id. Babylonicam. — (4) Id. esset. — (5) Id. circumstrepentem. — (6) Id. intuemus. — (7) Id. reprobare.

non me fallit. Hæc omnia quæ dicit, omnia ejus vera teneo. In nullo mentitus est. Talem eum novi; sermo Dei est. Per ora servorum suorum locutus est, et non fefellit; per os suum quod dicit, fallere poterit? Ille autem cui adhuc nondum notus est, qui de Christo dubitat, dicat et ipse: Hac pergam, ne forte verum dicat, cui jam totus mundus credidit.

III. Fratres mei, multi non credentes, neque vocem sanctorum Patrum audientes, sic habent inveniri, quomodo multitudo illa inventa est in die Noë (1). Non evaserunt, nisi qui in arca fuerunt. Nam si cogitarent, et immutarent (2) vias suas ab impietate, et ad Dominum nostrum converterentur, satisfacerent ei pro delictis suis, et ingemiscentes ad ejus misericordiam, sine dubio non perirent. Neque enim Deus in Ninivem immisericors fuit, quæ in triduo meruit salvari. Quid tam breve quam triduum? Nec tamen illi in tanta angustia temporis, de Dei misericordia desperaverunt, ad flectendam ejus clementiam. Si ergo tridui (3) spatium habuit tam magna civitas flectere ad misericordiam Deum, quantum esse potuit spatium per centum annos, et ducentos, et trecentos, in quibus fabricabatur arca? Ex quo coepit Christus ligna imputribilia de sylva gentium cedere, id est, Ecclesiæ, si homines illi vias suas moresque mutassent, si ad propitiandum Deo sacrificium contribulati cordis offerrent, sine ulla dubitatione, illæsi evaderent. Timeant ergo homines, ne sic inveniantur in illo die novissimo. Sed nos, fratres, ita agamus, ut mutemus vias nostras ab impietate, et emendemus mores, dum tempus habemus, ut dies ille paratos nos inveniat. Quia nunquam mentitur, qui illum dicit venturum esse. Cave ne dubites, quia ve-

(1) Vide August. serm. cccclxi, num. 20 et 21. — (2) Cod. immutassent. — (3) Cod. triduum.

rum est. Nam in diebus Noë sic erat : « Manducabant , » bibebant, nubebant, uxores ducebant, emebant, vendebant, donec intravit in arcam Noë, venit diluvium, » et perdidit omnes¹, » qui spem suam in hoc sæculo ponebant, et securi vivere cupiebant. Sed non in regione securitas, et non evaserunt nisi qui in arca fuerunt.

IV. Sed dicunt sibi multi : Jubemur expectare illum diem, nec inveniri tales quales inventi sunt extra arcam, qui in illo diluvio perierunt. Certe exterret (1) nos tuba Evangelii; Verbum Dei exterret nos. Quid faciemus nos? Ergo non erit ducenda uxor? dicit hoc juvenis. Dicit adolescens: Non erit manducandum, non erit bibendum? semper erit jejunandum? Multi ista dicunt. Et qui volebant forte aliquid emere, dicent sibi: Jam non est emendum aliquid, ne inveniamur in illorum numero qui in diluvio perierunt? Quid ergo faciemus, fratres? Si ita est, ergo flendum est, quomodo contristati sunt Apostoli supra humano genere, cum audissent Dominum dicentem: « Si vis esse perfectus, vende omnia tua, et da » pauperibus; et habebis thesaurum in caelo, et veni, » sequere me²? » Ille cui dictum est, contristatus est, abscessit; et cum Magistrum bonum appellaret, a quo quærebat consilium vitæ æternæ, tamdiu visus est Magister bonus, dum hæc diceret et juxta quod (2) interrogatus est. « Dixit Dominus, et contristatus est dives³. » Discedente autem illo tristi (3) Dominus ait: « Quam difficile intrat dives in regnum cœlorum⁴! » quasi clausum sit contra divites regnum cœlorum. Quid fiet? Clausum est. Sed ait: « Pulsate, et aperietur vobis⁵. » Atque utinam tam

¹ Luc. xvii, 27. — ² Matth. xix, 21. — ³ Ibid. 22. — ⁴ Ibid. 23. — ⁵ Id. vii, 7.

(1) Cod. hic et deinceps *exterrit*. — (2) *Id. male juste quod*. — (3) *Id. triste*.

paucirent in ignem, quam pauci sunt divites! Nunc vero et de numero divitum multi ituri sunt in regna cœlorum, et de numero pauperum multi ituri sunt in ignem æternum, non qui sit dives facultate, sed qui ardeat cupiditate.

V. Contristati sunt autem Discipuli. Dominus ait: « Quod hominibus difficile est, Deo facile est¹. » Difficultate commoti estis, quod nominavit camelum². Si vult, illa immanis bestia, quæ camelus dicitur, intrat hic per foramen acus. Nam ideo hoc dignatus est dicere, et ideo dives potest intrare in regnum cœlorum, quia propter ipsum camelus intravit per foramen acus. Quid est hoc? videamus si apparet. Neque enim sine causa et Joannes Baptista præcursor ipsius Domini, vestem habebat de pilis cameli; qui venturo post se illo iudice, cui præbebat testimonium, quasi chlamydem de illo habebat. Agnoscamus, camelo nominato, figuram Domini nostri Jesu Christi (1). Agnoscamus magnum, et tamen humili cervice, quod nemo potest per suas manus onerare (2), nisi in terram semetipsum deponat (3). Sic et « Christus humiliavit semetipsum usque ad » mortem³, ut destrueret eum qui habebat mortis imperium, id est, diabolum⁴. » Ergo et foramen acus videamus, per quod ille tam magnus ingressus est; in acus enim punctione quas (4) sponte passiones sustinuit, in foramine vero angustias. Jam ergo camelus intravit per foramen acus; non desperent divites, securi intrent (5) regnum cœlorum.

VI. Sed agnoscamus quales divites. Ecce nescio quis de transverso pannis obsitus, exultavit ac risit, quando

¹ Matth. xix, 26. — ² Ibid. 24. — ³ Philip. ii, 8. — ⁴ Hebr. ii, 14.

(1) Vide August. Quæst. evangel. parte ii, num. 47. — (2) *Cod. honorari. Amanuensis in margine, onerari; etenim camelus onera recepturus, ad terram genua flectit. Cod. antea persuasionibus*. — (3) *Cod. deponeret*. — (4) *Id. quam, et deinde passionis*. — (5) *Id. intrant*.

dictum est divitem non intrare in regnum cœlorum, et dixit: Ego intrabo. Hoc mihi isti panni præstabunt. Non introibunt illi, qui nobis injurias faciunt, qui nos premunt. Plane tales non intrabunt. Sed, pauper, vide utrum intres. Quid si pauper es, et cupidus sis? quid si premeris inopia, et ardes avaritia? Si ergo talis es, quisquis es pauper, non quia noluisti, dives non es (1), sed quia non potuisti. Non ergo Deus inspicit tuam facultatem, sed voluntatem attendit. Talis ergo, si es malæ vitæ, malis moribus, blasphemus, adulter, ebriosus, superbus, recede a numero pauperum Dei. Non eris inter illos de quibus dictum est: « Beati pauperes spiritu, » quoniam ipsorum est regnum cœlorum¹. » Ecce talem invenio divitem, ex cuius te comparatione jactasti; et ad regna cœlorum ausus es aspicere? Invenio pauperem spiritu, id est, humilem, pium, innocentem, non blasphemantem, voluntatem Dei sequentem; et si aliquid forte de rebus sæculi hujus in dampnis amiserit, statim dicit: « Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino » placuit, ita factum est; sit nomen Domini benedictum » in sæcula². » Ecce divitem mitem, humilem, non resistantem, non murmurantem, voluntatem Dei sequentem, et de illa vivorum terra gaudentem: « Beati enim » mites, quia ipsi pro hæreditate possidebunt terram³. » Tu autem forte pauper es, et superbus. Laudo divitem humilem, non laudo pauperem humilem? Pauper non habet unde infletur; dives autem habet, cum quo luctetur. Iste magis, iste dives intrabit (2); et contra te claudetur regnum cœlorum, quia claudetur contra impium, contra superbum, contra blasphemum, contra adulterum, contra ebriosum; claudetur contra avarum.

¹ Matth. v, 3. — ² Job. i, 21. — ³ Matth. v, 4.

(1) Desunt in cod. hæc verba *non es*. — (2) Id. *intravit*.

Fidum tenuit debitorem, qui credidit in promisorem. Dives autem humilis, humanus, fidelis, hæc respondit, dicens: Scit Deus non me superbe sapere; et si forte clamo, et aliquid durum dico, novit Deus scientiam meam, quia regendi necessitate ista dico. Nunquam me pro hoc feram super alios. Intus videt Deus opera quæ sequuntur. Divites enim qui sunt in operibus bonis, facile tribuunt; communicant non habenti. Ibi enim apparet humilitas, si dives es et humilis. Bonum et pium te esse pronuntias; quod habes commune sit tibi et ei qui non habet, ut thesaurizes tibi fundamentum bonum in futurum, ut obtineas veram et beatam vitam. Tales si sint, securi sint, quando venerit dies ille ultimus. In arca inveniantur; in fabrica erunt. Ad diluvium non pertinebunt; non expavescant quod divites sint. Et si juvenis est, et continere se non potest, permittitur ei ut ducat uxorem¹. Sed quia « Tempus breve est, qui habent uxores, sint tan- » quam non habentes, et qui emunt, tanquam non ementes, » et qui fiunt, tanquam non fientes, et qui gaudent, tan- » quam non gaudentes, et qui utuntur hoc mundo, sint tan- » quam non utantur. Præterit enim figura hujus mundi². »

VII. Fratres mei, murmuratur aliquis adversus Dominum, et dicit: Mala tempora, dura tempora, molesta tempora. Et tamen eduntur munera; et durum dicitur (1) tempus. Quanto tu durior, qui non corrigeris duro tempore? Tanta adhuc viget insania pomparum! tantis superfluis inhiatur, et non habet finem cupiditas! Quanti morbi procedunt de medio! Quanta luxuria redundavit propter theatra, et organa, et tibias, et pantomicos! Male (2) vis uti eo quod optas? Propterea non accipies. Audi apostolicam vocem: « Concupiscitis, et non habe-

¹ 1 Cor. vii, 28. — ² Ibid. 29-31.

(1) Cod. *dicit*. — (2) Id. *mala*; et deinde *optes*.

» tis; occiditis, et zelatis; et non potestis adipisci; litigatis, petitis, et non accipitis, eo quod male petatis, » ut in concupiscentiis vestris consumamini¹. » Sanemus, fratres, corrigamus nos. Judex venturus est, et quia nondum (1) venit, adhuc irridetur. Venturus est, et irridere non vacabit. Fratres mei charissimi, corrigamus nos, quia meliora tempora superventura sunt, sed non illis male viventibus. Jam sæculum vergit se et declinavit in senectutem. Venturi sumus in juventutem? Quid hic speramus? Jam aliud quæramus. Nolite sperare tempora, nisi qualia leguntur in Evangelio. Non ideo mala sunt, quia venit Christus, sed quia mala et dura erant, venit qui consoletur (2).

VIII. Audite, fratres mei; oportebat enim esse tempora molesta et dura. Quid ageremus si consolator tantus non adesset? Egrotum erat graviter genus humanum, ab Adam usque in finem. Ex quo hic nati sumus, ex quo de Paradiso emissi sumus, utique ægritudo est; sed in fine (3) major futura erat, et forte proxima sanitati, et quibusdam proxima morti. Cum ergo ægrotaret genus humanum, venit (4) medicus ille magnus suscipiens ægrotum in magno quodam lecto, hoc est, toto in mundo. Sed quomodo peritissimus medicus attendit tempora ægroti, et videt, et prospicit quæ futura sint, et lenioribus temporibus ægritudinis ægroti, primum servos suos mittit; ita et noster medicus ad aspiciendos nos misit primum Prophetas. Dixerunt, prædicaverunt. Curavit per eos aliquod, et sanavit. Prædixerunt futuram quamdam accensionem in extremam ægritudinem, et magnam quamdam hujus ægroti jactationem; cui opus

¹ Jacob. iv, 2.

(1) Cod. non habet vocem necessariam *nondum*. — (2) Id. *consoletur*. — (3) Id. *finem*. — (4) Deest *venit* in cod.

esset ipse medicus præsentari, et ad ipsum venire. Ita factum est quia dixit: Credentem ego reficiam, ego salvabo. « Ego percutiam (1), ego sanabo¹. » Venit, factus est homo, particeps mortalitatis nostræ, ut nos possimus fieri participes immortalitatis ipsius. Adhuc æger jactatur, et cum anhelat in febribus, et multum exæstuat, dicit sibi: Ex quo venit medicus iste, acerbiores febres patior; gravius jactor; æstus sustineo immanes. Unde ad me venit? Puto non bene ingressus est in domum meam? Sic dicunt omnes qui adhuc de vanitate ægrotant. Quare de vanitate ægrotant? Quia nolunt ab eo accipere potionem sobrietatis. Videns Deus miseros jactari curis suis, et diversis occupationibus sæculi hujus, quæ jugulant animas eorum, eos curare (2) venit ut medicus. Et non metuunt dicere: Ex quo venit Christus, ista tempora patimur. Ex quo sunt Christiani, in omnibus defecit mundus. O æger insipiens! Non quia venit medicus, gravior facta est ægritudo tua. Medicus bonus, pius, justus, misericors, prævidit illam. Nam non fecit. Venit enim ut consoletur te, ut vere sanus sis. Quid enim tibi aufert, nisi superfluum? Inhiabas rebus noxiis, et in his continebaris. Non erant utilia febrī tuæ, quibus inhiabas. Asper est medicus, quia rapit de manu ægroti poma noxia? Quid tibi tulit, nisi securitatem malam, quam capturus eras? absolve perniciem viscerum tuorum. Et hoc quod gemis et murmurat, ad medicinam ejus pertinet. Curari (3) nolens, ne crucieris invitus. Necesse est ut aspera sint tempora. Quare? ne ametur terrena felicitas. Oportet enim, et medicina talis (4) est, ut turbetur ista vita, et ametur alia vita. Ecce si tanta pigritia adhuc delectatur rebus

¹ Deut. xxxii, 39.

(1) Hic duæ lectiones in cod. *percutiam et promittam*. — (2) Cod. *occupari*. — (3) Id. *curare*. — (4) Id. *et medicinalis est*.

terrenis, et amphitheatro, quid si non percuterentur opera ipsorum? Ecce tot amaritudines miscentur, et adhuc dulcis est mundus!

IX. Ubi se tunc mundi istius sapientes videbunt? ubi se avarus? ubi adulter? ubi impius? ubi ebriosus? ubi blasphemus se recognoscet? Quid miseri pro sua defensione dicturi sunt? Nescivimus te Deum esse, nec vidimus; non audivimus. Prophetas non misisti; legem sæculo non dedisti. Patriarchas non vidimus, Sanctorum exempla non legimus. Christus tuus in terris non fuit. Numquid Petrus tacuit, aut Paulus noluit prædicare? Evangelista non docuit; Martyres non fuerunt, quorum exempla sequeremur, futurum iudicium nemo prædixit; vestiri nudum nemo mandavit; resistere libidini (1) nemo præcepit; repugnare avaritiæ nemo persuasit. In ignorantia peccavimus; merebimur veniam in his quæ gessimus nescientes. Hic se contra ex illo Sanctorum coetu, quorum primus protestatur (2), Noë justus reclamabit. Et quid ait? Ego te, Domine, propter peccata eorum ne perirent, diluvio prædicavi, ut isti agnoscerent quod esset innocentibus salus, et quod poena peccantibus. Post hunc Abraham fidelis assistet (3), et dicet: Ego pater gentium, cujus exempla cæteri (4) sequerentur, dilectissimum filium meum Isaac non dubitavi tibi Domino offerre pro victima, ut isti cognoscerent se debere devote ac libenter tibi sua vota deferre. Ego, te jubente, Domine, terram meam et cognationem meam deserui, ut istis quoque essem exemplum, ut nequitias mundi et sæculi peccata desererent. Hunc beatissimus Moyses subsequetur et dicet: Ego dixi: « Non adulterabis¹; » ut licentia fornicationis tolleretur. Ego dixi: « Non concu-

¹ Exod. xx, 14.

(1) Cod. libidine. — (2) Id. protestatus. — (3) Id. assistens. — (4) Id. cæteris.

» pisces¹, » ut avaritia (1) cessaret. Ego dixi: « Diliges » proximum tuum², » ut charitas abundaret. Ego dixi: « Soli Deo servies³; » ne isti idolis immolarent. Ego dixi: « Ne quis falsum testimonium dicat⁴, » ut isti adversum omne (2) mendacium os suum clauderent. Post hunc veniet David dicens: Ego te, Domine, per omnia nuntiavi. Ego nomini tuo tantum serviendum esse clamavi. Ego dixi: « Beatus vir qui timet Dominum⁵. » Ego dixi: « Exultabunt Sancti in gloria⁶. » Ego dixi: « Desiderium » peccatorum peribit⁷; » ut isti agnoscerent, et peccare desinerent. Ego cum regia præditus essem potestate, cilicio super lecto, cinere sub lecto, oravi, ut istis mansuetudinis atque humilitatis daretur exemplum. Ego inimicis (3) qui me persequabantur peperci, ut istis misericordiam commendarem. Post hunc veniet Isaïas et dicet: Ego te, Domino per os meum loquente (4), præmonui: « Væ his qui jungunt domum ad domum, et agrum ad » agrum⁸; » ut modum cupiditatis imponerem. Ego iram tuam peccantibus venire testatus sum, ut istis a malefactis suis, si non spes præmiorum, vel suppliciorum formido repelleret. Post hæc, ipse Christus dicet: Ego vobis regna coelorum promisi. Ego etiam, ut malorum vestrorum haberetis exemplum, latronem qui sub unius horæ mortis suæ tempore me confessus est, in Paradiso collocavi: ut vel illius fidem, qui remitti sibi meruerat peccata, tunc (5) imitaremini. Nam et pro vobis ego hæc passus sum, ne dubitaret homo pro se pati, quod Dominus pro homine (6) pertulit. Ego me post resurrectionem,

¹ Exod. xx, 17. — ² Levit. xix, 18. — ³ Deut. vi, 13. — ⁴ Exod. xx, 16. — ⁵ Psal. cxl, 1. — ⁶ Id. cxlix, 5. — ⁷ Id. cxl, 10. — ⁸ Isaï. v, 8.

(1) Cod. avaritias. — (2) Id. omnem. — (3) Id. inimici. — (4) Id. loquendo. — (5) Id. hunc. — (6) Id. hominem.

ne fides vestra confunderetur, ostendi. Ego in Petro Judæos monui. Ego in Paulo gentibus prædicavi. Quid vos juvat, quod me labiis honoratis, si factis et operibus denegetis? Tunc illis miseris dicitur, quibus hæc improperantur (1): «Ite in ignem æternum¹, atque in tenebras» exteriores; ubi est fletus et stridor dentium². » O miseros, quos ista non permovent! Qui quantum hic in superbia gloriantur, tantum illic in pœna cruciantur (2).

X. Itaque, fratres, licet nos isti irrideant, licet stultos et infelices commemorent, nos gaudeamus. Sed nec rideamus illorum stultitiam, sed magis doleamus. Sed agant se ut volunt; nos vero, nos incolumes custodiamus. Illi modo nobis dolentibus gaudent; nos postea in illorum dolore et pœna gaudebimus (3). Fratres mei dilectissimi, obsecro vos, et admoneo iterum atque iterum, ut ea quæ (4) corporis aure percipitis, operando custodiatis in cubiculo mentis, quatenus vinculo charitatis uniti, adventum Redemptoris nostri annua devotione recolentes, ad ejusdem nativitatis diem celebrandum mereamur pervenire securi, ipso adjuvante quicum Patre (5) Deo vivit et regnat per cuncta sæcula. Amen.

¹ Matth. xxv, 41. — ² Id. xxii, 13.

(1) Cod. *improperatur*. — (2) Id. *cruciantur*. — (3) Id. *gaudemus*. — (4) Id. *quod, nisi legas id quod*. — (5) Id. *patrem*.

SERMO XX.

De Adventu Domini II.

Dignus est, qui legatur hic sermo; dignus et qui propter sententiarum gravitatem, et dicendi genus sancto Augustino non negetur, cui tribuitur in Cod. Cass. ccclxxxvii, fol. 73. Locus ejus post sermonem præcedentem.

SYNOPSIS.

I. Duplex Christi adventus. II. Homo a Christo reparatus. III. Ad recipiendum Christum advenientem nos præparemus.

I. «SALVATOREM expectamus Dominum Jesum Christum¹.» Prædicaturus vobis, dilectissimi fratres, hujus instantis temporis solemnitatem, non meo utar (1) exordio, nec humanæ sapientiæ verbis intendam, sed prædicatoris egregii verbis insistam, et fidelibus auribus studiose aperiam, quid sonet et prædicet Doctor gentium in fide, et veritate, tuba Dei, cymbalum Jesu Christi: «Salvatorem, inquit, expectamus Dominum nostrum» Jesum Christum.» Sicut autem aures catholicæ in gremio matris Ecclesiæ sunt eruditæ, Salvatorem nostrum, quem pro reparatione mundi venisse jam credimus, eundem quoque venturum judicem omnium expectamus, ut et præteritorum fides per dilectionem nos confirmet in

¹ Philip. iii, 20.

(1) Cod. *utor*.

ne fides vestra confunderetur, ostendi. Ego in Petro Judæos monui. Ego in Paulo gentibus prædicavi. Quid vos juvat, quod me labiis honoratis, si factis et operibus denegetis? Tunc illis miseris dicitur, quibus hæc improperantur (1): «Ite in ignem æternum¹, atque in tenebras» exteriores; ubi est fletus et stridor dentium². » O miseros, quos ista non permovent! Qui quantum hic in superbia gloriantur, tantum illic in pœna cruciantur (2).

X. Itaque, fratres, licet nos isti irrideant, licet stultos et infelices commemorent, nos gaudeamus. Sed nec rideamus illorum stultitiam, sed magis doleamus. Sed agant se ut volunt; nos vero, nos incolumes custodiamus. Illi modo nobis dolentibus gaudent; nos postea in illorum dolore et pœna gaudebimus (3). Fratres mei dilectissimi, obsecro vos, et admoneo iterum atque iterum, ut ea quæ (4) corporis aure percipitis, operando custodiatis in cubiculo mentis, quatenus vinculo charitatis uniti, adventum Redemptoris nostri annua devotione recolentes, ad ejusdem nativitatis diem celebrandum mereamur pervenire securi, ipso adjuvante quicum Patre (5) Deo vivit et regnat per cuncta sæcula. Amen.

¹ Matth. xxv, 41. — ² Id. xxii, 13.

(1) Cod. *improperatur*. — (2) Id. *cruciantur*. — (3) Id. *gaudemus*. — (4) Id. *quod, nisi legas id quod*. — (5) Id. *patrem*.

SERMO XX.

De Adventu Domini II.

Dignus est, qui legatur hic sermo; dignus et qui propter sententiarum gravitatem, et dicendi genus sancto Augustino non negetur, cui tribuitur in Cod. Cass. ccclxxxvii, fol. 73. Locus ejus post sermonem præcedentem.

SYNOPSIS.

I. Duplex Christi adventus. II. Homo a Christo reparatus. III. Ad recipiendum Christum advenientem nos præparemus.

I. «SALVATOREM expectamus Dominum Jesum Christum¹.» Prædicaturus vobis, dilectissimi fratres, hujus instantis temporis solemnitatem, non meo utar (1) exordio, nec humanæ sapientiæ verbis intendam, sed prædicatoris egregii verbis insistam, et fidelibus auribus studiose aperiam, quid sonet et prædicet Doctor gentium in fide, et veritate, tuba Dei, cymbalum Jesu Christi: «Salvatorem, inquit, expectamus Dominum nostrum» Jesum Christum.» Sicut autem aures catholicæ in gremio matris Ecclesiæ sunt eruditæ, Salvatorem nostrum, quem pro reparatione mundi venisse jam credimus, eundem quoque venturum judicem omnium expectamus, ut et præteritorum fides per dilectionem nos confirmet in

¹ Philip. iii, 20.

(1) Cod. *utor*.

bonis, et futurorum expectatio per mortem sollicitos compescat a malis. Absque ulla enim dubitatione eum venisse jam credimus. cum « Suscepimus misericordiam ejus in » medio templi sui¹, » cum « Verbum caro factum est, » et habitavit in nobis², » cum « Inclinavit coelos, et descendit³; qui enim descendit, ipse est qui et ascendit » super omnes coelos⁴; » et quidem coelis est novissime descendurus. Descendit autem, ut nos de maledicto legis eriperet, et in filiorum adoptionem⁵ transferret. Descendit, inquam, Dei Filius, ut nostram assumendo naturam, et factus hominis filius, filiis (1) hominum suam gloriam retribuendo, faceret filios Dei; ejus enim ad inferiora descensio, omnium nostrum fuit ad superiora provectio. Ascendit autem, ut fidelibus suis de coelo sancti Spiritus donum mitteret, et ad amorem coelestium discipulorum animos incitaret. Ascendit, ut illuc cum devotione sequeretur humilitas gregis, quo praecessit celsitudo pastoris. Descendet (2) autem, cum in novissima die unicuique mercedem suorum operum redditurus adveniet, sicut voce angelica Discipulis Salvatoris ascensum (3) stupentibus et mirantibus dictum est: « Viri Galilaei, quid statis aspicientes in coelum⁶? » Ecce, ut audistis, ipse idem quem fides catholica jam venisse confitetur et credit, in fine saeculorum sine dubietate aliqua expectatur (4), ut veniat. Sed primo venit humilis iudicandus: secundo terribilis vivorum et mortuorum iudex adveniet. In primo adventu « In propria venit, et sui eum non receperunt⁷; » in secundo « Omne genu coelestium, et terrestrium, et

¹ Psal. xlvii, 10. — ² Joan. i, 14. — ³ Psal. xvii, 10. — ⁴ Ephes. iv, 10. — ⁵ Id. i, 5. — ⁶ Act. i, 11. — ⁷ Joan. i, 11.

(1) Cod. ut filiis, et deinde suam ejus. — (2) Id. descendit. — (3) Id. assensum. — (4) Id. expectetur.

» infernorum¹ » confitebitur ei. Hunc ergo tam tremendum et terribilem iudicem cum timore maximo expectamus, « Qui reparabit (1) corpus humilitatis nostrae². »

II. Primus enim homo ex bono gratiae creatricis ad Dei similitudinem conditus et creatus. Filius namque Dei Patris imago est, et paternae substantiae figura³ et gloria. Homo autem praeter caeteris creaturis ad Dei imaginem secundum animam est creatus, videlicet ut rationis capax, pius, sanctus, justus, innocens esset, et in eum tanquam in speculo sui conditoris imago splenderet. Hanc autem similitudinem divinae imaginis tamdiu homo servavit, quamdiu in eo ratio vixit, et ejus cor nulla peccati caligine obtenebratum est et caecatum; sed postquam male suadenti uxori consensum praebuit, et pomum vetitum degustavit, similitudo divinae imaginis in eo penitus deformata est et deleta, et in eo totius generis massa vitiata est et corrupta. Vitium enim insitum in radice, sic pululavit in propagine, ut omnes, qui ab eo per carnis concupiscentiam descenderunt, lege peccati et mortis tenerentur obnoxii, Paulo attestante, qui ait: « In quo » omnes peccaverunt⁴; » et « Per unius inobedientiam » peccatores constituti sunt multi⁵. » Novissimis autem temporibus ingreditur hujus mundi Dei Filius, a paterna sede descendens, sed a paterna gloria non recedens, nostra assumens, et propria non relinquens, qui in virginali utero, sed sine virginis corruptione nostram sibi naturam univit; natus ex carne, sed sine carnis concupiscentia; factus homo, sed sine hominis semine. « Sanctus, innocens, impollutus⁶, » et ab omni carnis concupiscentia alienus. Sic ergo mediator Dei et hominum,

¹ Philip. ii, 10. — ² Id. iii, 21. — ³ Hebr. i, 3. — ⁴ Rom. v, 12. — ⁵ Ibid. 19. — ⁶ Hebr. vii, 26.

(1) Cod. reparavit.

nostræ naturæ effectus est particeps, suam nobis contulit gratiam, et similitudinem divinæ imaginis per primi parentis concupiscentiam in nobis omnibus deformatam, gratuita pietate et gratia mirabiliter reformavit, imo ad meliorem statum reduxit, quia hominem ex primæ prævaricationis culpa, necessario mortis nexibus obligatum, in resurrectione novissima faciet immortalem.

III. Hunc ergo, dilectissimi fratres, tam pium et misericordem judicem, qui « Reformabit (1) corpus humilitatis nostræ¹, » cum sollicitudine summa, et timore maximo expectemus. Mutemus vitam, commissa peccata per lamenta defleamus, et qui animam assidue peccando coïnquinamus, baptizemus lacrymis conscientiam et (2) secundum Apostolum « Sobrie, et juste, et pie vivamus » in hoc sæculo, expectantes beatam spem, et adventum » gloriæ magni Dei². » Non nos fallax rerum transientium species securos reddat, non mundi oblectamenta a Dei opere pigros reddat, sed ad cœlestia suspirantes, per poenitiæ lamenta a peccatorum onere liberi, et in honore opere, spe futuri gaudii, roborati, cum timore et sollicitudine maxima Salvatorem expectemus Dominum Christum Jesum, cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

¹ Philip. III, 21. — ² Tit. II, 13.

(1) Cod. *reformavit*. — (2) Deest *et in cod.*

SERMO XXI.

In Natali Domini XIII.

Sequens sermo, erutus ex Cod. Cass. XII, fol. 15, ab initio usque ad mediam partem penitus differt ab illo edito a Benedictinis, nempe sermone CLXXXVI; cætera vero concordant. Nullum exurgere potest dubium, saltem meo iudicio, quin sit vere principium hujus sermonis, in Editis detruncati, quod evidentius demonstratur nota ad finem apposita. Hic, quæ desunt, solummodo rescribimus. Locus ejus sit idem ac locus sermonis CLXXXVI, cum eodem numero in Natali Domini III.

SYNOPSIS.

I. Duplex Christi nativitas. II. Inclinauit se, ut nos erigeret. III. Christus virginis partu editus, etc., ut *in edit.* num. 1, et *sic deinceps.*

I. Ecce Dominus noster hodie natus est, et omnis creatura ad gaudium invitatur, dicente Propheta: « Lætentur cœli, et exultet terra, moveatur mare et plentudo ejus¹. » Cœlos hodie Angelorum choros intellige, qui cœlestium obtinent sedes, qui hodierna die pastori- bus audientibus hymnum clamant dicentes: « Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis². » Terram naturam humanam esse cognosce. Per

¹ Psal. xcvi, 7. — ² Luc. II, 14.

mare vero omnem mundum, et quæ in eo sunt in comune, Scriptura significat, quibus hodierna dies nativitatis Christi, immensam lætitiã generavit. Natus est Christus ex Virgine, ut nos nasceremur ex Spiritu sancto; qui ante omnia sæcula est generatus ex Patre, hodierna die natus est ex Virgine Matre. Factus est enim ex Matre, permansit in Patre. Nam qui semper est, factus est quod non erat, nec desiit esse quod erat: factus est namque homo quod non erat, ut ait Apostolus: « Factus ex muliere, » factus sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret¹; permansit autem Deus esse, quod fuerat; nativitas siquidem, quæ secundum carnem est, et nobis profuit, et illi non obfuit, quia nobis adoptionem filiorum contulit, et ipse in Deitate propria cum Patre permansit.

II. Inclinauit enim se, cum sublimis esset, ut nos qui incurvati eramus, erigeret. Incurvata siquidem erat humana natura ante adventum Domini, peccatorum onere depressa; et quidem se in peccati vitium spontanea voluntate curvaverat, sed sponte se erigere non valebat. Denique incurvationis hujus miserias, quas homo tolerando gemebat, sanctus Propheta deflens exclamat in Psalmis, et dicit: « Miser factus sum, et curvatus (1) » usque in finem; tota die contristatus ingrediebar². » Tota die, totum tempus ante adventum Christi significat, quo humanum genus, quasi incurvatum ambulans, contristabatur, quia non inveniebatur, qui curvum erigeret, qui lapso (2) in peccati foveam manum porri-geret. Propterea Dominus noster advenit, et mulierem illam incurvatam inveniens (3), quam annis decem et octo Satanas alligaverat, ita ut se non posset erigere³,

¹ Galat. iv, 4. — ² Psal. xxxvii, 7. — ³ Luc. xiii, 16.

(1) Cod. male *turbatus*. — (2) Id. *lapsum*. — (3) Vide serm. cccxcii, num. 1; et Enarrat. in Psal. xxxvii, num. 10.

potestate divinitatis absolvit. Hæc autem mulier formam incurvationis totius humani generis præferebat. In hac muliere hodie natus Dominus noster vinculis Satanæ alligatos absolvit, et licentiam nobis tribuit ad superna conspicerè, ut qui olim constituti in miseris tristes ambulabamus, hodie venientem ad nos medicum suscipientes, nimirum (1) gaudeamus (2).

III. Merito ergo gaudeamus, fratres, etc., *ut in editis*.

SERMO XXII.

In Natali Domini XIV.

Hic sermo habetur in Cod. XII, fol. 25. Totum sapit Augustinum, et quoad sententias, et quoad dicendi modum; quibus cum et auctoritas codicis accedat, nihil jam occurrit, quod amplius exigi possit. Locus ejus in Editis post sermonem nostri Supplementi primi XVIII, cum numero in Natali Domini xxv.

SYNOPSIS.

I. Christi Dei et hominis humilitas et gloria. II. Eisdem beatus Doctor evolvere pergat. III. De Deo trino et uno. IV. Epilogus.

(1) Cod. *nimirum*. — (2) Notandum est hic adesse in codice duas voces quæ vix intelligi possunt, et quæ tamen propius attendenti ostendunt hoc verbum *gaudeamus* esse initium numeri, qui sequitur usque ad verbum *mortem*, quo revera terminatur articulus sermonis ante verba sequentia *si ergo verbum Deus*, etc., unde habemus initium sermonis, quod deest in Benedictinis. Sic enim scribendum *nimirum gaudeamus. Merito ergo gaudeamus, fratres*, etc. Ita enim habet codex *nimirum gaudeamus. Merito ergo ad mortem. Si ergo verbum*, etc. Quod ut facilius intelligat lector, recurat ad editionem Benedictinam, serm. CLXXXVI.

I. OMNES causas (1) humilitatis Dominicæ non ad hæresim aspiciunt homines dialectici, sed ad laudem Dei evidenter attendunt. Natus est enim ex tempore de Virgine Maria homo in terris, sed antequam essent tempora, ex Deo Deus est genitus; omnis ergo intentio tua, o hæretice, ad ejus humilitatem sic respicit, ut te prohibeat divinitatem ejus gloriæ intueri. Cum ergo legeris (2): « Pater major me est¹, » lege et hoc: « Ego et Pater unum sumus², » ut humilitatem humanitatis intelligas, et æqualitatem Deitatis advertas. Pannis respicis involutam infantiam, et Angelorum illam non vides exercitiis circumdatam? Vides hominem humilem per Mariam Virginem natum in terris, et non vides Deum per stellam fulgentem in cœlis? Vides fugientem ad Ægyptum parvulum, et non vides angelicis obsequiis, et eundi, et redeundi copiam patuisse (3)? Vides hominem euntem ad Joannem (4), ut ejus manibus baptismatis sacramenta susciperet, et non vides de cœlis patentibus sanctificationem eum non accipere, sed conferre? Neque enim ipse a Jordane benedictus est, sed ipse magis alveum benedixit, et consecrationem magis ipse illi contulit, quam accepit. Denique Pater cœlis patentibus clamat, et Spiritus sanctus in columbæ specie corporalis descendit, ut baptismatis mysterium tota sancta Trinitas consecraret, et verum Filium suum Pater oris sui testimonio perdoceret.

¹ Joan. xiv, 28. — ² Id. x, 30.

(1) Cod. sine sensu habet: *omnis causa*. Nota *homines dialecticos* hic, ut sæpius apud Augustinum in bonam partem accipi, id est, veritatis inquisitores. — (2) Vide libr. *de diversis Questionibus octoginta tribus*, quæst. lxxix, n. 1; *de Cantico novo*, n. 7, et alibi. — (3) Cod. *paruisse*, et paulo ante, *angelici obsequii*. — (4) Vide serm. cccxiii, num. 6, et serm. xxxiv, Append., n. 5.

II. Item tentatum triplici tentatione hominem vides, et Deum non consideras tentationes diabolicas superantem. Esurientem respicis, et Angelos non consideras ministrantes? Vides hominem marinis tempestatibus subjacere, et videre non potes imperantem ventis, et super undas maris siccis pedibus ambulantem? Fatigatum ab itinere respicis, et non vides hominibus fatigationis finem ponentem? Sedentem super puteum, et sitientem, sibi aquam poscentem aspicias, et fontem aquæ vivæ ex se ipso profluentem videre contemnis? Paucos panes habentem hominem pauperem despicias, sed divitias Dei tot millia hominum saturantem ex ipsa panum paucitate non cernis? Euntem ad sepulcrum, et amicum suum mortuum flentem irrides, et resuscitantem a mortuis eum quem fleverat, Deum esse non credis? Judam venundantem hominem aspicias, et non respicis totum sæculum Dominum redimentem? Tentum respicis Christum in custodia hominum, et de custodia dæmonum non vis aspicere homines liberantem? Ligatum unum Filium hominis aspicias, et a ligatura filios hominum exolventem videre contemnis? Cum consideras irrisum Filium hominis, cur non consideras Dei Filium ab irrisione dæmonum animas hominum eruentem? Et cum lignum ejus passionis consideras, cur lignum prævaricationis per (1) lignum passionis exclusum esse non cernis? Et qui plorasti in sepulcro corpus exanime, cur exurgentem a mortuis, et in cœlos ascendentem Dominum videns (2) non lætaris? Qui totas formas consideras servi, quare unam formam non consideras Domini?

III. Unum colimus Deum, sed tres consideramus in una Deitate concordēs: ingenitum Patrem, unigenitum

(1) *Per* deest in codice, sed ipso sensu requiritur. — (2) Desideratur in codice vox *videns*, quam sensus exigit.

Filium, sanctum Spiritum procedentem ex Patre (1). Hoc enim in Evangeliiis legimus. Unde et in baptismatis consecratione, non in nominibus, sed «In nomine Patris, » et Filii, et Spiritus sancti¹, » ad filiorum Dei gloriam pervenimus; ut nos omnes Patrem Deum habeamus per gratiam, quam Jesus Nazarenus homo natus ex Virgine, per ipsam suæ originis gloriam nascendo suscepit Dei Filius, per naturam inconceptus, et in partu simul natus in terris, qui ante in cœlis natus est ex Patre (2). Nam sicut ex uno fonte sapientiæ procedit vox, verbum, et verbi ratio; et sicut ex uno meatu conveniunt fluvius, sapor fluenti, et refrigerium, quæ cum distincta a se persona discreta sint, ita tamen unius sunt substantiæ effecta, ut unus non possit ab alio discrepare, nec dividi, ac majus minusve distingui (3).

IV. Hanc teneamus ergo Catholici regulam, ut majorem, vel minorem non admittas in eo ordine, sed unam et æqualem Dei gloriam fateamur. Deus enim semper idem est, et immutabilis Deitate persistens, nec minor in ordine crescit, nec major senescit in ætatem (4), sed vitali substantia a se sumens exordium, Pater cum Filio, et Spiritu sancto unus Deus est, qui vivit, et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

¹ Matth. xxviii, 19.

(1) Vide serm. cxxiv in traditione Symboli III, ubi dicit: *Credimus in Spiritum sanctum de Patre procedentem*, n. 19, nec illud obstat quin et a Filio procedere credat, cum illud ex professo sæpius doceat, et præcipue tractat. xcix in Joan. cap. xvi, n. 6 et seqq. — (2) Cod. vitiose: *Qui ante cœlos natus est Patre*. — (3) Hic aliquid deesse videtur, ad complendam secundam periodi partem. — (4) Cod. *mentem*, evidenter pro *ætatem*.

SERMO XXIII.

In Natali Domini XV.

Hic sermo ex Cod. Cass. XII, fol. 24 erutus, ita sapit Augustinum, ut, etiamsi deficeret nomen, illi tamen tribuendus videretur; quanto autem magis illi vindicandus, cum nomen ejus in manuscripto perscribatur. Locus ejus post precedentem cum numero in Natali Domini xxvi.

SYNOPSIS.

I. De æternitate Verbi inter Joannem aut Arium facienda electio. II. Ejusdem divinitas a sancto Paulo asseritur. III. Deus in se immutabilis, aliter atque aliter se famulis suis exhibet. IV. Verba Scripturæ non semper secundum litteram intelligenda. V. Sensus minime litteralis funestæ consequentiæ. VI. Ariani Patrem mutabilem et imperfectum effingunt. VII. Ariano calcem erigenti rursus occurrit Paulus. VIII. Divinitati non obstat quod Patrem se majorem dicat, et ipse Filius hominis dicatur.

I. ASSUMAM HUBE virgam pastoralem, et tres lapides de torrente colligam simul cum beato David contra Goliath exiturus ad pugnam (1). Quid est quod agis (2), Ariane? Dicere ausus es: «Non erat Filius, et erat Deus?» Sed contra te Evangelista sacratissimus clamat: «In

(1) Vide serm. xxxii et enar. in Ps. cxliii, n. 1. — (2) Cod. *male ages...* Vide lib. vii de Hæres., n. 80; serm. cxxlii, n. 4, et sermonem cccxli, qui totus agit contra Arianos.

Filium, sanctum Spiritum procedentem ex Patre (1). Hoc enim in Evangeliiis legimus. Unde et in baptismatis consecratione, non in nominibus, sed «In nomine Patris, » et Filii, et Spiritus sancti¹, » ad filiorum Dei gloriam pervenimus; ut nos omnes Patrem Deum habeamus per gratiam, quam Jesus Nazarenus homo natus ex Virgine, per ipsam suæ originis gloriam nascendo suscepit Dei Filius, per naturam inconceptus, et in partu simul natus in terris, qui ante in cœlis natus est ex Patre (2). Nam sicut ex uno fonte sapientiæ procedit vox, verbum, et verbi ratio; et sicut ex uno meatu conveniunt fluvius, sapor fluenti, et refrigerium, quæ cum distincta a se persona discreta sint, ita tamen unius sunt substantiæ effecta, ut unus non possit ab alio discrepare, nec dividi, ac majus minusve distingui (3).

IV. Hanc teneamus ergo Catholici regulam, ut majorem, vel minorem non admittas in eo ordine, sed unam et æqualem Dei gloriam fateamur. Deus enim semper idem est, et immutabilis Deitate persistens, nec minor in ordine crescit, nec major senescit in ætatem (4), sed vitali substantia a se sumens exordium, Pater cum Filio, et Spiritu sancto unus Deus est, qui vivit, et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

¹ Matth. xxviii, 19.

(1) Vide serm. cxxiv in traditione Symboli III, ubi dicit: *Credimus in Spiritum sanctum de Patre procedentem*, n. 19, nec illud obstat quin et a Filio procedere credat, cum illud ex professo sæpius doceat, et præcipue tractat. xcix in Joan. cap. xvi, n. 6 et seqq. — (2) Cod. vitiose: *Qui ante cælos natus est Patre*. — (3) Hic aliquid deesse videtur, ad complendam secundam periodi partem. — (4) Cod. *mentem*, evidenter pro *ætatem*.

SERMO XXIII.

In Natali Domini XV.

Hic sermo ex Cod. Cass. XII, fol. 24 erutus, ita sapit Augustinum, ut, etiamsi deficeret nomen, illi tamen tribuendus videretur; quanto autem magis illi vindicandus, cum nomen ejus in manuscripto perscribatur. Locus ejus post precedentem cum numero in Natali Domini xxvi.

SYNOPSIS.

I. De æternitate Verbi inter Joannem aut Arium facienda electio. II. Ejusdem divinitas a sancto Paulo asseritur. III. Deus in se immutabilis, aliter atque aliter se famulis suis exhibet. IV. Verba Scripturæ non semper secundum litteram intelligenda. V. Sensus minime litteralis funestæ consequentiæ. VI. Ariani Patrem mutabilem et imperfectum effingunt. VII. Ariano calcem erigenti rursus occurrit Paulus. VIII. Divinitati non obstat quod Patrem se majorem dicat, et ipse Filius hominis dicatur.

I. ASSUMAM HUBE virgam pastoralem, et tres lapides de torrente colligam simul cum beato David contra Goliath exiturus ad pugnam (1). Quid est quod agis (2), Ariane? Dicere ausus es: «Non erat Filius, et erat Deus?» Sed contra te Evangelista sacratissimus clamat: «In

(1) Vide serm. xxxii et enar. in Ps. cxliii, n. 1. — (2) Cod. *male ages...* Vide lib. vii de Hæres., n. 80; serm. cxxlii, n. 4, et sermonem cccxli, qui totus agit contra Arianos.

» principio erat Verbum. Erat, » dixit, et iterum « Erat » adjunxit. Sequitur enim : « Et Verbum erat apud Deum. » Nec contentus est bis dixisse, « Erat, » addit et tertio, « Erat, » dicens : « Et Deus erat Verbum¹. » Et quia per quatuor cardines mundi contra falsitatem erat veritas prædicanda, etiam quartam assertionem adjunxit dicens : « Hoc erat in principio apud Deum². » Arius semel dicit : « Non erat, » sed Joannes quater respondit : « Erat, erat, » erat, erat (1). » Quid nunc facimus ? Unum e duobus suscipere nobis est necesse, alterum recusare. Si Ario credimus, Joannes irascitur ; si Joannem sequimur, Arius erit pro ipsa desertione (2) nostri offensus. Sed quia Joannes, ut hoc diceret, a Christo suscepit, Arius autem, ut hoc astruat, ab Aristotele consecutus est, sequamur omnes Christi Discipulum, et Aristotelis famulum deseramus.

II. Dic tamen, Ariane, quæ ratio te compulit Christum dicere creaturam ? Hæc quæ illum ex Virgine ostendit inter mortales in terris, an illa quæ illum ex ore Patris memorat inter immortales (3) in cœlis ? Si ista, qua est Virginis filius, creatura Deus dici non poterit, quia Creator creaturam assumpsit. Non enim ipse servus apparuit inter conservos, sed cum sit Dominus, « Formam servi » suscepit³, » ut potuisset eum servilis conversatio tolerare. Aliter enim, si utilitas reipublicæ flagitat, inter turbas latere Imperator non poterit, nisi deposito diademate, ac purpureo seposito indumento, plebeium ac simplicem suscepit cultum ; ista itaque comparatione utimur in (4) præteritum nostri Regis adventum. Hoc, inquam,

¹ Joan. 1, 1. — ² Ibid. 2. — ³ Philip. 11, 7.

(1) Vide Serm. cccclxxx, n. 3. — (2) Cod. *disertione*, et inferius semper *Aristotiles*. — (3) Id. *perperam mortales*. — (4) Id. mala verborum translatione : *In ista itaque comparatione utimur præteritum nostri regis adventum.*

ordine quo magister noster asserit apostolus Paulus : « Quia cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus » est esse se æqualem Deo¹. » Quid agis, Ariane, Aristotelem tuum enervat ista adjectio. Paulus æqualem Deo dicit, tu inæqualem. Joannes dicit : « Erat, » tu dicis, Non erat. Sed agamus, quod agimus. « Non, inquit, rapinam » arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum » exinanivit formam servi suscipiens². » Teneamus omnes Catholici ista duo verba, ut de omnibus hæreticorum objectionibus rideamus. « Exinanivit, inquit, se ipsum » formam servi suscipiens. » Quis iste est, qui se exinanivit ? Ille sine dubio qui « In forma Dei positus, non rapinam arbitratus est esse æqualem Deo. » Ergo æqualitatem suam (1), quam cum Deo Patre semper habuit, non perdidit assumendo hominem, sed ornavit. Habet enim Divinitas unde semper novis laudibus gloriatur ; non tamen recipit, unde vel nebulam aliquam vituperationis incurrat. Quod autem dicimus. Habet unde novis laudibus quotidie gloriatur, profectus creaturæ ejus esse poterit, non ejus accessus.

III. Deus enim nec augmentum in se recipit, nec detrimentum incurrit, sed pro modo creaturæ suæ, aliis se magnum, aliis se exhibet parvum. Et hoc facere eum omnipotentiae ejus potestas ostendit. In se enim, et secundum se ipsum quod est, penitus nulla creatura est ad videndum idonea (2). Et idcirco aliter se ostendit Adæ cum præceptum daret, aliter cum prævaricationem argueret. Aliter se Abel justo, aliter se Caïn ostendit injusto. Aliter se ostendit Enoch ad transferendum, aliter Noë ad subveniendum mundo patienti naufragium. Aliter

¹ Philip. 11, 6. — ² Ibid. 7.

(1) Cod. *perperam* : *Erga qualitatem Deo suam*. — (2) Vide Serm. vi, n. 1.

Abrahæ ad tentandum in filio, aliter Isaac, ut ipse sacrificandus patri sacrificanti serviret (1), et ad incendium sui corporis, sicut Christus ad crucifigendum, sic figuratiter ipsa ligna portaret. Aliter se ostendit Jacob dormienti, aliter pascenti oves Moseo apparuit vigilantibus. Aliter Ægyptiis paruit mersis (2), aliter Israël filiis liberatis. Aliter per diem in columna nubis visus est, aliter in ignea columna per noctem. Aliter cum voces fierent, tonitrua, et fulgura, et montium motus, aliter cum serena temperies ipsam etiam Prophetæ faciem splendidam aspicientibus exhiberet. Aliter cum apertis cœlis mannam plueret ad edendum; aliter cum aperta petra aquam funderet ad bibendum. Aliter cum ab ictu virgæ maris unda ad evadendum liquesceret, aliter cum ad ictum virgæ maris unda liquesceret ad necandum. Aliter cum ad transmeandum Jordanem aqua post se ipsa unde (3) cucurrerat remearet; aliter, cum ad vocem tubarum, hostium (4) muri corruerent. Aliter cum ad signum meretricis casti mortem evaderent, et Sanctorum auxillum invenirent; aliter (5) cum juberet homo soli, ne ad occasum pergeret; aliter cum juberet homo nubibus, ne pluvias emanarent. Aliter cum jussu hominis ignis de cœlo super homines rueret; aliter cum oratione hominis ignis de cœlo super sacrificium adveniret. Aliter cum ad ictum melotus, fluvius divisus est; aliter cum quadriga equorum igneorum, cum curru igneo veluti aurigam hominem suo cursu transferrent. Aliter Samuëli (6), aliter David, aliter apparuit Salomoni. Aliter eum Nabuchodonosor, aliter eum Daniel videre promeruit. Aliter eum numerosissimi Prophetæ viderunt, aliter Apostoli aspexerunt.

(1) Cod. male *servaret*. — (2) Id. *mercis*. — (3) Id. *undæ*. — (4) Id. *ostium*. — (5) Id. *alium*. — (6) Id. *Samuëli*.

IV. Vade tu, hæretice, et quotiescumque eum aliter legeris et aliter visum, finge tibi tot imagines, tot colores, ut et rubum inspicias, et ignem, et nubem, et petram, et lignum, et virgam, et maxillam asini, Dei Filium memorare. Si enim legas, et hoc intelligas, quod littera sola conscripsit, non solum Deum negaturus es, sed etiam Legis ipsa monita perturbabis. Nos autem unum semper confitebimur Deum. Nam jubeat (1) Lex escam esurientibus, et potum sitientibus non negari; et legitur quodam loco: «Bibe aquam de cisterna tua, et nullum ex ea bibere sinas¹.» Erit ergo secundum litteram crudelitas ista præceptio (2), quæ eousque humanitatem excludit, ut nec aquæ liceat sitienti poculum propinare. Sonum enim solum vocis quicumque respexerit, periculum æterni ignis incurrit. Scriptum est enim: «Ite, maledicti, in ignem æternum, quia esurivi, et non dedistis (3) mihi cibum, sitivi, et non potastis me².»

V. Ad hæc tu, Ariane, respondere poteris dicens: Tu dixisti, ut non solum sitienti poculum denegarem, sed de meo fonte cupientem bibere prohiberem. Ista incurrit, qui Scripturas divinas in sola superficie litterarum considerat. Cum legerit de Deo: «Vidi Vetustum» dierum sedentem super thronum³, «seniorem putat Patrem. Cum legerit: «Quis est iste juvenis, qui venit ex Bosor, iste formosus, qui ambulat in multitudine virtutis suæ⁴,» in Dei Filio esse æstimat juventutem. Sic fit, ut per ignaviam, et sine fine occurrere non neget, et senectutem juveni evenire. Ubi enim majorem et minorem, necesse erit, ut utrumque hujus vinculo necessi-

¹ Prov. v, 15. — ² Matth. xxv, 41, 42. — ³ Dan. vii, 9. — ⁴ Isai. lxiii, 1.

(1) Cod. male *jubeat*. — (2) Id. *perceptio*. — (3) Id. *dedisti*.

tatis astringas, ut et crescendi, et senescendi, et finiendi eos exitus maneat.

VI. Videte, obsecro, universi Catholici, in quo blasphemiorum gurgite demergantur, qui quando legunt sacros apices, ipsi sibi efficiuntur et discipuli et magistri; et cum vanissimas poetarum fabulas sine magistro legere ausi non fuerint, « Christi sapientiam in mysterio absconditam¹, » magisterium spiritualium recusantes legunt, et sacratissimos apices Dei suis compellunt sensibus deservire. Vis tibi ostendam, Ariane, quia per honoris defensionem Dominum exhonoras? Vis tibi credam, quia fuit tempus, quando non fuit Filius? Explica te, ut ex hoc ipso ipsum Patrem immutabilem ponas, quoniam Deus dici non potest, qui mutabilis potuerit edoceri. Mutabilis autem erit, si fuit quando Filium non habuit, quia sicut Filium vis incipere esse quod non erat, sic et Patrem doceberis appellare quod non erat. Erit ergo pater novus novi filii; novitati vero usum accedere negare non poteris. Et sicut novo (1) vetustatem, et vetustati senectutem, sic etiam senectuti finem impones. Vides-ne, obsecro, quæ te vorago tenebrarum astringat? Si enim « Christum Dei virtutem et Dei sapientiam³, » esse non denegas, et dicis fuisse tempus quando Filius non fuerit, blasphemare doceberis eum sine virtute, et sine sapientia fuisse, cum ille sine Filio, qui est virtus et sapientia, studueris demonstrare. Et sicut est miserum sine virtute esse, ita sine sapientia esse probatur stultum.

VII. Quid agis, o hæretice? quid contra stimulum feriendum elevas calcem? Dicis Filium creaturam, et blasphemias tuis Paulus occurrit dicens: « Deus erat in

¹ 1 Cor. II, 7. — ² Ibid. 24.

(1) Cod. *novi*.

» Christo, mundum reconcilians sibi¹. » Et ne contra sententiam tuam putes solam sententiam apostolicam repugnare, et hic tuam ostendo blasphemiam. Si enim creaturam dicis Filium, cum ipse in Apostolo legas: « Creatura enim vanitati subjacet²; » ergo vanitati subjectus est Christus. Item legimus, quod « Omnis creatura ingemiscit secundum se, et parturit³; » ergo (ingemiscit et parturit) (1) ille qui a gemitu et dolore totum sublevat mundum. Item legimus, quia « Liberabitur » creatura a servitute corruptionis⁴; » ergo corruptioni deservit in terris, qui est integritatis imperator in cœlis.

VIII. Sed velis nolis, inquam, fidem ipsi de se loquenti committes. Dicit enim: « Pater me major est⁵. » Numquid hoc solum legistis? Legitur puto in Evangeliiis, quod sit Filius hominis. Facite nobis calumniam, quia Dei eum Filium confitemur. Dicite, cur eum Dei Filium dicitis, cum ipse se Filium hominis (2) esse testetur? Si causas ejus humilitatis in calumniam vertas, de medicina excitas vulnus, ut inde quoque sana lædas, unde læsa curanda sunt. Nos autem salutem nostram in confessione rectæ fidei retinentes, summam Trinitatis in una Deitatis substantia esse sine aliqua cunctatione credamus, ut vitæ æternæ possimus esse participes, in Christo Jesu Domino nostro qui cum Patre, et Spiritu sancto regnat in sæcula sæculorum. Amen.

¹ 2 Cor. v, 19. — ² Rom. viii, 20. — ³ Ibid. 22. — ⁴ Ibid. 21. — ⁵ Joan. xiv, 28. — ⁶ Matth. viii, 20 et alibi.

(1) Verba ansulis inclusa desunt in codice, sed sensu evidenter requiruntur. — (2) Cod. *se esse; se abundat*.

SERMO XXIV.

In Natali Domini XVI,

Ubi explicantur hæc verba Psalmi : *Descendet sicut
pluvia in vellus*¹.

*Hic sermo assumitur ex Cod. Cass. XII, fol. 26, cum
sancti Augustini nomine, cui revera tribuendus videtur,
cum nihil quod illius auctoritati officiat occurrere videat-
ur; imo et sententiarum et styli concordet paritas. Locus
ejus post præcedentem cum numero in Natali Domini
XXVII.*

SYNOPSIS.

I. Christus in natiuitate humilis et sublimis. II. Prior ad-
ventus in humilitate, posterior in gloria.

I. DUBITUM non est, fratres dilectissimi, carnalem Do-
mini nostri Jesu Christi adventum in hac parte Psalmi
Istius prophetatum, quem eo tempore hominibus exhibuit,
quo de caelis pro nostra salute descendit. Et quia
humilis futurus esset in carne, nullam sibi, ut Deus,
vindicans potentiam, nullam sibi applicans dignitatem,
hominibus se præbuit magnum in oculis hominum. Ete-
nim se vilem et pauperem videntibus præbuit, sed Deum
se credentibus declaravit. Hominis enim in exteriori parte
exercebat officium, sed ex interiori parte divinum imple-
bat imperium, ostendens hominem terreni corporis con-

¹ Psal. LXXI, 6.


ditione susceptum. Egenus quidem carnaliter videntibus,
sed credentibus majestate coelestis gloriae sublimatus.
Humilis in descensu, ut pluvia nullum sonitum reddit
vellus molle perfundens, ita et Dominus sine ullo cœ-
lestis potentiaē strepitu descendens, nullo murmure, nullo
strepitu hominum corda terrificans (1), humilem suæ ma-
jestatis declaravit adventum. Non enim ut regnaret ad-
venit, sed ut pro nostra salute passionem exciperet, ten-
tationes vinceret, mortem pro mortalibus immortalis
assumeret, et resurrectionis semitam, omnibus ad se
confugientibus aperiret.

II. Unde quia primus adventus, quem (2) secundum
carnem habuit, veluti pluvia descendit in vellus, necesse
erit ut secundo adventu cum ingenti fragore, et strepitu
revertatur. « Erunt (3) enim, sicut scriptum est, fulgura,
» et tonitrua, et terræ motus¹, et grando. Ignis enim in
» conspectu ejus ardebit, et in circuitu ejus tempestas
» valida². » Et, « Magno impetu, ut ait Apostolus,
» cœli ardebunt, elementa ignis ardore tabescent³. Ignis
» enim ante eum ardebit, et inflammabit (4) in circuitu
» inimicos ejus⁴. Tunc montes sicut cera liquescent⁵;
» timentes autem Dominum, et expectantes adventum
» ejus, rapientur in nubibus obviam Christo in aëra, et
» ita semper cum Domino erunt⁶. » Hæc autem idcirco
scripta sunt, ut nostrum exitum in occursum Domino
præparemus, ut qui cum humili Domino humiliamur
in terris, cum excelso regnemus in caelis. Erit enim illud
implendum, ut qui hic lacrymas humilitatis, sicut plu-

¹ Apoc. VIII, 5. — ² Psal. XLIX, 3. — ³ 2 Petr. III, 12. — ⁴ Psal. XCVI, 3.
— ⁵ Ibid. 5. — ⁶ 1 Thess. IV, 14-16.

(1) Cod. male *tristificat*. — (2) Id. *perperam qui*. — (3) Id. *erant*. —
(4) Cod. *inflammavit*.

vias, sparserint in terris, gaudia in cœlis æterna suscipiant, per Christum Dominum nostrum, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit, et regnat in sæcula sæculorum. Amen.



SERMO XXV.

In Natali Domini XVII.

Hic sermo legitur in Cod. Cass. XII. fol. 27, et ibi sancto Augustino tribuitur, nec immerito. Ubique enim deprehenduntur illæ verborum oppositiones beato Doctori familiares. Nihil aliunde occurrit quod illius authenticitati obistere videatur. Ponatur post præcedentem cum numero in Natali Domini XXVIII.

SYNOPSIS.

I. Christus nascitur Angelis dulcissimum melos cantantibus. II. Pretiosa infantium martyria. III. De nativitate et parvulis dicere pergit. IV. Epilogus.

I. FRATRES dilectissimi, Christus Dominus nascitur, et mundus omnis redimitur, ut novum fieret genus humanum. Christus in spelunca nascitur, ut mundus careret mortifera sepultura (1). Christus in spelunca vagiens nascitur, ut de spelunca peccati fugerent iniqui latrones, et sub novo infante, infantes omnes fierent innocentes. Christus nascitur per Virginem, ut se Eva ulterius non cognoscat sub arbore, sed sancta Ecclesia exaltaretur in

(1) Cod. sepultura.

cruce, et cantet mundus Virginem Matrem, sicut cantat turtur in arbore propriam castitatem. Christus a Magis adoratur; inclinet poplites suos genus humanum. Christus adoratur in pannis, qui fulget in cœlis, ut tunc adoretur a Christianis sedens ad dexteram ingeniti Patris. Christus adoratur in præsepio, ut nos adoremus eum in gremio altaris æterni. Factus est præsepe Paradisus, ubi flores (1) campi et lilium jacebant convallium, ut per ipsum floreret, arente peccato, genus humanum. Spinæ peccati (2) antea pullulabant; floribus justitiæ pauci virebant; cætera hominum germina marcescebant. Descendit novum lilium Christus ad sæculum, et coepit plantare terram germinibus Angelorum. Venerant de cœlo nova et peregrina plantaria, Angeli dicentes dulcissima cantilena, ut quia Prophetæ non audiebantur, Angeli viderentur, et cum Angelis cantaret (3) genus humanum: «Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus» bonæ voluntatis⁴. » O gloria nova per organa nova, pax post peccatum, vita post gehennam, deliciæ (4) post tribulum, rosa post spinas, canticum post silentium, sonus Angelorum post gemitus captivorum!

II. Refloruit Paradisus Ecclesiæ novis plantariis Angelorum; et quia nova erant Angelorum desuper pacifica plantaria, coeperunt plantari infantium pretiosa martyria. O sanguinei surculi parvulorum, in quibus operabatur gladius latronum, et nullus sanguis fuerat peccatorum! Ecce natus est Paradisi plantator, gaudeat nunc ille Adam Paradisi negligens habitator. Ubi est ille serpens? Non faciet (5) jam a conspectu Domini hominem fugitivum. Ecce Chris-

¹ Luc. II, 14.

(1) Forte, et quidem melius, flos. — (2) Cod. peccato. — (3) Id. male cantare. — (4) Id. sine sensu: Cilicium post tribulum. — (5) Id. male: Non facie, et jam a conspectu.

tus, imperator æternus, venit ad sæculum, ut sibi perpetuum (*sic*) pararet exilium, et hominem suum reportaret (1) ad cœlum. Reseratum Paradisum, post latronis ingressum, jam non potest callidum inimicum latere (2). Non tenet ulterius spelunca latronem, quia spelunca nova novum continet Salvatorem, publicante stella de cœlo. Virgo mater in sæculo, Ecclesia in ligno, latro in Paradiso, Dominus in sepulcro.

III. Antea dum deciperes, sententia data est peccatori. Quæ sententia? « Terra es, et in terram ibis ¹. » Modo mutatum est canticum lacrymarum. Jam non habes quod valeas accusare, quia venit, qui humiliat peccatorem, et ipse permanebit cum sole. « Ab ortu enim solis » usque ad occasum laudabunt pueri Dominum ². » Nam « Ecce puer Propheta Altissimi vocabitur ³, » ut « Jvenes, et virgines, senes cum junioribus laudent nomen » Domini ⁴, qui saluum fecit populum suum a peccatis » eorum ⁵. » Solvit vincula peccatorum, oculos aperuit cæcorum, aures surdorum, suscitavit corpora mortuorum, solvit gemitus compeditorum, lætificavit corda pastorum. Jam lætentur oves lilia carpere castitatis, et parvuli rosas (3) delibare novelli sanguinis, sine causa criminis, sine dolore vulneris, sine damno cruoris, quia patiebantur pro Filio Majestatis.

IV. Ipsi hodie canunt Angeli: « Gloria in excelsis » Deo ⁶; » ipsum adorant supplices Magi; ipsum diligunt

¹ Gen. iii, 19. — ² Psal. cxii, 1-3. — ³ Luc. i, 76. — ⁴ Psal. cxlviii, 12. — ⁵ Matth. i, 21. — ⁶ Luc. ii, 14.

(1) Cod. male *reportet*. — (2) Hæc phrasid corrupta sic legitur in codice: *Referat ad paradisum, post latronis ingressum, jam non potest callidus inimicus latere*. — (3) Cod. male *rosa*.

pastores et agni. Ipsi hodie laudem exhibent sobrii Christiani, ipsi genua flectunt vivi et mortui, qui est in dextera Patris, et tollet peccata mundi.

SERMO XXVI.

In Natali Domini XVIII.

Hic sermo, erutus ex Cod. Cass. cvi, fol. 7, fere in principio ad verbum concordat cum homilia falso Origeni tributa de Epiphania Domini apud Combesisium tom. 1, fol. 519; sed cætera omnino sunt diversa, nec indigna quæ sancto tribuantur Augustino. Nec obstat, quod primæ sententiæ similes sint, cum prorsus ignoretur cui tribuenda sit homilia, quæ nomen Origenis præ se fert, et possit esse alienjus, qui sanctum Augustinum imitatus est, aut quem imitatus est ipse sanctus Augustinus. Locus ejus post præcedentem cum numero in Natali Domini xxix.

SYNOPSIS.

I. Nativitatis Christi dies, dies lætitiæ. II. Angeli salutatio. III. Verbi incarnatio. IV. Vera pulchritudo, castitas.

I. SANCTUS et sollemnis dies, fratres dilectissimi, mundo illuxit (1); exultemus et lætemur in eo. Hodie sol ortus est mundo. Hodie in sæculi tenebris lumen verissimum ingressum est. Hodie nobis omni sole lucidior dies

(1) Vide Hom. Origenis de Epiph. Domini apud Combesisium, t. 1, fol. 519.

tus, imperator æternus, venit ad sæculum, ut sibi perpetuum (*sic*) pararet exilium, et hominem suum reportaret (1) ad cœlum. Reseratum Paradisum, post latronis ingressum, jam non potest callidum inimicum latere (2). Non tenet ulterius spelunca latronem, quia spelunca nova novum continet Salvatorem, publicante stella de cœlo. Virgo mater in sæculo, Ecclesia in ligno, latro in Paradiso, Dominus in sepulcro.

III. Antea dum deciperes, sententia data est peccatori. Quæ sententia? « Terra es, et in terram ibis ¹. » Modo mutatum est canticum lacrymarum. Jam non habes quod valeas accusare, quia venit, qui humiliat peccatorem, et ipse permanebit cum sole. « Ab ortu enim solis » usque ad occasum laudabunt pueri Dominum ². » Nam « Ecce puer Propheta Altissimi vocabitur ³, » ut « Jvenes, et virgines, senes cum junioribus laudent nomen » Domini ⁴, qui saluum fecit populum suum a peccatis » eorum ⁵. » Solvit vincula peccatorum, oculos aperuit cæcorum, aures surdorum, suscitavit corpora mortuorum, solvit gemitus compeditorum, lætificavit corda pastorum. Jam lætentur oves lilia carpere castitatis, et parvuli rosas (3) delibare novelli sanguinis, sine causa criminis, sine dolore vulneris, sine damno cruoris, quia patiebantur pro Filio Majestatis.

IV. Ipsi hodie canunt Angeli: « Gloria in excelsis » Deo ⁶; » ipsum adorant supplices Magi; ipsum diligunt

¹ Gen. iii, 19. — ² Psal. cxi, 1-3. — ³ Luc. i, 76. — ⁴ Psal. cxlviii, 12. — ⁵ Matth. i, 21. — ⁶ Luc. ii, 14.

(1) Cod. male *reportet*. — (2) Hæc phrasid corrupta sic legitur in codice: *Referat ad paradisum, post latronis ingressum, jam non potest callidus inimicus latere*. — (3) Cod. male *rosa*.

pastores et agni. Ipsi hodie laudem exhibent sobrii Christiani, ipsi genua flectunt vivi et mortui, qui est in dextera Patris, et tollet peccata mundi.

SERMO XXVI.

In Natali Domini XVIII.

Hic sermo, erutus ex Cod. Cass. cvi, fol. 7, fere in principio ad verbum concordat cum homilia falso Origeni tributa de Epiphania Domini apud Combefisium tom. 1, fol. 519; sed cætera omnino sunt diversa, nec indigna quæ sancto tribuantur Augustino. Nec obstat, quod primæ sententiæ similes sint, cum prorsus ignoretur cui tribuenda sit homilia, quæ nomen Origenis præ se fert, et possit esse alienjus, qui sanctum Augustinum imitatus est, aut quem imitatus est ipse sanctus Augustinus. Locus ejus post præcedentem cum numero in Natali Domini xxix.

SYNOPSIS.

I. Nativitatis Christi dies, dies lætitiæ. II. Angeli salutatio. III. Verbi incarnatio. IV. Vera pulchritudo, castitas.

I. SANCTUS et sollemnis dies, fratres dilectissimi, mundo illuxit (1); exultemus et lætemur in eo. Hodie sol ortus est mundo. Hodie in sæculi tenebris lumen verissimum ingressum est. Hodie nobis omni sole lucidior dies

(1) Vide Hom. Origenis de Epiph. Domini apud Combefisium, t. 1, fol. 519.

est. Quod enim præstolabantur Angeli et Archangeli, quod Cherubim et Seraphim, et cœlorum ministeria nesciebant, hoc in nostro tempore revelatum est, ut nos etiam merito cum propheta David dicamus: « Signatum » est super nos lumen vultus tui, Domine; dedisti lætiam in corde (1) nostro¹. » Magnum lumen et verissimum lumen, hoc est, quod « Illuminat omnem hominem². » Et quod est, inquis, hoc lumen? Cito respondeo: Dominus Jesus Christus ipse est verissimum lumen, ipse est verus sol, ipse est vera lux; et de ipso dicit Propheta: « Ortus est nobis (2) Sol justitiæ³. » De ipso Evangelista dicit: « Erat lumen verum, quod illuminat omnem » hominem venientem in hunc mundum⁴. » O suave, o dulce lumen vultus Dei, quo meruit signari populus Christi (3)! Quid est Christus? Vultus luminis, vultus Dei. Quid est Christus? Vultus et sapientia Dei. Quid est Christus? Lumen ineffabilis luminis. O fratres mei, quale est illud lumen, quod tale genuit nobis lumen!

II. Propheta sanctissimus David canorus dicit, imo vox Patris per Prophetam (4): « Eructavit cor meum » verbum bonum⁵. » Audite, fratres, eructantis cordis verbum bonum. Audite angelum Gabrielem sanctissimæ Virgini Mariæ dotalium pactionum divina jura dicantem. Audite, inquam, regalis throni præconem (5) benedictæ conceptionis et partus æternitatis Regis mysterium (6) pollicentem. « Missus est (7) enim angelus » Gabriel a Domino in Galilæam (8) ad virginem despon-

¹ Psal. iv, 7. — ² Joan. i, 9. — ³ Malac. iv, 2. — ⁴ Joan. i, 9. — ⁵ Psal. xlv, 2.

(1) Sic cod. cxliii; cod. cvi meo. — (2) Sic cod. cxliii; cod. cvi vobis. — (3) Hæc verba quo meruit, etc. desunt in cod. cxliii, usque ad has voces vultus et sapientia. — (4) Vide Enarrat. in Psal. xlv, num. 4. — (5) Cod. præceptum. — (6) Id. imperium. — (7) Deest verbum est in cod. cxliii. — (8) Sic cod. cxliii; cod. cvi Galilæa.

» satam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et » nomen virginis, Maria. » Introivit et ait ei: « Benedicta » tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui. » Et obstupuit Maria ad introitum ejus, quod sic benedixerit eam. Et obstupenti Angelus ait ei: « Ne timueris, » Maria, invenisti gratiam apud Dominum; ecce concipies in utero, et paries filium, et vocabis nomen ejus » Emmanuël (1), quod interpretatur, Nobiscum Deus. » Hic erit magnus, et Filius Altissimi vocabitur, et dabit » ei Dominus sedem David patris sui, et regnabit in » domo Jacob in æternum (2), et regni ejus non erit finis⁴. » Ecce audivit Maria, credidit, concepit et peperit. Audivit verbum, credidit fide, concepit sensu (3), et peperit lege naturæ (4).

III. Hodie ergo Dominus noster Jesus Christus natus est (5) secundum carnem, non secundum divinitatem. Nam « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud » Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio » apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso » factum est nihil². » Natus est ut videretur oculis carnis, qui videri non poterat oculis cordis. O homo, noli ingratus existere. Hic est enim, qui te fecit ad imaginem et similitudinem suam. De ipso est increpatio illa in Psalmo dicens: « Filii hominum, usquequo graves corde? Ut » quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium? Sci- » tote quoniam admirabilem fecit Dominus Christum » suum³. » Hic est Filius Dei, Verbum Dei, secretorum

¹ Luc. i, 26-33. — ² Joan. i, 1-3. — ³ Psal. lv, 3, 4.

(1) Aut potius *Jesus*, ut in Vulgata. Confundit Prophetae testimonium cum verbis Evangelistæ. — (2) Desunt verba *in æternum* in cod. cxliii. — (3) Codd. *sensum*. Concepit *sensu*, id est *corpore*, non *voluptate*. — (4) Cod. cxliii *credidit fidem, concepit sensum, et peperit legem naturalem*. — (5) Cod. cxliii male *Dominus noster natus est Christus*.

omnium arbiter et magister. Ipsi dictum est a Patre: « Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram¹. » Ipse ergo disposuit, ipse (1) perfecit, nec potest aliquando dilucidari dispositio cordis, nisi interpretatio fuerit operata sermonis, ut est illud: « Eructavit cor meum verbum bonum. » Propheta dicit Mariæ conjunctionis castam concordiam (2), cordis et verbi, insolubile quoddam vinculum charitatis. Nec enim cordis intentio potest, nisi spirituali quodam magisterio composito verbo produci, nec habere potest sermo, quod proferat, nisi prius artifex omnium sapientia, in penetrabilibus (3) aliquid construxerit cordis. « Eructavit, inquit, cor meum verbum bonum. » Et ubi fuerat verbum istud? In corde. Unde eructatum (4)? Ex corde. Et quid est verbum? facies (5) cordis. In eo aut sceditas vituperatur, aut pulchritudo laudatur. Ex eo (6) « Benedicimus Dominum, » et maledicimus hominem, qui factus est ad imaginem et similitudinem Dei². Bonus enim homo, ait Evangelista, de bono thesauro profert bona, et malus homo de malo thesauro profert mala³. »

IV. Hæc est sceditas, hæc pulchritudo. Illic ergo te compone, ubi sol testis est, et amator Deus. Nolo tibi placeat, quod te fecerit natura formosum. Licet tibi sit in colore rubor candore permixtus, et decorem vultus tui bene possideat ambitus oculorum, diversorum quoque membrorum gloriam decus formæ concludat, Dominum tuum si non in simplicitate (7) quæsieris cordis, damnatus

¹ Gen. i, 26. — ² Jacob. iii, 9. — ³ Matth. xii, 35.

(1) Cod. cxliii et ipse. — (2) Codd. casta concordia. Hæc opinando corrigere tentavimus, quæ valde sunt obscura. — (3) Cod. vi impenetrabilibus; cod. cxliii in penetrabilibus. — (4) Sic cod. cvi; cod. cxliii unde ructatum est? — (5) Sic cod. cvi; cod. cxliii fauces. — (6) Sic cod. cvi; cod. cxliii male addit enim ut. — (7) Sic cod. cvi; cod. cxliii in simplicitate si non.

remanebis crimine sceditatis (1). Homo videt in facie, Deus in corde. Illic (2) parere stude, ubi meruit Christus habitare. Propter quod dicit apostolus Paulus: « Nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis? Si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos¹. Eructavit, inquit, cor meum verbum bonum. » Et quid est hoc verbum? Sponsus ille castus, de casto thalamo proditurus (3), de castitate natus, castitatem virginis servaturus. E thalamo processit, ad Angelum venit (4), Angelo quoque eructante verbum (5), castimoniam ad virginem detulit. Castus ergo pater, castus sponsus, casta mater, castus filius; castas nuptias interpretes (6) fecit Spiritus sanctus. Sic esse Maria credendo, quod fuerat, meruit. Hoc illi et in ipsa conceptione Dominus servavit (7); hoc etiam pariendo non perdidit, quod Domino jam nato permauit, qui eidem matri et munus sceditatis attulit conceptus, et decus virginitatis non abstulit (8) natus de Spiritu sancto et (9) Maria Virgine, et regnat cum Patre in sæcula sæculorum. Amen.

¹ 1 Cor. iii, 16, 17.

(1) Sic cod. cxliii; cod. cvi sceditatis. — (2) Cod. cxliii addit enim. — (3) Codd. placiturus. — (4) Sic cod. cvi; cod. cxliii angelum invenit. — (5) Codd. eructanti verbo castimoniam. — (6) Sic cod. cvi; cod. cxliii male interpretes. — (7) Cod. cxliii reservavit; cod. cvi servavit. — (8) Hæc verba et decus virginitatis non abstulit desunt in cod. cxliii. — (9) Cod. cxliii et de.

SERMO XXVII.

In Natali Domini XIX.

Hunc sermonem habemus in Cod. Cass. cvi, fol. 154, sicut et precedentem. Non videtur integer, sed fragmentum esse constat ex ipso principio; fragmentum autem exemplis et sententiis bene concinnatum. Locus ejus sit post precedentem cum numero in Natali Domini xxx.

SYNOPSIS.

I. Nativitas Christi ex Virgine astruitur exemplo Samsonis. II. Et Saræ sterilis. III. Isaïæ testimonio confirmatur. IV. Evæ et Mariæ comparatio.

I. FRATRES charissimi, unum rei documentum proferam de exemplis. Samson ille viribus armisque potentior, natus et ipse ex sterili Nazaræus, cum instinctu Dei adversariorum fudisset exercitum, et deficientibus armis, adhuc restaret patranda victoria, asini maxillam jacentem in campo invenit. Hanc arripuit, et ex illa innumeros hostes occidit. Sic enim post cædem et ipse glorians indicavit dicens: « In maxilla asini delens, delevi mille viros¹. » Hic ergo post nimium pugnæ laborem internum sitis patiebatur ardorem, neque erat (1) in promptu

¹ Judic. xv, 16.

(1) Cod. esse.

unde haurire posset aut bibere. Et ait: « Tu, Domine, » tu dedisti in manu servi tui salutem hanc magnam, » et ecce siti morior¹. » Et aperuit Deus rimam maxillæ, et exivit ab illa aqua, et accepit et satiatus est. O maxilla, nunc homicidiis cruenta, nunc virtute fœcunda! Illic hostium fudit sanguinem, hic salutiferum profudit fontem. Maxilla vero asini mortui potuit contra naturam fontem emittere, et Maxillæ usque in hodiernum diem vocabulo nuncupari; Maria beata pariens Dei Filium, virgo non potuit permanere, et contra juralactare? Maxilla ergo ex virtute divina elicit, quod natura non habuit, et Maria per eandem virtutem lac, quod (1) corpus habere potuit, proferre non debuit? Maxilla autem manavit fontem, Maria peperit Salvatorem. Divina virtus quæ aquam eduxit ex osse mortuo, carnem proferre non potuit ex homine vivo? Taceat igitur infidelitas, et in suis mussitationibus conquiescat. Eadem virtus quæ fœcundavit maxillam mortui pecudis, lacteum fontem uberibus infudit intactæ matris et virginis ex Unigeniti potestate nascentis.

II. Dicitō mihi, dicitō, qui parienti et lactanti virgini ex lege naturæ præscribis (2), Sara beata, nonagenaria unde peperit, unde lactavit! Jam enim officium suum dupliciter vulva perdiderat; et senex, et sterilis muliebria non habebat. Dicit enim Scriptura: « Defecerant (3) Saræ fieri muliebria². » Et tamen, quando Deus voluit, concepit, et peperit, et puerpera sterilis filium in senectute lactavit. Sara hoc a Deo meruit; Maria paritura adipisci non debuit? Quod exhibuit virtus in anicula et fessa, exhibere non debuit in Virgine?

¹ Judic. xv, 16. — ² Gen. xviii, 11.

(1) Cod. ut. — (2) Id. perscribis. — (3) Id. defecerunt.

Aut qui foecundavit matrem decrepitam, foecundare non potuit veram virginem, matrem novam?

III. Sed nos ad prophetiae testimonium redeamus (1). Dicit enim Isaias: «Ecce Dominus sedet super nubem levem, et venit in Egyptum, et commovebuntur ante faciem ejus manufacta Egyptiorum, et cadent in terram¹. Sedet, inquit, super nubem levem;» dicit Christi carnem quae portabat Dominum, et Deum in se celabat inclusum, sed in virtutibus manifestum. Nam et sol iste quem videmus, aliquoties celatur nubibus, et cum luceat sibi, non lucet tibi. Sol autem aeternus celabatur nube carnis, sed tamen et sibi lucebat et nobis. «Super nubem, inquit, levem;» et merito, quia pondus peccati non habuit, quod aggravat omnem carnem. Quia sicut nubes gravatur aquis, ita et caro gravatur peccatis. Quae enim peccatrix est ad terrena et inferna deprimit, quae vero sancta est, ad sidera et caelestia sublevatur. Merito enim nubem levem dicit Christi carnem, quae nescivit habere successionis peccatricis originem, sed ipsam massam eluit (2) peccatricem. Licet possimus dicere item ipsam beatam virginem sanctam et matrem Dei Mariam, dici nubem levem; quae mente et corpore tota fuit praedita sanctitate, siquidem Dominus de sanctis suis hoc dixerit, vel Propheta: «Qui sunt isti qui ut nubes volant².» Ipsa enim virgo Mater Domini Maria nubes levis fuit, quae infantem Dominum collo humerisque portavit, et fugiens in Egyptum cum filio fugitivo pervenit, ut impleretur quod scriptum est: «Ex Egypto vocavi Filium meum³.»

IV. Videte interea, fratres, nativitatem Domini in

¹ Isaï. xix, 1. — ² Id. lx, 8. — ³ Osee. xi, 1.

(1) Hinc iterum patet oratori prius de prophetia Isaïae fuisse locutum.
— (2) Cod. eruit.

rerum mutatione, et in sacramento intelligentiae novitatem. Virgo concepit, virgo peperit, virgo lactavit, et virgo permansit. Nata caro est sine semine carnis. Nihil admittit corruptionis, ubi intererat origo virtutis. Primus homo, suasu virginis, cecidit; secundus homo, consensu virginis, triumphavit. Per foeminam diabolus introduxit mortem; per foeminam Dominus introduxit vitam. Angelus quondam malus seduxit Evam; Angelus aequae bonus hortatus est Mariam. Eva credidit (1), ut perderet virum suum; Maria, ut uterum suum dignum Dei Filio pararet habitaculum; ut quem habebat Dominum, haberet (2) et filium. Verbo Eva periit; Verbo aequae se Maria commisit, et quod perierat, reparavit. Eva quod male credidit, Maria bene credendo delevit. A muliere initium peccati, et propter hanc morimur omnes; a muliere initium fidei, et propter hanc in vita perpetua reparamur.

SERMO XXVIII.

In Natali Domini XX.

Sermo hic, sicut duo praecedentes, legitur in Cod. Cass. cxi, fol. 152, et pariter memoratur a Bandinio in Bibl. Med. Laur. catalogo, tom. I, fol. 71, § xxxv, ubi fatetur hunc abesse ex editis. Legitur autem in Plut. xiv, cod. 1, fol. 55. Frustra illum quaesivimus, ideoque stampis submisimus. Locus ejus post praecedentem cum numero in Natali Domini xxxi.

(1) Deest credidit in cod.; sed evidenter deest hoc verbum, aut aliud simile. — (2) Cod. habuisset.

SYNOPSIS.

I. Evæ et Mariæ comparatio. II. Salutatio Angeli, et Mariæ obedientia. III. Christi magna erga nos dignatio.

I. INTENTIONEM videntes vestræ devotionis, cupimus vobis aperire mysterium sanctitatis, ut Christi nativitatem facientes omnibus notam, satietur intentio vestra gemmis fidei cumulata. Rex hodie natus est Angelorum in medio peccatorum, ut donaret gratis indulgentiam delictorum. « Lætentur cœli, et exultet terra¹, » quia descendit verus architectus instaurare mundi ruinam, ut quod (1) fuerat per Evam male vexatum, per Mariam fieret reparatum. Mulier olim perdidit mundum, et Maria portat (2) in utero cœlum. Illa gustavit de ligno, tradidit viro, et intulit mortem, et hæc generare meruit Salvatorem.

II. Advenit, sicut audistis, Gabriel angelus ad puellam Virginem, et ait ad eam: « Ave, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu inter mulieres², » quia uterus tuus effectus est domus Filii Dei. Expavescit ad angelicum introitum; audit mysterium, et tractat negotium: « Quo modo, inquit, fiet istud, quia virum non cognosco³? » De consuetudine dico humani generis, et non de virtute dubito majestatis. Illud corde volvo, quia virgo decrevi permanere; et quomodo sine marito potero filium generare? Non ita, Maria; non sic paries quomodo cæteræ sceminae. Tu ita filium generabis, ut nunquam amittas castitatem, quæ ipsam portare mereberis Deitatem. « Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi⁴; » quia venter tuus palatium factus est

¹ Psal. xcvi, 11. — ² Luc. 1, 28. — ³ Ibid. 34. — ⁴ Ibid. 35.

(1) Codd. in quo. — (2) Cod. 1 portabat.

Spiritus sancti. Et illa, ubi cœleste audivit pactum, nuntio præbet auditum, et meruit illico intra cameram ventris (1) habere hospitem Deum. « Ecce, inquit, ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum¹. » Repletur ambitus uteri; concluditur intra humani corporis metas tota majestas. Efficitur filius, protector, habitator et custos. Advenit et jam (2) tempus pariendi; generat filium Maria, et castitatis clausa permanet porta². Procedit proles magnifici germinis, et pudor perseverat integer castitatis. Nullus fuit gemitus parienti, quia partum susceperat cœli. Hodie lætantes exercitus Angelorum canunt (3): « Gloria in excelsis Deo, et in terra pax » hominibus bonæ voluntatis³, » quia fœcundatus est uterus virginalis.

III. Cognoscite, fratres, quanta circa nos claruit clementia divinitatis (4) Dei, ut dignaretur inter homines nasci, quos terræ limo plasmavit. Nativitate sua refecit, morte sua redemit, et occisus ab inferis liberavit. Magna pietas, ut justus impiorum peccata susciperet, et immaculatus crimina nostra portaret; quia redemit nos ab inimicis nostris, dum de cœlo descendit, et mortuus inclytus rex ex inferno revixit; et sic universa captiva resolvit Dominus noster Jesus Christus Filius Dei, cui est gloria et potestas in sæcula sæculorum. Amen.

¹ Luc. 1, 38. — ² Ezech. xliiv, 2. — ³ Luc. 11, 14.

(1) Cod. 1 cordis. — (2) Codd. etiam. — (3) Iid. canebant. — (4) Sic cod. 1; cod. evi claruit divinitas.

SERMO XXIX.

In Natali Domini XXI.

Legitur hic sermo cum sancti Augustini nomine in Bibl. Laur., Plut. xiv, cod. 11, fol. 296. Nil ob stare videtur, quin beato Doctore ascribatur, nisi quod tres aut quatuor lineæ occurrunt, quæ pariter inveniuntur in alio sermone, cui titulus In nocte Natalis Domini, et quem, licet pulcherrimum, in appendicem relegavimus, quia in quibusdam codicibus præfixum habet nomen sancti Fulgentii. Sed hæc ratio non ita gravis videtur, ut propter eam repudiatur hic sermo doctis piisque sententiis refertus, eum sapius sanctus Fulgentius sanctum fuerit Augustinum imitatus. Ponatur igitur inter Augustinianos cum numero in Natali Domini xxxii.

SYNOPSIS.

I. Christi nativitas mirabiliter Dei commendat charitatem. II. Hæc autem nativitas non est prima et æterna, sed secunda et temporalis. III. Hanc nativitatem præcessit matris existentia, cujus matris virginitas et sæcunditas mirabiliter sociantur. IV. Nativitas Christi mirabile exhibet mysterium. V. Christus verus homo venit, ut homines faceret salvos, et Dei filios. VI. Incarnationis mysterium verbis in invicem contrariis explicatum videtur; nulla vero adest contradictio in Ecclesiæ doctrina. VII. Credendum ergo firmiter, quæ sancta tenet Ecclesia de hoc mysterio, speciatimque de utraque Christi nativitate, cujus differentia et similitudines hic exponuntur. VIII. Cum grato corde considerandum mira beneficia nobis collata in incarnationis

redemptionisque mysteriis. IX. Unus est ergo Christus Deus et homo, qui natus pro nobis, et pro nobis mortuus est.

I. TEMPORALIS secundum carnem Filii Dei, Domini nostri, nativitas antesæcula prædestinata, in hoc sæculo præsentata, a Prophetis prænuntiata, ab Apostolis prædicata, in Veteri Testamento figuris congruentibus obvoluta, in Novo Testamento rebus manifestissimis revelata, Patribus promissa, nobis exhibita, fratres charissimi, commendat (1) in nobis Dei gratuitam charitatem. Gratuitam quippe nobis impendit (2) Deus dilectionem, quibus gratis Unigeniti sui misit redemptionem. «Redemptionem enim misit Dominus populo suo¹;» quod de Christo intelligendum esse beatus Paulus ostendens, ait: «Qui factus est sapientia nobis a Deo et justitia, et sanctificatio, et redemptio².»

II. Ista vero nativitas Filii Dei, quam hodie celebramus, non est de utero Dei Patris, sed de utero Virginis matris. Huic nativitati suæ præposuit initium mundi, præposuit, et quod est mirabilius, plenitudinem temporis³. Istam nativitatem suam ille filius servavit, quem æternus Pater sine tempore generavit; sic nascendo dignatus Filius a Patre mitti, qui nunquam potest a Patre dimitti. Non est ergo ista ejus prima nativitas, sed secunda.

III. Istam nativitatem Filii Dei humanitas materna præcessit, cujus primam nativitatem paterna Divinitas nullatenus antecessit. Qui ergo non est posterior Patri, idem factus est posteriori matri. Inde est quod hodie celebremus sanctæ Virginis partum, illius utique virginis quam sic veraciter prædicamus et matrem, cujus virginitatem

¹ Psal. cx, 9. — ² 1. Cor. i, 30. — ³ Galat. iv, 4.

(1) Cod. addit male *Deus*. — (2) Id. *impendat*.

glorificavit materna foecunditas, et cujus maternam (1) foecunditatem glorificavit intemerata virginitas. Huic enim virgini gratia foecunditatis accessit, sed ab ea gratia virginitatis non recessit. Hujus enim virginis talis (2) est foetus, ut ei nullatenus ista possit inesse foecunditas, nisi permaneret ejus intemerata virginitas. Sola haec virgo singularem gratiam summæ divinitatis accepit; soli donatum est, ut in illa, et de illa rerum omnium Creator misericorditer crearetur, Institutor foeminarum sine semine conciperetur, et Deus sine initio natus, initialiter nasceretur.

IV. Istam Filii Dei nativitatem, quæ in tempore facta est, Doctor gentium insinuans ait: « Cum autem venit » plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, factum » ex muliere, factum sub Lege, ut eos qui sub Lege » erant, redimeret, ut adoptionem filiorum recipere- » mus¹. » Quibus verbis beatissimus Paulus fecit corda nostra ad intelligentiam nostræ salvationis intenta. Divinorum namque fidelis conscius arcanorum, prædicavit nobis multum mirabile, multum amabile sacramentum. Quare mirabile? quia sic factum est. Quare amabile? quia pro nobis factum. Quare mirabile? quia ille qui natus est verus Deus ex Deo, idem (3) est natus ex homine verus homo. Quid enim tam mirabile, quam ut verus Deus, qui naturaliter Dominus (4) natus est de Patre, idem servus nasceretur ex Virgine, et Creator omnium temporum crearetur in tempore. Quare autem nobis hoc amabile (5) sacramentum? quia Unigenitus, qui est

¹ Galat. iv, 4, 5.

(1) Cod. male *vera*. — (2) Deest *talis* in cod. — (3) Cod. *id.* — (4) Id. bis habet *Dominus*. — (5) Id. male *admirabile*.

in sinu Patris⁴, ideo nasci dignatus est ex homine verus homo, ut nos nasci faceret (1) ex Deo.

V. Ut autem idipsum quod dicimus cunctis audientibus plenius atque planius innotescat, ea quæ de Unigeniti Dei humana nativitate simul audivimus, denuo resolvamus. « Cum autem venit, inquit, plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub Lege². » Ecce qualiter Deus verus, natus est verus homo. Quid autem vobis jam (2) Dei humana nativitas contulerit, ostendens Apostolus ait: « Ut » eos qui sub Lege erant redimeret, ut adoptionem filiorum recipere- » rum recipere- » mus³. » Ecce quemadmodum natus Deus homo, fecit ut nos homines nasceremur ex Deo. Etenim per gratiam ex Deo nati sumus, quando adoptionem filiorum, Deum credendo, cepimus. Ex Deo enim natos beatus Joannes ostendens ait: « Quotquot autem ceperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui » credunt in nomine ejus, qui non ex sanguinibus, neque » ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo » nati sunt⁴. » Hanc adoptionem divinæ gratiæ recepimus in homine secundo, quam perdideramus in primo. Item gratiam non habuimus, quando in iniquitatibus concepti, et in delictis nati sumus; quia prius cognoscimur eam (3) perdidisse, quam nasceremur in carne. « In quo omnes peccaverunt⁵, » in ipso adoptionis gratiam perdidit. « Commendat autem suam charitatem Deus in nobis⁶, » quia factum est ut Unigenitus, per quem facta sunt omnia⁷, fieret inter omnia, in plenitudine temporis factus, per quem factum est tempus.

¹ Joan. i, 18. — ² Galat. iv, 4. — ³ Ibid. 5. — ⁴ Joan. i, 12, 13. — ⁵ Rom. v, 12. — ⁶ Ibid. 8. — ⁷ Joan. i, 3.

(1) Cod. *fecisset*. — (2) Id. *tam*. — (3) Deest *eam* in cod.

VI. Discernendum est autem, dilectissimi fratres, quomodo potuerit fieri per quem facta sunt omnia; vel qualiter in plenitudine temporum factus asseritur, per quem facta sunt tempora. Utrumque enim sancti Prophetæ Apostolique dixerunt; utrumque nobis veracius ipsius veritatis Discipuli tradiderunt. Christus enim qui hujus nativitatis suæ testes misit Apostolos natus, ipse Prophetas mittere dignatus est nasciturus. Et Prophetæ igitur et Apostoli a veritate missi venerunt, et ab eadem, quod nobis dicerent, audierunt. In quorum verbis nihil est falsum, nihil est dubium, sed totum manifestissime verum, totum verissime manifestum. Ecce, fratres charissimi, prophetica apostolicaque doctrina. Dum Dei Filium, et factorem dicit et factum, dum creatorem asserit et creatum, dum temporalem prædicat et æternum, nullatenus a se ipsa discrepat, nec se ipsam vitio falsitatis oppugnat, sed salubrem fidei veritatem in utriusque nativitatis vera professione conservat. Manet enim prorsus in Domino unigenito utraque nativitas vera, in quo vera manet humana divinaque substantia. Hinc est quod indubitanter catholica Ecclesia unum eundemque Dei Filium creatorem redemptoremque suum cognoscit: creatorem scilicet, quia secundum divinitatem fecit illam; redemptorem vero quia secundum carnem factus est propter illam. Novit certissime sponsum suum castissima sponsa, quæ illi est utriusque naturæ plenitudine ac veritate conjuncta. Novit ipsum caput suum, non solum ex patre ac in Patre manere sempiternum atque incommutabilem Dominum, verum etiam de Matre ipsum Deum hominem temporalem extitisse perfectum. Novit in eo quam divinitatis cum Patre naturam; novit unam cum Matre carnis animæque substantiam. Novit unum eundemque Christum, qui et esse cœpit, et esse non cœpit. Unige-

nitum quippe Dei Filium, quem novit Ecclesia catholica, ex æterno Deo æternum Deum, ipsum novit ex homine temporali temporalem factum. Propter hoc sancta Ecclesia unum eundemque Dei Filium, et Patri æqualem prædicat, et minorem, quia novit unum mediatorem Dei et hominum¹ hominem Christum Jesum, naturæ salvatricis et salvatæ participem. Naturam quippe nostram, quam ex nobis Deus totam gratuita bonitate salvavit, totam Deus unigenitus, ut salvaret, accepit; atque ita factum est, ut et Deus Pater homini salutem per unigenitum Deum, divinitatis suæ participem, daret, et homo salutem a Deo, per eundem unigenitum Deum participem humanitatis, acciperet, atque ita in uno eodemque Dei Filio, vera salus fidelium permaneret. Hæc est vera catholicæ fidei regula, hæc est divina sanaque doctrina, utramque naturam veram credere in Filio Dei, et ex hoc utramque nativitatem unius ejusdemque Filii veraciter confiteri.

VII. Sit igitur, fratres, in nostris cordibus certum, fixum, sit fidei veritate fundatum, sit charitatis plenitudine radicatam, unigenitum Deum per quem facta sunt omnia, secundum veritatem natum semel sine tempore, semel in tempore, semel sine initio, semel a certo (1) initio; semel de Deo Patre, semel de Virgine Matre, de Deo Patre sine aliqua matre, de Virgine vero Matre, non omnino sine aliquo Patre, sed sine homine patre; Deum quippe habet Patrem unigenitus Deus, non solum in illa nativitate, qua sine initio Deus natus est de Deo Patre, sed etiam in ista qua temporaliter est Deus homo creatus ex virgine. In prima itaque nativitate Deus Pater

¹ 1 Tim II, 5.

(1) Sic cod.; forte legendum *accepto*.

verbum eructavit ex corde¹; in secunda vero nativitate, ipsum Verbum carnem (1) factum peperit Virgo Mater ex corpore. In illa Deus excelsus a Patre est natus ex utero; in ista idem sponsus humilis virgineo processit ex thalamo. Illa ergo nativitas nos fecit, quos ista reficeret; illa creavit, quos ista redimeret; illa homines condidit, quos ista Deo in filios adoptaret (2). Per illam sumus factura Creatoris, per istam sumus hæreditas Redemptoris. Per illam Dei Filius creavit homines, per istam dignatus est facere cohæredes. Per illam omnis homo creatur in mundo, per istam est justus omnis regnaturus in cœlo. Illa temporalem donavit creatis hominibus vitam; ista redemptis beatitudinem contulit sempiternam.

VIII. Attende igitur, homo, quid tibi præstiterit (3) unigenitus Deus, cum esses indignus. Tu erraveras, ille quæsivit; tu perieras, ille te invenit; tu te (4) vendideras, ille te redemit; tu te occideras, ille te suscitavit. Hæc autem omnia gratis faciens venit; quando in te nec meritum boni operis, nec aliquid initium bonæ voluntatis invenit. Cum ergo divina beneficia cogitamus, solam Dei gratiam (5), cessantibus bonis meritis, invenimus. Quid enim boni fecimus (6), dilectissimi fratres, ut tantum nobis beneficium præstaretur, ut Deus verus pro nobis verus homo fieri dignaretur, ut Unigenitus Patri naturaliter coæternus de virgine temporaliter nasceretur, ut Altissimus humiliaretur, ut indeficiens Angelorum panis foemineis uberibus lactaretur, ut Immensus in præsepi

¹ Psal. XLIV, 2.

(1) *Carnem* antiquitus legebatur in codice, quod correctum est male manu recentiori, ut legeretur *caro*. — (2) Cod. *adoptaverit*. — (3) Id. *præstitit*. — (4) *Deest te* in cod. — (5) Cod. *sola Dei gratia*. — (6) Similia leguntur in sermone *in nocte Natalis Domini* qui legitur in appendice nostro, et modo sancto Augustino, modo sancto Fulgentio tribuitur.

brevissimo poneretur, ut Rex omnium sæculorum contumeliis afficeretur, ut Justificans injusto iudicio (1) damnaretur, ut ille in quo non est iniquitas inter iniquos deputaretur, ut Auctor vitæ ad mortem cum latronibus duceretur, nec solum cum impiis, sed etiam pro impiis moreretur? Testatur enim Apostolus quia «Christus pro impiis mortuus est¹.» Quomodo autem pro justis poterat nasci, qui pro impiis dignatus est mori?

IX. Unus est ergo idemque Christus verus in utraque natura, verus in divinitate, verus in humanitate; verus de Patre, verus de Matre; verus in æternitate, verus in tempore; verus in (2) immortalitate, verus in morte; verus in morte, verus in resurrectione. Hoc est magnum pietatis sacramentum, quod Deus unigenitus secundum carnem traditus est propter delicta nostra, secundum carnem resurrexit propter justificationem nostram. Quia vero Dei Filius opus redemptionis nostræ, quod sua nativitate cœpit, sua redemptione perfecit a Deo (3), nos in die quo nativitatem Domini celebramus, diem quoque resurrectionis ejus vobis omnibus nuntiamus, prope-rante (4) Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre sanctoque Spiritu vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

¹ Rom. v, 6.

(1) Cod. *in justo*. — (2) *Deest in* in cod. — (3) Cod. *adeo*. — (4) Sic cod., forte *operante* aut *præcipiente*.

SERMO XXX.

In Natali Domini XXII.

Hunc sermonem suppeditavit Cod. 1 Bibl. Laurent., Plut. xiv, fol. 29, cum nomine sancti Augustini, cui vere tribuendus videtur. Ejus locus post sermonem præcedentem cum numero in Natali Domini XXXIII.

SYNOPSIS.

I. Christi nascentis stupenda mysteria. II. Signa multa Christi nativitatem præcesserunt, quasi futurorum miraculorum præludia. III. Magi quare hunc regem Judæorum, nec alios, quasierunt et adoraverunt.

I. CHRISTUS nascitur, exultat mens hominum. Creator hominum procedit ex utero puellari, et viscera complexu carnis immunia, Filium hominis protulerunt, cujus patrem hominem non pertulerunt. Implentur in foemina partus sui tempora, nihil de lege nascentium mutat processura majestas. Sic nasei debuit qui pro humani generis liberatione non recusabit (1) occidi. Christus nascitur, Deus de Patre, homo de Matre. De Patre principium vitæ, de Matre finis mortis; Patris revelator, Matris creator; ante omnia tempora Verbum, opportuno tempore caro; sub sole conditus, conditor solis; sempiternus cum Patre, hodiernus ex Matre; sine quo nunquam

(1) Cod. recusabat.

Pater fuit, sine quo Mater nunquam mater fuisset. Quæ peperit, et mater, et virgo est; quem peperit, et infans, et Verbum est. Homo factus est, hominis fabricator, genitus ex matre quam genuit, et ubera quæ implevit, expressit. Homo factus est, qui Deus erat, nec amittendo quod erat, fieri voluit ipse quod fecit. Etenim hominem Deo addidit, non in homine Deum perdidit. Nec enim quando membra humana suscepit, opera divina deseruit, sed ita virginali utero receptus est, nec inclusus, ut nec Angelis subtraheretur sapientiæ cibus, et nos gustaremus quam suavis est Dominus. Merito locuti sunt coeli, gratulati Angeli, lætati pastores, Magi in meliora mutati, turbati reges, parvuli coronati. Lacta, mater, cibum nostrum. Lacta panem de cœli arce venientem, et pone in præsepi, velut piorum cibaria jumentorum. Lacta eum qui talem te fecit, ut ipse fieret in te, qui sibi, priusquam nasceretur, et iterum, de quo nasceretur, et diem, in quo nasceretur, elegit; et ipse condidit quod elegit, ut velut « Sponsus de thalamo suo inde procederet¹, » et sponsam suam amplecteretur Ecclesiam.

II. Videtis quæ nascentem Dominum signa præcesserint. Prophetæ multo ante testantur Conditorem coeli et terræ in terris adorandum; Angelus nuntiat Creatorem carnis in carne venturum; salutat Joannes ex utero in utero Salvatorem; Simeon senex Deum agnoscit infantem, Anna vidua Virginem Matrem. Hæc sunt testimonia nativitatis tuæ, Domine Deus noster, antequam tibi fluctus substernerentur, antequam ventus te imperante siluisset; mortuus te invocante vixisset, sol te moriente subito paluisset, terra te resurgente tremuisset, cœlum te ascendente patuisset. Ecce Magi ab ipso solis ortu, stella duce, ad fidei primitias excitati, per immensa terrarum spatia

¹ Psal. xviii, 6.

cucurrerunt, quærentes Regem, cui capita curva submitterent.

III. Sed, o Magi, cur istum potissimum, si vere regem Judæorum putastis, adorare voluistis? Nonne per multa sæcula plurimi reges nati sunt Judæorum; David eximius imperator, Salomon rex potentissimus? Ad nullius exordium, ad nullius imperium cucurristis. Sed nullus antea dignitatis suæ cœlum habuit delatorem. Nunc vero regum omnium Regem, nunc Opificem suum stella demonstrat. Sic Deus agnoscitur, qui cœlo indice, ut nemo de ipsius deitate dubitet, nuntiatur.

SERMO XXXI.

In Natali Domini XXIII.

Sermo iste, et qui proxime sequitur, eruuntur ex duobus codd., nempe ex Cod. 1, Plut. xxx sinist. Bibl. Laurent., fol. 56 b, et ex cod. cxliii, Bibl. Ædit., fol. 102. In hoc ultimo codice de duobus fit unus; in priori autem distinguuntur, et quidem jure, cum nulla inter duos videatur esse connexio. In utroque codice sancto Augustino tribuuntur. Ponatur hic post sermonem præcedentem cum numero in Natali Domini xxxiv.

SYNOPSIS.

I. Nativitatis Christi magnum gaudium. II. Gaudeat populus faciendo quod jubetur.

I. OMNES Scripturæ, quas nunc audivimus, charis-

simi, lætitiâ nobis publicam, et commune gaudium nuntiarunt. Psalmista enim dicit: « Exultate Deo adjutori nostro¹. » Apostolus vero: « Gaudete in Domino » semper²; » Evangelista autem ait: « Evangelizo vobis » gaudium magnum³. » O beatam diem hanc, in qua juxta auctoritatem Scripturarum gaudentes et exultantes natalem Domini nostri Jesu Christi, et cum Psalmista agimus, et cum Evangelista colimus, et cum Apostolis Prophetisque celebramus (1).

II. Magna utique hodie Christiani populi exultatio, quæ Scripturarum sacrarum exemplo agitur, et ideo beatum est hodie gaudium nostrum, quia hoc fecit gaudens populus, quod jubetur. Quam sancta esset (2) plebs Ecclesiæ istius, si semper hoc faceret, quod imperatur a Christo. Unde obsecro vos, fratres charissimi, ut semper jussionem Domini faciatis, ut possitis in omnibus in æternitate gaudere. Sicut enim hodie in hac festivitate natalis Dominici læti sumus, sic qui voluntatem Domini Christi fecerit in hoc sæculo, venturam æternamque festivitatem cum Angelis celebrabit in cœlo.

SERMO XXXII.

In Natali Domini XXIV.

Vide notam sermoni præcedenti præfixam. Locus ejus sermonis post præcedentem cum numero in Natali Domini xxxv.

¹ Psal. lxxx, 2. — ² Philip. iv, 4. — ³ Luc. ii, 10.

(1) Sic cod. cit; cod. 1 celebremus. — (2) Codd. male erat.

cucurrerunt, quærentes Regem, cui capita curva submitterent.

III. Sed, o Magi, cur istum potissimum, si vere regem Judæorum putastis, adorare voluistis? Nonne per multa sæcula plurimi reges nati sunt Judæorum; David eximius imperator, Salomon rex potentissimus? Ad nullius exordium, ad nullius imperium cucurristis. Sed nullus antea dignitatis suæ cœlum habuit delatorem. Nunc vero regum omnium Regem, nunc Opificem suum stella demonstrat. Sic Deus agnoscitur, qui cœlo indice, ut nemo de ipsius deitate dubitet, nuntiatur.

SERMO XXXI.

In Natali Domini XXIII.

Sermo iste, et qui proxime sequitur, eruuntur ex duobus codd., nempe ex Cod. 1, Plut. xxx sinist. Bibl. Laurent., fol. 56 b, et ex cod. cxliii, Bibl. Ædit., fol. 102. In hoc ultimo codice de duobus fit unus; in priori autem distinguuntur, et quidem jure, cum nulla inter duos videatur esse connexio. In utroque codice sancto Augustino tribuuntur. Ponatur hic post sermonem præcedentem cum numero in Natali Domini xxxiv.

SYNOPSIS.

I. Nativitatis Christi magnum gaudium. II. Gaudeat populus faciendo quod jubetur.

I. OMNES Scripturæ, quas nunc audivimus, charis-

simi, lætitiâ nobis publicam, et commune gaudium nuntiarunt. Psalmista enim dicit: « Exultate Deo adjutori nostro¹. » Apostolus vero: « Gaudete in Domino » semper²; » Evangelista autem ait: « Evangelizo vobis » gaudium magnum³. » O beatam diem hanc, in qua juxta auctoritatem Scripturarum gaudentes et exultantes natalem Domini nostri Jesu Christi, et cum Psalmista agimus, et cum Evangelista colimus, et cum Apostolis Prophetisque celebramus (1).

II. Magna utique hodie Christiani populi exultatio, quæ Scripturarum sacrarum exemplo agitur, et ideo beatum est hodie gaudium nostrum, quia hoc fecit gaudens populus, quod jubetur. Quam sancta esset (2) plebs Ecclesiæ istius, si semper hoc faceret, quod imperatur a Christo. Unde obsecro vos, fratres charissimi, ut semper jussionem Domini faciatis, ut possitis in omnibus in æternitate gaudere. Sicut enim hodie in hac festivitate natalis Dominici læti sumus, sic qui voluntatem Domini Christi fecerit in hoc sæculo, venturam æternamque festivitatem cum Angelis celebrabit in cœlo.

SERMO XXXII.

In Natali Domini XXIV.

Vide notam sermoni præcedenti præfixam. Locus ejus sermonis post præcedentem cum numero in Natali Domini xxxv.

¹ Psal. lxxx, 2. — ² Philip. iv, 4. — ³ Luc. ii, 10.

(1) Sic cod. cit; cod. 1 celebremus. — (2) Codd. male erat.

SYNOPSIS.

I. Christus venit in carne, ut diabolum vinceret. II. Quanta in Christo nascente mirabilia. III. Maria mater et virgo.

I. FRATRES dilectissimi, hodie dies illuxit, in quo Christus ex virgine carnem suscepit. Humilitatis voluit induere formam, ut a peccatis liberaret animas nostras. Transgressio illius primi hominis totum deceperat mundum, ut nullum esset salutis remedium, nisi Christus adveniret de coelo. Gaudebat et teterrimus draco, quia venenum praeparaverat homini novo. Sed ad hoc descendit Christus in utero virginis, ut exinde humana susciperet membra, quae traderet cruci, et mortem induceret antiquo draconi. Usus enim fuerat diabolus consilio malo (1), ut per serpentem mulieri loqueretur, et diabolus non agnosceretur. Sed hinc ad nihilum redigit illum, qui de coelo descendit, ut Deus Dei Filius humanum susciperet corpus, tendens ei laqueum mortis per visionem videlicet carnis; quasi ad hominem solum tentator accederet, et Dominum penitus ignoraret. Videbat carnem, sed ignorabat Domini majestatem. Cernebat infirmitatem, et non videbat deitatem. Remansit confusus diabolus, dum in homine apparuit Deus (2).

II. Sic a Deo Patre descendit, unde nunquam discessit. In terra (3) erat, et coelos non deserebat. Sicut ipse Dominus ait: « Nemo ascendit in coelum, nisi qui de coelo descendit, Filius hominis qui est in coelo¹. » In terris ut homo loquebatur hominibus, et in coelo fate-

¹ Joan. III, 13.

(1) Codd. male *consilium malum*. — (2) Cod. cit *Deus Dominus*. —

(3) Ibid. *in terris*.

batur se esse ut Deus. Et deitas non minoratur, cum infirmitas assumitur; et illud quod non erat, accepit, et Deus mansit, quod ab initio fuit. Quod enim homo fuit, nobis profuit, sibi nihil minuit. Exinanivit plenitudinem deitatis, formam suscepit humilitatis, et Patris manens aequalis.

III. Talis igitur virgo de toto surrexit (1) mundo, quae tantum haberet meritum, ut Dei Filium in semetipsa susciperet, et post partum omni modo virgo permaneret: « Ave, inquit Angelus, Maria, gratia plena; Dominus tecum; benedicta tu inter mulieres¹; » quia « Ecce concipies et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum². Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum³. » Virginitatis jura servabis, filium habebis, et nomen virginis non amittes (2). Tanta est enim illa divina potentia, ut et matrem reddat foecundam, et virginem servet illaeram. Ideo « Benedicta tu inter mulieres, » quia ex Spiritu sancto concipies, ubi non est carnalis maritus, sed divina dignoscitur virtus. Lactabis infantem, proprium creatorem. Succum porrigis lactis, et cibus satiaris caelestibus. Pannis involvis puerum, qui tibi immortale (3) condonavit indumentum. In praesepio ponis infantilia ejus (4) membra, qui caelestem tibi prae paravit mensam. Omnia quae causa (5) nutricis debentur, circa puerum celebras, ut quod ipse promisit sanctis suis, et tu ipsa libentius consequaris. Quid multa? Exulta virgo de tanto promisso. Nuntius discessit ange-

¹ Luc. I, 28. — ² Ibid. 31. — ³ Matth. I, 21.

(1) Cod. per amanuensis certum errorem *scilicet*. — (2) Codd. male *amittis*. — (3) Cod. cit *mortale*. — (4) Deest vox *ejus* in codd., sed necessaria est juxta grammaticae regulas, nisi legeris *infantis*. — (5) Sic cod. cit; cod. 1 *causam*. Forte *cura*. Deinde *debetur pro debentur*.

licus, et ventris hospitium ingreditur Deus, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XXXIII.

In Natali Domini XXV.

Hic sermo, erutus ex Bibl. Laur., Plut. XII, cod. XIV, fol. 275 b, et cujus etiam memoria fit in Bibl. Venetian., cod. LXIX, totum sapit Augustinum, cujus inter fetus ponatur post præcedentem cum numero in Natali Domini XXXVI.

SYNOPSIS.

I. Ad vitam æternam necessarius est spiritalis cibus mentis, propter quam vita, et Lex, et Prophetæ dati sunt, ac demum Christus venit in carnem. II. Quam necesse erat, ut veniret Christus ad liberandos homines. III. Christus autem veniens salutem nobis attulit. IV. Non sine mysterio mirabili docemur Christum venisse in mundum. V. Infidelium contra Dei incarnationem objecta diluuntur.

I. CONSULTE et salubriter divina nobis eloquia recitantur, ut animæ nostræ pascantur, fratres charissimi. « Non enim in pane tantum vivit Christianus homo, » sed in omni verbo Dei¹. » Sicut autem opus habemus quotidie terreno cibo propter hanc vitam temporalem, ita habemus opus spiritali cibo propter æternam vitam.

¹ Matth. iv, 4.

Etenim si hæc temporalis vita, multis periculis multisque ærumnis plena, a multis amatur, quanto magis vita æterna amanda est, quæ nobis cum Angelis præparatur, Domino dicente: « In resurrectione neque nubent, neque » uxores ducent, sed erunt æquales Angelis Dei¹. » Propter hanc igitur æternam vitam lex divina prolata est, Patriarchæ electi sunt, Sacerdotes et Levitæ unctionem chrismatis acceperunt, Prophetæ venerunt, Angeli missi sunt, et ad postremum ipse Dominus Dei Filius descendit de coelis ad terram, et nos ad imaginem suam reparavit. Ex hoc ergo conjicere debemus quanta et qualis sit nobis necessitas, ut veniret in carne nostra superna majestas.

II. Quæ autem gravior necessitas, quam mors nostra æterna? quæ gravior pœna, quam peccatorum servitus dura? quæ major crudelitas, quam æterna nostra captivitas? Eramus quippe ligati in morte, eramus in servitute, eramus in captivitate. Unde probamus mortem nostram æternam? Audi Apostolum dicentem: « Regnavit mors ab Adam usque ad Moysen, et in iis qui non » peccaverunt². » Unde probamus servitute? Christus Dominus dicit: « Omnis qui facit peccatum, servus est » peccati³. » Unde probamus captivitatem nostram? Vox Martyrum clamat, et in Psalmo: « Convertite, Domine, » captivitatem nostram, sicut torrens in Austro⁴. » Et si ista temporalis captivitas hostium barbarorum tam crudelis atque amara est, quæ aut (1) per fugam vitatur (2), aut pecunia redimitur, aut postremo finitur morte, qualis erit illa æterna captivitas, quæ nec morte finitur, sed in æternum apud inferos cruciat.

¹ Luc. xx, 35. — ² Rom. v, 14. — ³ Joan. viii, 34. — ⁴ Psal. cxxv, 4.

(1) Cod. male ut. — (2) Id. labitur.

III. Hæc igitur, fratres, multiformis necessitas facit, ut Dominus Jesus hoc tempore veniret ad terras. Veniendo enim in carne nostra, abstulit mortem, reddidit vitam; abstulit servitatem, reddidit libertatem; abstulit captivitatem dæmoniorum, et reddidit nobis adoptionem filiorum, dicente Propheta: « Ascendit in altum, captivavit captivitatem, dedit dona hominibus¹. » Recte itaque Dominus Christus venit ad nos, ut salvaret nos, sicut legimus: « Non princeps, neque legatus, non Angelus, sed ipse Dominus adveniens salvabit (1) nos. »

IV. Mira res, fratres! Venit Christus in hunc mundum, qui semper erat in mundo, et est in mundo, et rursus venturus est in hunc mundum. Unde probatur venisse in mundum? Apostolus dicit: « Humanus (2) sermo, et omni acceptione dignus; quoniam Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum². » In hoc autem mundo eum fuisse Evangelista testatur: « In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit³. » In mundo quoque modo esse nobiscum ipse Dominus Apostolis dicit: « Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti; ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi⁴. » Venturum autem Angelus rursus Apostolis dicit: « Sicut videtis Christum in cælos (3) euntem, sic videbitis venientem⁵. » Quod olim prædixerat Propheta: « Deus manifeste veniet, Deus noster, et non silebit⁶. » Quia ergo Dominus Christus « In

¹ Psal. LXXVII, 19, et Ephes. IV, 8. — ² 1 Tim. I, 15. — ³ Joan. I, 10. — ⁴ Math. XXVIII, 19, 20. — ⁵ Act. I, 11. — ⁶ Psal. XLIX, 3.

(1) Cod. *salvavit*. Non inveni in sacris Scripturis hunc textum, qui probabiliter ex aliquo apocrypho usurpatur. — (2) Forte *fidelis*. — (3) Cod. *in excelsis*.

» mundo erat, et mundus eum non cognovit¹, » hoc est genus hominum, et mirabile mysterium! invisibilem non credebat. Magnum mysterium, et mirabile sacramentum! eo quod Creator mundi voluit esse creatura mundi, et tulit peccata mundi, sicut Evangelista dicit: « Ecce » Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi². »

V. Cum igitur, fratres, primum Domini Christi adventum jam factum esse credamus, et credendo laudemus, occurrit de diverso quæstio infidelium Judæorum, Paganorum atque Manichæorum ita dicentium: Quid est quod asserunt Christiani dicentes Deum majestatis venisse in hunc mundum ad salvandum genus humanum? Quare hoc dicunt? An forte non habuit in cælis quem mitteret? non habuit Angelum, non habuit aliam potestatem, sicut fecit, quando Moysen et Aaron elegit ad populum Israël de captivitate liberandum? Certe si ipse venire disposuit, quare per sceminam venit? Quare per obscœna membra transivit? His respondemus et dicimus: Potuit aliter liberare nos, quia omnipotens Deus est. Sed non sufficiebat in Deo, ut esset sola potestas, sed pariter æquitas potestatis. Potestas est in virtute, æquitas in ratione. Ratio itaque exigebat, ut per eum salvaretur homo, per quem factus est omnis homo; sicut legitur in divinis Scripturis, Patrem Deum dixisse ad Filium suum: « Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram³. » Quod autem dicunt per obscœna membra transitum fecisse (1), facile superantur. Nulla est obscœnitas, ubi intacta virginitas est, nec potest dici aliqua macula, ubi est incontaminata natura. Nam si sol iste per cœnosa et squallida loca transitum facit, et pollui non potest, licet corporeus ex luce et calore compositus,

¹ Joan. I, 10. — ² Ibid. 29. — ³ Gen. I, 26.

(1) Cod. *fecit*.

quanto magis incorporalis Christi divinitas, nascendo per virginem non potuit inquinari. Virgo concepit, virgo peperit, virgo permansit. Quod enim Eva perdidit, Virgo Maria reddidit. Eva virgo nobis fecerat mortem, Maria virgo nobis genuit Salvatorem. Et idcirco justa et æqua ratio persuasit, ut eisdem vestigiis, quibus primus homo perierat, secundus salvaretur.

SERMO XXXIV.

In Natali Domini XXVI.

Sermonem hunc ex quatuor codd. extraximus, nempe 1° Bibl. Laur., Plut. xvii, cod. xli, fol. 45 b; 2° Bibl. Edil., cod. cxxxviii, fol. 49; 3° ead. Bibl., cod. cxliii, fol. 99; 4° Cod. Cass. cxvii, fol. 50. Nomen ubique præfert sancti Augustini, nec ulla ratione videtur illi abjudicandus. Locus ejus post præcedentem cum numero in Natali Domini xxxvii.

SYNOPSIS.

I. Nativitas Christi nihil carnale habet, cum sit Verbum Dei. II. Maria ab Angelo salutata. III. Christi miraculosa conceptio et nativitas, quæ pastoribus annuntiat. IV. Primi et secundi hominis collatio, necnon et primæ secundæque Evæ.

I. ÆTERNI Numinis (1) virgineum partum, et repleta viscera, ipso jubente qui natus est, audax lingua loqui desiderat, sed animum concutit, et sine metu non potest

(1) Cod. male *nominis*.

dici. Nunquam enim possunt sine terrore mentis referri, quæ magna sunt, nec inaniter vereor, quia præsens est ille de quo loquor. Nemo itaque credat (1), dilectissimi, nobis Dominum et Salvatorem nostrum primordia vitæ carnali nativitate sumpsisse, cum præsens sit semper in Patre, sicuti Evangelista testatur: « In principio erat » Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt¹. » Attende diligenter, et vide qui erat, et ubi erat, et qualis erat, et quando erat, et quid agebat. « In principio, inquit, erat (2) Verbum. » Habes qui erat, audi ubi erat. « Et Verbum erat apud Deum. » Audisti, ubi erat (3), audi et qualis: « Et Deus erat » Verbum. » (Et ubi erat: « Hoc erat in principio apud » Deum (4). ») Et quid agebat: « Omnia per ipsum » facta sunt. » Ubi venit? « In sua propria venit. » Quare venit? Joannes Baptista testatur: « Hic est Agnus Dei, » hic est (5) qui tollit peccata mundi². »

II. « In principio ergo erat Verbum, » et cætera. Si omnia per principium (sic). Itaque nativitas æternæ Divinitatis Angeli sermone nuntiatur. Invenitur Maria virgo ante partum, virgo post partum (6), et adveniendi materna viscera præparantur hospitio. Videte qualem partum Gabrielis angeli sermo nuntiaverit, quem sola jussio corporavit, sicut scriptum est: Introivit ad eam Angelus, salutavit eam dicens: « Dominus tecum, benedicta tu » in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui³. »

¹ Joan. 1, 1, et seqq. — ² Ibid. 29. — ³ Luc. 1, 28.

(1) Sic codd. xli et cxliii; cod. cxxxviii *credit*. — (2) Deest *erat* in codd. — (3) Hæc verba, quæ leguntur in cod. cxvii, desunt in cæteris. — (4) Quæ parenthesi concluduntur, male reduplicata videntur, amanuensium errore. — (5) Desunt voces *hic est* in cod. cxvii. — (6) Sic codd. cxliii et cxvii; cæteri non habent *virgo ante partum*.

O veneranda virginitas ! o prædicanda humilitas ! Marija ab Angelo Mater Domini appellatur, illa se ancillam (1) esse confitetur. O laudabilis præscientia (2) Dei, ut futurum partum Mariæ ante nesciret, ne conceptionem ipsam simplex virginitas recusaret (3). Ingreditur Gabriel, qui pro (4) divina clementia, et Angelum portabat et Deum. Intimatur virgini quod possit esse terroris (5); nuntiatur Deus, in homine transiturus. Stetit (6) Maria stupore mentis aliena, et angelica voce suadente, mens confusa conticuit. Virgineus pudor interiora pectoris ligat (7), et discurrente metu per viscerum partes, denuntiat tremens (8) omne quod timet. Et recte pavida (9) corporis pars illa turbatur, in qua Deo parabatur hospitium. Irreprehensibilis est sensus virginalis, quæ et partum timebat et Deum (10); et quia sciebat sanctus Angelus fœmineam mentem, vel ingressu suo, vel tali nuntio terreri, cum puellari animo a benedictione (11) incipit loqui, ut delectaret quod melior est patre (12). O gemina in benedictione complexio ! mater de Domino et benedicetur, et docetur (13).

III. Post nuntiatum per Angelum partum, cœpit Verbo formari conceptio. Colligitur in homine Deus, et eum sustinet venter, cui parvus fuerat mundus; et intra breve virginei corporis spatium pro nobis incarnatur (14)

(1) Cod. cxvii male *angelica* pro *ancillam*. — (2) Id. male *presentia*. — (3) Sic codd. cxxxviii et cxvii; cæteri *recusavit*. Omnes codd. *conceptione ipsa*. — (4) Deest *pro* in cod. cxxxviii. — (5) Cod. cxvii male *terrores*. — (6) Sic cod. cxvii; cæteri male *stet*. — (7) Cod. cxvii pessime *peccatoris legat*. — (8) Sic opinando correximus; codd. *se nuntiet tremet omne quod timet*. Cod. cxvii non habet *se nuntiet*. — (9) Cod. cxvii *pavidi*, et deinde *in quo*. — (10) Id. *Dominum*. — (11) Sic omnes codd., excepto cod. cxvii, qui habet *ad benedictionem*. — (12) Nempe Adamo, qui fuit maledictus. — (13) Sic cod. cxvii; cod. cxliii et *benedicetur et docetur*; cod. cxxxviii et *benediceretur et doceretur*. — (14) Codd. *incarnata*.

majestas, Fœcunda viscera Verbo auctore (1) tenduntur, completisque mensibus venter (2) cœlestem hominem fudit. Natum Dominum angelicus publicavit (3) sermo. Pastores autem erant in illa regione (4) vigilantes, et custodientes gregem suum. Nascitur Christus, pastores vigilare cœperunt. Nox sæculum, lux Christus, Pastores sunt sacerdotes. Dixit autem Angelus ad pastores (5): «Ne timueritis. Ecce annuntio vobis gaudium magnum, quod est omni plebi (6), quia natus est vobis hodie Salvator mundi, qui est Christus Dominus¹.» Recte, fratres, natus Dominus Pastoribus nuntiatur, ut per Pastores incredulis (7) intimetur. Beata fœcunditas Matris, per quam nobis nascitur geminata (8) Majestas. Beata virginitas matris, quæ (9) cœlestem Filium adorare prius didicit, quam nutrire. Ipsum ergo et nos Dominum et Salvatorem nostrum Jesum Christum adoremus.

IV. Audite, fratres charissimi, si fas est, Legis mysterium. Primus (10) homo de terra et cœlo (11), secundus de cœlo et terra (12). Hic ex Deo et Maria, qui de cœlo et terra; ille (13) de terra et spiritu, qui de terra et cœlo.

¹ Luc. II, 10, 11.

(1) Cod. cxxxviii *auctori*; hæc omnia a vocibus *post nuntiatum* usque ad *tendantur*, desunt in cod. cxvii. — (2) Sic codd. cxxxviii et cxvii; cæteri male *ventum*. — (3) Sic cod. cxvii; cæteri *publicat*. — (4) Sic codd. cxxxviii et cxvii; cæteri male *in illam regionem*. — (5) Hæc verba, quæ leguntur in cod. cxxxviii male desunt in cæteris. Vide sanctum Ambrosium lib. II in Luc. num. 50. — (6) Cod. cxvii *quod erit omni populo*. — (7) Sic omnes codd., excepto cod. cxvii qui non habet *incredulis*. — (8) Forte legendum *humanata* aut *corporata*. Hæc phrasid deest in cod. cxvii, ubi solum legitur *beata fœcunditas matris, quæ cœlestem*, etc. — (9) Sic codd. cxliii et cxvii; cæteri male *quam*. — (10) Cod. cxvii male *prius*; imo et omnia confundit dicens *prius homo de terra, hic ex Deo et Maria, qui de terra, ille de terra, et spiritu qui de cœlo*. — (11) Codd. male *cælum*. — (12) Cod. male *terram*. — (13) Sic cod. cxxxviii; cæteri male *illie*.

Uterque tamen ex virgine, et sine coitus permixtione; hic ex incorrupta (1), ille ex intacta. Nullo enim adhuc semine, nec vomere (2) fuerat sauciata (3), nec imbre. Per primum vita amissa, per secundum reddita. Primus acceptam perdidit gratiam, secundus cum vita tribuit gratiam. Primus suasu virginis cecidit, secundus partu virginis, quod jacebat, erexit. Primus peccando, mortis poenam protulit; secundus (4) patiendo, indulgentiam contulit. Primus pro culpa, de Paradiso ejectus, secundus pro gloria (5), crucis trunco (6) affixus. Ergo malum per foeminam (7), imo per foeminam bonum. Quia si per Evam cecidimus, per Mariam stamus (8). Per Evam prostrati, per Mariam erecti (9). Per Evam servituti addicti (10), per Mariam liberi effecti. Eva nobis sustulit diurnitatem (11), perpetuitatem nobis reddidit Maria. Eva nos damnari fecit per (12) arboris pomum (13), absolvit nos Maria per arboris donum, quia et Christus in ligno pependit, ut fructus. Igitur sicut per arborem mortui, ita vivificati per arborem. Arbor nobis nuditatem ostendit, vestiit arbor indulgentiae foliis (14). Arbor peccatorum incussit (15) ardorem, refrigerium (16) delictorum vestibus (17) praeparavit arbor scientiae. In-

(1) Cod. cxvii male *ex incorrupto*, et deinde omittit *ille ex intacta*. — (2) Id. pessime *nec in ovem*. — (3) Sic cod. cxliii; caeteri male *sanciata*. — (4) Cod. cxvii ex haec voce *secundus* subito transit ad eandem vocem inferiorius positam, caeteris praetermissis. — (5) Forte *pro gratia*. — (6) Cod. mundo. — (7) Sic cod. cxvii; codd. xli et cxliii male *pro foeminam*; et male etiam cod. cxxxviii *pro foemina*. — (8) Haec phrasid deest in cod. cxvii. — (9) Sic cod. cxliii; caeteri *erecti per Mariam*. — (10) Cod. cxxxviii male *dicti*; et antea omnes codd. *servitute*, excepto cod. cxvii qui habet *servituti*. — (11) Sic codd. cxliii et cxvii; caeteri male *diurnitatem*. — (12) Deest *per* in cod. cxvii. — (13) Id. male *bonum*, et item *pro donum* inferiorius. — (14) Id. pessime *filiis*. — (15) Sic codd. xli, cxvii et cxliii; cod. cxxxviii *induxit*. — (16) Sic cod. cxliii; caeteri *refrigerii*. — (17) Forte legendum *nobis pro vestibus*.

scientiae arbor (1) spinas, et tribulos genuit; spem et salutem arbor sapientiae peperit (2). Arbor sudorem attulit et laborem; quietem et pacem contulit arbor. Arbor lumen corporis patefecit, disclusit (3) cordis oculos arbor. Arbor mundi insinuavit astutiam; divina arbor demonstravit prudentiam (4). Malum arbor, bonum arbor ostendit; et ut ad originem delicti redeam, et Deo annuente, quod sentire conceditur, dicam, Adam nisi corporaliter cecidisset, Christus nos in ista vita spiritaliter suscitare non habuisset (5). O sacramentorum, ut dixi, immaue mysterium (6)! O conclusam perfidis (7), et manifestam fidelibus (8) disciplinam! Immortalis mortalem aedificat; parit immortalem mortalis (9). Incorporalis terra concluditur; corporalis inhabitat (10) coelos. Deus homo efficitur, redhibetur (11) Deus; et totum per Evam (12) committitur, et lavatur per Mariam. Ergo felix Eva, per quam data est occasio; imo felix Maria, per quam tributa est curatio! Felix Eva, per quam natus est populus; felicior Maria, per quam natus est Christus (13)! Igitur altera altera (14) melior, imo et gloriosa utraque (15), quia (16) non beatificasset

(1) Sic cod. cxvii; vox *inscientiae* deest in caeteris codd. — (2) Cod. cxvii *genuit*. — (3) Sic codd. cxvii et cxxxviii; caeteri *discludit*. — (4) Haec desunt in cod. cxvii, qui deinde habet *malus arbor... bonus arbor*. — (5) Sic cod. cxvii; cod. cxliii *desisset*; caeteri male *dedisset*. — (6) Cod. cxvii *Maria ministerium*. — (7) Id. male *per fideles*. — (8) Codd. *manifesta fidelium*. — (9) Cod. cxvii absque sensu *immortale mortalem*; caetera desunt. — (10) Codd. *corporali inhabitetur*. — (11) Sic omnes codd., excepto cod. cxvii, qui habet *redimitur*. — (12) Sic cod. cxvii; caeteri male *Adam*. — (13) Cod. cxvii male *felix Eva per quam natus est Christus!* caetera desunt. — (14) Codd. *alter alteri*; cod. cxvii *altare melior*. — (15) Codd. *gloriosa utraque*, excepto cod. cxvii qui bene habet *gloriosa utraque*. — (16) Sic cod. cxliii; caeteri male *qui*.

Mariam (1) Christus, nisi Eva prior, de qua nata est ipsa Maria, defecisset (2); nec venisset ad populum, nisi prius illa deliquisset in sæculo. Hæc mater humani generis dicitur, illa salutis. Eva nos educavit (3), Maria roboravit (4). Per Evam crescimus, per Mariam regnamus. Per Evam deducti (5) ad terram, ad cælum elevati per Mariam. Et ut totum breviter Legis patefaciam (6) sacramentum, et duas in unam (7) fuisse, sicut omnes deesse ostendam (8). In Eva jam tunc et Maria inerat, et per Mariam postea relevata (9) est Eva (10).

SERMO XXXV.

De Unitate Trinitatis, et de Incarnatione Domini.

Sermo hic ex Bibl. Laur., Plut. xiv, cod. 1, fol. 15 b, erutus, sæpius a Bandinio laudatur tanquam sancti Augustini factus, sive in tomo I, fol. 429, § xvii, et fol. 672, § viii; sive in tom. IV, fol. 220, § xxix; fol. 248, § iv; fol. 286, § ix, quanquam ibidem fol. 256, fol. 11 anonymo tribuatur; sive demum in suppl. 1, fol. 55, § lxxxii,

(1) Sic codd. xli et cxliii; cod. cxxxviii matrem. — (2) Codd. male defecisset; imo et cod. cxvii defecisse. — (3) Sic cod. cxvii; cæteri edocuit. — (4) Sic cod. cxliii; cæteri roboravit Maria; imo et cxvii roboravit et Maria. — (5) Sic omnes codd., excepto cxvii, qui habet defuncti, et deinde levati. — (6) Cod. cxvii pessime per te faciam. — (7) Sic cod. cxvii; cæteri in unum; forte in una. — (8) Omnes sic codd., quorum sensus non facile potest accipi; excepto cod. cxvii, qui non clarius habet sicuti omnes suæ esse ostendam. — (9) Codd. male revelata est; deest et in cod. cxvii. — (10) Cod. cxvii addit per Christum Dominum nostrum, cui est honor et gloria in sæcula sæculorum.

fol. 345, § xiv; fol. 376, § xv. *Dignus est ejus doctrina, cujus nomen præ se fert; unde ponatur post sermonem præcedentem.*

SYNOPSIS.

I. Precatur Christum ut doceat nos quid ipse sit. II. Christum esse Deum ex ipsiusmet verbis probatur. III. Et ex testimonio divi Pauli. IV. Item ex testimonio sancti Petri. V. Et ex verbis sancti Joannis. VI. Invocatur pariter testimonium Patris de Filio. VII. Trinitas unus est Deus. VIII. Hæreseos pertinacia obtunditur. Virga Pastoris. IX. Imitanda omnibus Sanctorum exempla.

I. VENI, Domine Jesu Christe, Salvator noster, qui æqualem potestatem cum Patre habes; veni et contere caput draconis magni, et dic nobis quid es, quoniam Arius iste aliud docet quam es. Dic, dic; audiamus unde hæreticos convincamus.

II. Audite, fratres charissimi, quid Dominus dicat: « Ego sum via, veritas, et vita; nemo venit ad Patrem » nisi per me¹. » Secundum divinitatem, veritas et vita; secundum humanitatem, via. Tu autem, hæretice Ariane, qui minorem vis esse divinitate vitam et veritatem, sequitur ut non pervenias ad Patrem. Sed adhuc, Domine Jesu, contere caput draconis, dic quid sis cum Patre; te audiamus docentem, non hæreticum blasphemantem. Dic quis sis cum Patre. « Ego et Pater, inquit, unum » sumus². » Dic adhuc: « Ego in Patre, et Pater in me » est³. » Adhuc dic: « Qui videt me, videt et Patrem » meum⁴. »

III. Credis jam, hæretice, tantæ auctoritati? An

¹ Joan. xiv, 6. — ² Id. x, 30. — ³ Id. xiv, 10, 11. — ⁴ Ibid. 9.

Mariam (1) Christus, nisi Eva prior, de qua nata est ipsa Maria, defecisset (2); nec venisset ad populum, nisi prius illa deliquisset in sæculo. Hæc mater humani generis dicitur, illa salutis. Eva nos educavit (3), Maria roboravit (4). Per Evam crescimus, per Mariam regnamus. Per Evam deducti (5) ad terram, ad cælum elevati per Mariam. Et ut totum breviter Legis patefaciam (6) sacramentum, et duas in unam (7) fuisse, sicut omnes deesse ostendam (8). In Eva jam tunc et Maria inerat, et per Mariam postea relevata (9) est Eva (10).

SERMO XXXV.

De Unitate Trinitatis, et de Incarnatione Domini.

Sermo hic ex Bibl. Laur., Plut. xiv, cod. 1, fol. 15 b, erutus, sæpius a Bandinio laudatur tanquam sancti Augustini factus, sive in tomo I, fol. 429, § xvii, et fol. 672, § viii; sive in tom. IV, fol. 220, § xxix; fol. 248, § iv; fol. 286, § ix, quanquam ibidem fol. 256, fol. 11 anonymo tribuatur; sive demum in suppl. 1, fol. 55, § lxxxii,

(1) Sic codd. xli et cxliii; cod. cxxxviii matrem. — (2) Codd. male defecisset; imo et cod. cxvii defecisse. — (3) Sic cod. cxvii; cæteri edocuit. — (4) Sic cod. cxliii; cæteri roboravit Maria; imo et cxvii roboravit et Maria. — (5) Sic omnes codd., excepto cxvii, qui habet defuncti, et deinde levati. — (6) Cod. cxvii pessime per te faciam. — (7) Sic cod. cxvii; cæteri in unum; forte in una. — (8) Omnes sic codd., quorum sensus non facile potest accipi; excepto cod. cxvii, qui non clarius habet sicuti omnes suæ esse ostendam. — (9) Codd. male revelata est; deest et in cod. cxvii. — (10) Cod. cxvii addit per Christum Dominum nostrum, cui est honor et gloria in sæcula sæculorum.

fol. 345, § xiv; fol. 376, § xv. *Dignus est ejus doctrina, cujus nomen præ se fert; unde ponatur post sermonem præcedentem.*

SYNOPSIS.

I. Precatur Christum ut doceat nos quid ipse sit. II. Christum esse Deum ex ipsiusmet verbis probatur. III. Et ex testimonio divi Pauli. IV. Item ex testimonio sancti Petri. V. Et ex verbis sancti Joannis. VI. Invocatur pariter testimonium Patris de Filio. VII. Trinitas unus est Deus. VIII. Hæreseos pertinacia obtunditur. Virga Pastoris. IX. Imitanda omnibus Sanctorum exempla.

I. VENI, Domine Jesu Christe, Salvator noster, qui æqualem potestatem cum Patre habes; veni et contere caput draconis magni, et dic nobis quid es, quoniam Arius iste aliud docet quam es. Dic, dic; audiamus unde hæreticos convincamus.

II. Audite, fratres charissimi, quid Dominus dicat: « Ego sum via, veritas, et vita; nemo venit ad Patrem » nisi per me¹. » Secundum divinitatem, veritas et vita; secundum humanitatem, via. Tu autem, hæretice Ariane, qui minorem vis esse divinitate vitam et veritatem, sequitur ut non pervenias ad Patrem. Sed adhuc, Domine Jesu, contere caput draconis, dic quid sis cum Patre; te audiamus docentem, non hæreticum blasphemantem. Dic quis sis cum Patre. « Ego et Pater, inquit, unum » sumus². » Dic adhuc: « Ego in Patre, et Pater in me » est³. » Adhuc dic: « Qui videt me, videt et Patrem » meum⁴. »

III. Credis jam, hæretice, tantæ auctoritati? An

¹ Joan. xiv, 6. — ² Id. x, 30. — ³ Id. xiv, 10, 11. — ⁴ Ibid. 9.

ipsius testimonium de ipso non admittis? Sed alios testes inquiris; ecce introducuntur adversum te, qui convincant te. Dic, testis, domine Paule, qui usque ad sanguinem pro isto testimonio accessisti, et ne falsæ doctrinæ succumberes, animam posuisti; dic, audiat, qui convinci formidat. « Singuli (1) quique, ait, hoc sentite in vobis » quod et in Christo Jesu, qui cum in forma Dei esset, » non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo¹. » Audis « Equalem Deo, » audis « Formam Dei, » et tu audes dicere minorem Filium Dei?

IV. Veniat et alius testis, et in duobus vel tribus testibus confirmetur æquitas veritatis. Dic, et tu, sancte Petre, quid « Tibi revelaverit non caro et sanguis, sed » Pater cœlestis². Tu es, inquit, Filius Dei vivi³. » Et in Epistola sua ad gentes secunda: « Notam facimus vobis, inquit, Domini nostri Jesu Christi virtutem, et » præscientiam (2) et magnitudinem⁴. » In quo, hæretice, Christum dicis esse minorem?

V. Sed ingrediatur et tertius testis, et tres unum verum testimonium dicant uni Trinitati et trinæ Unitati. Dic et tu, sancte Joannes, qui super pectus Salvatoris discumbebas, et videbas super cœlestia mirabilia Verbum Dei; dic et tu quid noveris Filium Dei: « In principio, inquit, erat Verbum, et Verbum erat apud Deum et » Deus erat Verbum⁵. » Et in Epistola sua: « Scimus, » inquit, quoniam Filius Dei venit, ut (3) det nobis intellectum, ut sciamus quid verum est, et simus in vero » Filio ejus. Hic est enim verus Deus et vita æterna⁶. » Tu autem minorem dicendo Filium, qui est « Verus Deus, » non habebis vitam æternam.

¹ Philip. II, 6. — ² Matth. XVI, 17. — ³ Ibid. 16. — ⁴ 2 Petr. I, 16. — ⁵ Joan. I, 1. — ⁶ 1 Joan. V, 20.

(1) Cod. *singulis*. — (2) Forte *præsentiam*. — (3) Cod. *et*.

VI. Sed ad confutandam contumaciam tuam, ipse Pater testimonium dicat Filio, ut nihil amplius quæras, nihil amplius credas. Dicit enim per Prophetam: « Tecum cum principium in die virtutis tuæ¹. » Principium Pater, principium Filius. Ergo Pater et Filius principium, sine ullo principio. « Tecum, inquit, principium in die » virtutis tuæ, in splendoribus Sanctorum ex utero (1) » generavi te²; » tanquam diceret: Ut Sancti illuminarentur, processisti ex me. Nec fuit, dilectissimi, alia causa, cur vel ipsa nomina Patris, et Filii, et Spiritus sancti sejuncta viderentur, nisi ut sancti homines instruerentur. Cæterum quid dictum est Moysi ab ipsa substantia Trinitatis? « Ego sum qui sum, et sic dices: » Qui est misit me³. » Ergo ex utero in splendoribus Sanctorum generatus est Filius. Sed ne hanc generationem carnaliter vel temporaliter acciperes factam, audi quomodo eum generavit: « Eructavit, inquit, cor meum » verbum bonum⁴. » Joannes testis quid dicit? « In principio erat Verbum. » Deus Pater dicit: « Eructavit cor meum verbum. » Propheta Habacuc dicit: « Ambulavit Verbum⁵. » Audis Verbum, et hoc esse « In principio apud Deum, et Deus erat Verbum. » Testimonium Trinitatis per totum mundum contra te clamat; et tu, Ariane, velut canis rabidus, contra totum mundum latras?

VII. Sed audi (2) adhuc unde plenius convincaris, quod Trinitas unus sit Deus. Patris vox est per Prophetam ad Filium: « In splendore Sanctorum ex utero genui te. » Patris vox est per Isaiam prophetam de Spi-

¹ Psal. CIX, 3. — ² Ibid. — ³ Exod. III, 14. — ⁴ Psal. XLIV, 2. — ⁵ Forte Habac. III, 3.

(1) Vulgata ante *Luciferum*. — (2) Cod. *audis*.

ritu sancto : « Spiritus, inquit, a me exiit¹; » et Filii vox est in Evangelio ostendens Patrem in se esse et se in ipso, ubi ait : « Pater in me manens facit opera ipse². » Filii vox est de Spiritu sancto, ostendens quia quomodo procedit ex Patre, ita ex se ipso, ubi ait ad Discipulos suos : « Accipite Spiritum sanctum; si cui remiseritis » peccata, remittuntur ei³. » Unde est et illud apostoli Pauli : « Si quis spiritum Christi non habet, hic non est » ejus⁴. » Si ergo Filius in Patre et ex Patre, et Spiritus sanctus simul est et in Filio et in Patre, non est divisa Trinitas, ubi perfecta est Unitas. Discedat ergo Arianus confusus reus, quia Trinitas unus est Deus.

VIII. Sed quando tibi, perversa hæresis, verba mea proficient (1), cum sis « Aspis surda, obturans aures, ne » audias vocem incantantium⁵ ? » Noveris te tamen a virga serpentis esse comedendum⁶, cum oves quas tenes captivas ad suum ovile ille Pastor abduxerit, ut sit « Unus » grex et unus pastor⁷. » Ille pastor noster, dilectissimi, qui in virga ferrea⁸ pascit et regit, ipse pastor est, ipse rector est, ipse fabricator est, ipse architectus noster. Magnum te pastorem video, Domine Jesu, oves pascentem, errantem requirentem, inventam cum gaudio ad gregem tuis humeris reportantem. Magnum te architectum video virgam portantem, et de ista virga multa miracula facientem. Multum expavesco, fratres, expositionem virgæ. Sed dum loca divinarum Scripturarum considero, virga sancta Maria, virga ipse Christus, virga crux, et in ista qui magna et mira fecit hic Architectus, et arborem facit crucis, et scalas cœli per quas lapsum hominem levavit ad Patrem. Per has scalas ascenderunt

¹ Isai. LVII, 16. — ² Joan. XIV, 10. — ³ Id. XX, 22. — ⁴ Rom. VIII, 9. — ⁵ Psal. LVII, 5. — ⁶ Exod. VII, 12. — ⁷ Joan. XI, 26. — ⁸ Psal. II, 9.

(1) Cod. *proficiunt*; forte legendum *quomodo pro quando*.

omnes Sancti, continentes, conjugati, atque fideles, non gradibus pedum, sed via morum.

IX. Boni ergo mores acquirantur; ipsi in omnibus inveniantur. Uterque sexus et omnis ætas habet in hoc sanctorum hominum coetu (1) imitationis exemplum. Imitentur senes mores Tobiaë, qui cum cæcus esset corpore, viam vitæ filio demonstrabat in corde. Ille eum manu ducebat in terra, et pater monendo eum perducebat ad cœlum. Imitentur adolescentes Joseph sanctum, pulchrum corpore, pulchriorem mente, quem castitas sic possederat, ut irruentes minæ dominæ, mulieris impudicæ, non possent ejus violare corpus, cujus jam Deus possederat mentem. Imitentur virgines sanctæ beatam Domini sui matrem Mariam. Imitentur viduæ religiosam viduam Annam; imitentur et conjugatæ castam Susannam; quia virgo Christi mater Maria quod novit implevit; Anna vidua in orationibus et jejuniis usque in finem perseverantiam tenuit; Susanna casta pro pudicitia conjugali usque ad periculum mortis accessit. Intendite, conjugatæ, qualis hujus vobis a (2) Scriptura sancta imitatio proponatur. Non enim prædicat quod fuerit auro, monilibus, vel veste pretiosa forinsecus compta, cum fuerit intus pudore castitatis ornata. Omnibus vitam donavit, quibus bonos mores instituit. Propterea namque ipse vir de foemina est nasci dignatus, quia ab ipso uterque sexus est liberatus (3). Multa diximus, fratres, intentissime audistis, epulas dominicas libentissime comedistis. Rependite vicem ministratori vestro, ut si non verbo, vestris tamen orationibus pascar.

(1) Deest *cœtu* in cod. — (2) Cod. *ab*. — (3) Id. *liberatur*.

SERMO XXXVI.

De Epiphania Domini II.

Hunc sermonem suppeditavit Cod. Cass. XII, fol. 65, qui nihil ferme continet, nisi fetus Augustinianos. Dura quedam in principio occurrunt, sed in reliquis Augustiniana manus datur agnoscere. Locus ejus post sermonem nostri primi Supplementi XIX cum numero de Epiphania Domini VIII.

SYNOPSIS.

I. Illuxit gentibus Christus, Gedeonicis signis figuratus. II. Mariæ gloria, quæ generavit Agnum immaculatum. III. Jacob ungens lapidem Christi figuram præbet. IV. Ita et in ramis quas ante ovium aspectus posuit, Trinitatis præstitit figuram. V. Unitas baptismi et effectus. VI. Tempora nostra quanto meliora temporibus Jacobi. VII. Conclusio per hortationem.

I. EPIPHANIORUM dies iste, charissimi, proprie nobis est, id est, gentibus, cælo enarrante, sacratus, sicut octavus decimus loquitur Psalmus: « Cæli enarrant gloriam Dei, et opera manuum ejus annuntiat firmamentum¹. » Ideo est etiam gentibus sermo prophetantis impletus: « Populus gentium, qui sedebat in tenebris, » vidit lumen magnum; qui sedebant in regione umbre » mortis, lux orta est eis². » Namque gentium populus, id est, noster populus, pro tenebris peccatorum suorum

¹ Psal. XVIII, 2. — ² Isaï. IX, 2.

cæcus remanserat in animo suo, nisi lumen gratiæ hodie ingratis irrorasset de cælo. Deus enim ubique semperque mirabilis. Nostris itaque pulveribus siccis, id est, sine justitia animis, Verbum divinitatis, tanquam imbrem coelestem, Gedeonicis signis, castissimæ Virginis lanam compluit ovis. Etenim, sicut nostis miraculum Gedeonis, tunc area sicca erat, in qua positum vellus laneum in area sicca complutum madebat. Nunc vero mirabilius pectus Virginis tanquam vellus laneum lactem fundebat, et caro Virginis tanquam area sicca fontem masculi nesciebat.

II. Merito ergo inter omnes puellas Maria sancta una est et sola, ideoque Agnum immaculatum tanquam ros de vellere, de ove virgine generatum Angelus præconavit (*sic*), pastor osculavit, stella monstravit, et ovem virginem foetam Herodes gemmatus expavit, et Magus aureus adoravit; et quoniam Mariam castam ad ovem comparavimus sanctam, ejusque Filium agnum diximus immaculatum, juxta Joannis Evangelium, in quo ait: « Ecce » Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi¹. »

III. Ad te nunc, Jacob sancte, sermo dirigendus est meus. Viginti enim annorum es ovium pastor egregius, et per te nobis significatus est pastor Deus, Agnus virgineus adorandus. Dico (1) ergo mihi, Jacob sancte, etenim plurimum obsecro te, dico mihi, et humillime et altissime, quid est quod in somno vidisti scalam illam (2), quæ perveniebat in cælum, agnumque virgineum super eam procumbentem cognovisti, et a somno resurgens lapidem, quem sub caput habueras, erexisti, atque unxisti²? Et in quo video, quia mysterium crucifixi fe-

¹ Joan. I, 29-36. — ² Gen. XXVIII, 12-18.

(1) Cod. male *dicite ergo*. — (2) Vide August. Serm. CXXII, num. 2.

cisti. De Christo enim, et pro te et pro nobis crucifixo cantatur in Psalmis quod principaliter in chrisma dicitur baptizatis: « Unxit te, Deus, Deus tuus, oleo exultationis » præ participibus tuis¹; » non, cum participibus, sed, præ participibus tuis. Quod exponens Petrus apostolus (1), ait: « Hunc Jesum a Nazareth, quem unxit Deus Spiritu » sancto². »

IV. Scio, semel et iterum sancte, ter quaterque beate, scio, quoniam labor tuus charitas, fuga tua pietas, via tua veritas, sopor tuus divinitas, merces tua æternitas. Quid est ergo illud, quod in aquariis illis, mysticis præsepibus tuis agebas³, et mirabilis mirabiliter faciebas? Quid est quod virgas illas virides tres alveis ovium superponebas, viridemque colorem ex certis locis radebas, et picturam candidissimam faciebas, easdemque virgas tres tempore (2) conceptionis pecorum, alveis aquariis infundebas; gregi tuo, et fœtum desideranti et poculum tuum virgas in aquariis prophetico sensu (3) ostendebas, et in aspectu virgarum gregem tuum candidissimum multipliciter acquirebas? Audite jam, fratres, magna respondentem, non carnali prudentia (4), sed sancti Spiritus omnipotentia. Quando, inquit Jacob, ego tres virgas una manu tenebam, Trinitatem catholicam ostendebam. Sicut enim virgæ tres de ligno erant, et singulæ qualitates proprias obtinebant, ita etiam in Trinitate, Deo vero in singulis persona est propria; nam in tribus non potest diversa inveniri natura. Prima ergo virga storacina erat, secunda nucina, platani tertia. Primam storacinam Deo Patri comparemus, nucinam ejus Filio, platani vero Spi-

¹ Psal. XLIV, 8. — ² Act. I, 38. — ³ Gen. XXX, 37-43.

(1) Non hæc a solo Petro dicta sunt, sed ab omnibus discipulis simul precantibus. — (2) Cod. male *temporum*. — (3) Id. absque sensu: *Gregem tuum et fœtum desiderantem et poculum tuum videlicet in capavili* (sic) *propheticoque sensu*, etc. — (4) Id. *præventia*,

ritui sancto. Quare autem storacinam virgam Deo Patri comparemus, nisi quia virgulta storacina storacis principalem gignit odorem? Sic et Pater Deus odoriferum genuit Salvatorem. Dicentem audi Apostolum: « Christi » bonus odor sumus Deo in omni loco in his qui per- » eunt, et in iis qui salvi fiunt¹. » Quare? nisi quia et ii qui pereunt et qui salvantur, uno chrismatis odore signantur? Nucinam vero virgam Deo Filio comparemus. Quemadmodum enim virga Aaron nucina, dudum arida reviviscens (1), floruit in templo, ita etiam Christi caro reviviscens, floruit de sepulcro. Virga arida caro mortua; virga reviviscens, caro reviviscens; virga flo- rescens in arca Testamenti, caro reviviscens de lapide monumenti. Nam quia floruit in resurrectione monu- menti caro Domini Jesu Christi, habes ex persona ejus cantatum in voce Psalmi: « Refloruit caro mea, et ex » voluntate mea confitebor illi². » Platani autem virgulta umbrosum lignum est et opacum, tanquam in monte sancto generatum; unde Deum Spiritum sanctum venien- tem intelligo, dum cum Propheta canto (2): « Deus ab » Africo veniet, et Sanctus de monte umbroso et opaco³. » Virga ergo platani, lignum scilicet umbrosum atque condensum, ab æstu refugienti præstat refugium quies- centi (3). Et ideo virgam platani refrigerio comparemus Spiritus sancti, quoniam ab Angelo dictum est Virgini concipienti: « Spiritus sanctus superveniet in te, et vir- » tus Altissimi obumbrabit tibi⁴. » Jam vero, quod tres virgæ certis in locis superficie radebantur, eorumque can- dor interior ostendebatur, illud est quod figurabatur, quia æqualitas divinæ Trinitatis, nisi quis a carnalibus

¹ 2 Cor. II, 15. — ² Psal. XXVII, 7. — ³ Habac. III, 3. — ⁴ Luc. I, 35.

(1) Cod. male *reflorescent*. — (2) Vide August. Serm. XLIV, num. 38, 39. — (3) Hic *quiescenti* videtur abundare, aut *refugienti*.

sensibus exuatur, a nullis prudentibus contemplatur. Deus enim verus unus, et Trinitas solus (1), et æqualitas a spiritualibus intelligi potest, a carnalibus autem intelligi non potest. Carnalis enim homo, quem animale dicit Apostolus alio modo, « Non intelligit quæ sunt » Spiritus Dei; stultitia enim est illi¹. » Quod etiam varietas trium apparuit cum decore virgarum, illud est quod diversitate mysteriorum, et diversitate tractatum (2), æqualitas divinæ Trinitatis desiderantibus animis, cum summa demonstratur varietate pulchritudinis. De qua gaudet Ecclesia (3) catholica, sicut sancta resonant cantica: « In fimbriis aureis circumamicta varietate². »

V. Quod etiam in aquariis alveis sancti gregis tres virgæ ponebantur, sed una aqua a gregibus potabatur, illud est quod Ecclesia veritatis et in Trinitate baptizatur, et unum ei baptismum prædicatur, sicut ex ore Pauli baptizatis annuntiat: « Unus, inquit, Deus, una fides, » unum baptisma³. » Quod etiam de alveis aquariis ab ipsis ovibus vitalis sumebatur potus, illud est, quod omnis fidelis, ipso fonte, quo baptizatur, tanquam qui nuper nascitur, vitali lacte nutritur; quemadmodum nuper de baptismo renatis a Petro dicitur: « Tanquam » modo nati infantes, rationabile et innocens lac concu- » piscite, ut in eo crescatis in salutem⁴. » Quod etiam de virgis tribus ultra humanos sensus hauriebatur ab ovibus mirabiliter visus, illud est quod quisquis fuerit fonte Catholicorum potatus, ad videndam unius Dei Trinitatis æqualitatem, quam non videbit impius, sed cor mundum, efficitur idoneus: « Beati enim mundo corde, quoniam » ipsi Deum videbunt⁵. »

¹ 1 Cor. II, 14. — ² Psal. XLIV, 15. — ³ Ephes. IV, 5. — ⁴ 1 Petr. II, 2. — ⁵ Matth. V, 8.

(1) Sic cod. per manifestum errorem, qui difficile sanari potest. Forte legendum *trinitas simul et æqualitas*. — (2) Cod. *tractatum* qui et *de diversitate*. — (3) Deest *Ecclesia* in cod.; qui deinde *resonat*.

VI. Attamen, Jacob magne, in tribus magnis viris ore Dei laudatus es (1): « Ego sum, inquit Deus Abraham, » et Deus Isaac, et Deus Jacob¹. » Unum est ultimum quod postulo a te: Confer mecum, quæso, cum patientia tempora tua, et tempora nostra, quia ampliore gratia ditata sunt tempora nostra, quam tempora tua. Ecce nunc melior est ovis nostra, Virgo Maria, quam ovis tua. Meliora ergo sunt tempora nostra, quia sine masculo imprægnata est Virgo nostra; et quoniam sine masculo est Virgo sancta mirabiliter imprægnata, ideo hodie muneribus Magorum est in Christo adorata.

VII. Unde, fratres charissimi, gaudeamus die hodierna de fide catholica, quæ in trinitate virgarum est demonstrata. Gaudeamus et ad stellam splendidam, cujus fulgore universa terra est illustrata. Gaudeamus et ad Magorum munera, quæ Trinitatis demonstrabant figuram, ut viventes in Trinitate munerum Magorum, aureum fidei possideamus pectus, thus vero contriti cordis nostri offeramus sacrificium, et (2) myrrha nobis proficiat ad charitatem proximorum, et ad indulgentiam peccatorum per Jesum Christum Dominum nostrum.

¹ Exod. III, 6, etc.

(1) Cod. *laudate*. — (2) *Id. ut.*

sensibus exuatur, a nullis prudentibus contemplatur. Deus enim verus unus, et Trinitas solus (1), et æqualitas a spiritualibus intelligi potest, a carnalibus autem intelligi non potest. Carnalis enim homo, quem animale dicit Apostolus alio modo, « Non intelligit quæ sunt » Spiritus Dei; stultitia enim est illi¹. » Quod etiam varietas trium apparuit cum decore virgarum, illud est quod diversitate mysteriorum, et diversitate tractatum (2), æqualitas divinæ Trinitatis desiderantibus animis, cum summa demonstratur varietate pulchritudinis. De qua gaudet Ecclesia (3) catholica, sicut sancta resonant cantica: « In fimbriis aureis circumamicta varietate². »

V. Quod etiam in aquariis alveis sancti gregis tres virgæ ponebantur, sed una aqua a gregibus potabatur, illud est quod Ecclesia veritatis et in Trinitate baptizatur, et unum ei baptismum prædicatur, sicut ex ore Pauli baptizatis annuntiat: « Unus, inquit, Deus, una fides, » unum baptisma³. » Quod etiam de alveis aquariis ab ipsis ovibus vitalis sumebatur potus, illud est, quod omnis fidelis, ipso fonte, quo baptizatur, tanquam qui nuper nascitur, vitali lacte nutritur; quemadmodum nuper de baptismo renatis a Petro dicitur: « Tanquam » modo nati infantes, rationabile et innocens lac concu- » piscite, ut in eo crescatis in salutem⁴. » Quod etiam de virgis tribus ultra humanos sensus hauriebatur ab ovibus mirabiliter visus, illud est quod quisquis fuerit fonte Catholicorum potatus, ad videndam unius Dei Trinitatis æqualitatem, quam non videbit impius, sed cor mundum, efficitur idoneus: « Beati enim mundo corde, quoniam » ipsi Deum videbunt⁵. »

¹ 1 Cor. ii, 14. — ² Psal. XLIV, 15. — ³ Ephes. iv, 5. — ⁴ 1 Petr. ii, 2. — ⁵ Matth. v, 8.

(1) Sic cod. per manifestum errorem, qui difficile sanari potest. Forte legendum *trinitas simul et æqualitas*. — (2) Cod. *tractatum* qui et *de diversitate*. — (3) Deest *Ecclesia* in cod.; qui deinde *resonat*.

VI. Attamen, Jacob magne, in tribus magnis viris ore Dei laudatus es (1): « Ego sum, inquit Deus Abraham, » et Deus Isaac, et Deus Jacob¹. » Unum est ultimum quod postulo a te: Confer mecum, quæso, cum patientia tempora tua, et tempora nostra, quia ampliore gratia ditata sunt tempora nostra, quam tempora tua. Ecce nunc melior est ovis nostra, Virgo Maria, quam ovis tua. Meliora ergo sunt tempora nostra, quia sine masculo imprægnata est Virgo nostra; et quoniam sine masculo est Virgo sancta mirabiliter imprægnata, ideo hodie muneribus Magorum est in Christo adorata.

VII. Unde, fratres charissimi, gaudeamus die hodierna de fide catholica, quæ in trinitate virgarum est demonstrata. Gaudeamus et ad stellam splendidam, cujus fulgore universa terra est illustrata. Gaudeamus et ad Magorum munera, quæ Trinitatis demonstrabant figuram, ut viventes in Trinitate munerum Magorum, aureum fidei possideamus pectus, thus vero contriti cordis nostri offeramus sacrificium, et (2) myrrha nobis proficiat ad charitatem proximorum, et ad indulgentiam peccatorum per Jesum Christum Dominum nostrum.

¹ Exod. iii, 6, etc.

(1) Cod. *laudate*. — (2) *Id. ut.*

SERMO XXXVII.

De Epiphania Domini II.

*Hic sermo, qui eruitur ex Cod. Cass. XII, fol. 96, de
eius auctoritate saepius dictum est; multas praefert sen-
tentias sancto Augustino dignissimas, nihilque habet
quod dubitandi locum praebet. Ponatur post praecedentem
cum numero de Epiphania Domini IX.*

SYNOPSIS.

I. Stellae nomine Maria designatur. II. Necnon et per virgam
de radice Jesse egressam, et per virgam Aaronis florentem.
III. Ad eandem accommodantur Salomonis verba de amygdalo,
cappari et locusta. IV. Stella ducti, Christum Magi adorant,
et per aliam viam ad sua revertuntur. V. Adhortatio moralis.

I. «ORIETUR stella ex Jacob, et exurget homo ex Israël,
» et percutiet ducem Moab, vastabitque omnes filios
» Seth (1); et erit Idumæa possessio ejus¹. » Sicut sacra
Veteris Testamenti narrat historia Balaam propheta a
Balach Madianitarum rege vocatus est, ut Dei populo
malediceret, qui mox, ut multitudinem filiorum Israël
in campestribus et eorum tentoria longe positus vidit,
tactus a Spiritu, providens ex eorum stirpe de intemerata
Virgine Dei Filium nasciturum, inter cætera, quæ illi
populo futura prænuntiavit, repente exclamavit, et dixit:

¹ Num. XXIV, 17, 18.

(1) Cod. male *caeli*.

« Orietur stella ex Jacob, et exurget homo ex Israël. »
Quid stellae nomine, dilectissimi, nisi sancta Dei genitrix
designatur, quæ præ filiis et filiabus hominum, quasi
coeleste sidus emicuit, et virginitatis, et humilitatis radiis
rutilavit in terris? Hæc est enim stella maris, et lucifer
matutinus, quæ « sedentibus in tenebris, et umbra mor-
» tis¹, » Solem justitiæ protulit, et humanum genus cæcæ
noctis caligine involutum, claritate superni luminis illus-
travit. Hæc est stella fulgida a totius peccati nebula de-
purata, quæ sine sui corruptione emisit radium, et abs-
que suæ virginitatis læsione peperit filium. Hæc stella
nobilis, et præclara, micans meritis, illustrans exemplis,
cæcos illuminans, infirmos recreans (1). In hac stella ve-
rus Sol ille justitiæ, sub nube carnis opertus latuit, et
de hac, salva pudoris integritate, processit. Sed hæc stella
oritura ex Jacob esse dicitur, quia immaculata Virgo de
Patriarcharum progenie generationis lineam traxit.

II. Unde Propheta: « Egredietur virga de radice Jesse,
» et flos de radice ejus ascendet². » Ecce eandem Virgi-
nem, quam Balaam stellam ex Jacob orituram nominat,
Isaias virgam de radice Jesse, egressuram appellat. Bene
autem utrumque Virgini convenit, ut stella diceretur et
virga: stella quidem, quia superno lumine illustrata præ-
cunctis mortalibus miro virtutum fulgore radiavit in ter-
ris; virga autem, quia in virtutum robore et perfectione
firma et inflexibilis permanens, sine damno pudoris, flo-
rem ecclestem, Dei Filium protulit. Unde et in hujus rei
figuram a beato Moyse duodecim virgæ in tabernaculo
Testimonii sunt locatæ, inter quas una erat, quæ Aaron
fuerat sacerdotis. Sed reliquis in sua ariditate permanen-
tibus, virga Aaron flores et frondes protulit, et nuces

¹ Luc. I, 79. — ² Isaï. XI, I.

(1) Cod. male *procreans*.

produxit. Hæc autem virga beatam Virginem figuravit, quæ quidem sub Lege veteri, et legitimis cæremoniis cum parentibus enutrita, quasi cum reliquis in tabernaculo posita fuit. Sed Judæis in sterilitate fidei et bonorum operum perdurantibus, virga nostra Aaronica sancto Spiritu fœcundata, bonorum operum frondes protulit, et florem suavissimum et fructum saporis gratissimi Jesum Christum Dominum germinavit. Virga Aaron non humectata rore, non madefacta pluvia, sine læsione substantiæ generavit amygdalum; Virgo regia, cœlesti rore perfusa, divina pluvia irrigata, salva integritate pudoris, Dei Filium peperit. Virga hæc floruit absque germine, et Maria concepit, sed non ex homine; nec virorem virgæ floris læsit emissio, nec integritatem Virginis sacri partus violavit editio.

III. In hujus etiam rei præfiguratione per Salomonem dictum est: « Florebit amygdalus, dissipabitur capparitis, impinguabitur locusta¹. » Amygdalus autem, ut bene nostis, fratres charissimi, velocius aliis arboribus, calore solis adveniente, florescit, et florem suavissimum cum odore producit; sic et virgo puerpera, sancti Spiritus calore concepto, festina concepit, et floruit, et suavissimi odoris florem mundo emisit. Capparitis autem, odore gravis, gustu amara, judaicum populum significat, qui amaritudinem et austeritatem Legis suscipiens, nihil in se de dulcedine spiritus habuit (1), sed in sola amaritudine litteræ deservivit, quæ, florente amygdalo, dissipata est, quia, Virgine Dei Filium pariente, Legis sacramenta abolita sunt et cessarunt, et Judaicus populus in pœnam perfidiæ per universum mundum dissipatus est et dispersus. Locustæ vero ad fructum inutiles, ad

¹ Eccle. xii, 5.

(1) Cod. habuerit.

usum inertes, ad tactum fugaces, vagæ saltu, ore stridulæ, quem alium quam gentilem populum significat? Gentiles enim fructibus justitiæ vacui, omni vento doctrinæ circumducti¹, in solo verborum stridore et garrulitate confisi, divini Verbi confecti (1), locustarum more exsanguis et steriles remanserunt. Sed postquam odorem germinantis amygdali conversa gentilitas sensit, et florem ejus dulcissimum degustavit, ab omni fuit squalore vitiorum et macie depurata, et cœlestis gratiæ pinguedine saginata. Bene ergo dictum est, quod florente amygdalo, dissiparetur capparitis, et impingueretur locusta, quia postquam amygdalus nostra virginea Jesum Christum florem pulcherrimum germinavit, Judæa est cum sua perfidia dissipata, et conversus gentilis populus, ubertate sancti Spiritus est et adipe divinæ gratiæ impinguatus. Congrue autem beata Virgo, stellæ, virgæ et amygdali fuit nomine designata: ipsa enim virtutum radiis rutilavit ut stella, in rigore justitiæ firma et inflexibilis mansit ut virga, et florem omnium virtutum odore vernantem protulit, ut amygdalus.

IV. Sed quia hæc stella virginea cum Sole justitiæ, quem (2) genuerat, intra præsepis angustias circumclusa latebat, ad declarandam eam, in oriente stella novæ claritatis apparuit; quæ orta ex Jacob stella, mira fulgoris sui specië gentibus nuntiavit, et Magos primitias gentium ipsa itineris prævia Bethlehem usque perduxit. Sic ergo cœlum cœlo, stella stellam, lumen lumine, sidus sidere declaratur, et puerum Jesum, quem nec prophetiæ oraculo, nec Magorum attestazione vicina voluit

¹ Ephes. iv, 14.

(1) Sic cod. per errorem quem sanare non valuimus, nisi forte legendum sit *divini Verbi non consortes, aut divino Verbo confecti*. — (2) Cod. quæ.

Judæa cognoscere, coelo desuper rutilante per stellam, et ejus gloriam enarrante, gentilitas remota cognovit. Magi vero divino lumine illustrati, et ducatu prævii sideris Bethlehem usque perducti, domum intrant, stellam cum sole reperiunt, et salutis nostræ auctorem in præsepio positum adorant ut Deum, venerantur ut regem, recolunt ut mortalem, atque in eo divinam humanamque naturam trini muneris oblatione declarant, et quod corde credunt, muneribus protestantur. Denique dum tres tria uni munera offerunt, eum trinum et unum publice profitentur, sicque consummatis circa puerum Jesum piæ devotionis obsequiis, angelica admonitione edocti, per aliam viam in suam sunt regionem (1) reversi.

V. Vos ergo, dilectissimi fratres, qui stellam virginæ ex Jacob ortam esse cognoscitis, qui Jesum non vagientem in cunis, sed in coelis regnantem adoratis, quibus stella claritatis evangelicæ e coelis miro fulgoris sui lumine rutilavit, ipsa præambula et magistra, ad Bethlehem domum panis vivi, sanctam scilicet Ecclesiam, bonorum operum gressibus currite, et in ea Mariam, et Jesum non vagientem, sed prædicantem et docentem populum invenietis. Imitamini beatos Magos, fidei et conversionis vestræ primitias, et quem illi oblatione suorum munerum reveriti sunt jacentem in præsepio, vos exhibitione bonorum operum veneramini regnantem in coelo. Offerte ei non hæc temporalia, quæ labuntur, non hæc transitoria, quæ videntur, sed quæ in vobis sunt munera gratiarum et laudum. Offerte ei pro auro scientiam, pro thure devotionem, pro myrrha vestrorum (2) corporum mortificationem, et evangelica admonitione instructi, malorum operum viam, per quam a regione vestra venistis, derelinquentes, per aliam viam bonorum operum

(1) Cod. in sua regione. — (2) Id. nostrorum.

redite ad patriam claritatis æternæ, quam vobis concedat Jesus Christus Dominus noster, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XXXVIII.

De Epiphania Domini IV.

Ex duobus manuscriptis depromptus est sermo qui sequitur, nempe ex Cod. Cass. cv1, fol. 145, et ex Bibl. Laurent., Plut. xiv, cod. 1, fol. 66. In utroque tribuitur sancto Augustino. Sit locus ejus post præcedentem cum numero de Epiphania x.

SYNOPSIS.

I. In Epiphania plura celebrantur mysteria, sed potissimum Magorum adventus. II. Venerunt non arte, sed religione ad ducti. III. Donatistæ repugnantes ab Ecclesiis apostolicis damnantur. IV. Imo et a toto orbe, vix etiam in Africa noti. V. Persecutionibus crevit Ecclesia catholica, quod aliis sectis non convenit. VI. Exhortatio ad servandam unitatem.

I. NOMEN ex græca lingua translatum, hoc est, Epiphaniam, Manifestationem interpretes dixerunt Latini, cum majestatem suam Christus aperuit, et quibusdam signorum miraculis publicavit. Sed hodiernam diem Ecclesia per orbem celebrat totum, sive quod stella præ cæteris fulgens divitibus Magis parvum non parvi regis monstravit hospitium, sive quod hodie Christus primum fecisse dicitur signum, quando aquas repente commutavit in vi-

num, sive quod a Joanne, isto die, creditur baptizatus, et Patris consona voce inter ipsa fluente Jordanis, Dei Filius revelatur, Evangelista dicente, quia confestim « Ut » de aqua conscendit, facta est vox de cœlo dicens: Hic » est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, » hunc audite¹. » His ergo rerum manifestis indiciis hodie publicata creditur potentia Salvatoris, sed illud potius vernacula fides obtinuit, quod hodie gentibus siderea fax (1) viam ad Christum in nocte monstravit, eumque in suis civibus primitivus (2) Oriens cum muneribus adoravit, sicut Evangelista refert: « Ecce Magi ab Oriente » venerunt, dicentes: Ubi est qui natus est Rex Judæorum? Vidimus enim stellam ejus in Oriente, et venimus » adorare eum². » Sed Donatistæ ab Oriente divisi (3), a lumine separati, atque in occiduis partibus tenebrosi, Magos fideles incusant, putantes eos Deum arte, non religione quæsisse; quasi vero tanta terrarum spatia peragrarent, aut munera pretiosa deferrent, aut genibus positis adorarent, quem videbant inter angustos parietes arctatum, et pannis adopertum, nisi cœlestem agnoscerent regem, et divinam in puero intelligerent majestatem.

II. Nam astrologi inter sidera tremuli, atque ipsa rabie curiositatis astrosi, nescierunt unquam in carne futurum Deum. Et cum ab initio sæculi tractarent sidera mundi, ignoraverunt arcana Dei, quia Conditor cœli non potest astrorum numeris indagari. At cum ante hominem facta sint (4) sidera, totusque ille sinus æthereus ante nato germine, ut aureum pratum stellato decore floruerit, posteriorem hominem fatiis anterioribus liquet.

¹ Matth. iii, 16, 17. — ² Id. ii, 1, 2.

(1) Cod. Laur. *faces*; cod. Cass. *face*. — (2) Sic cod. Cass.; cod. Laur. *primitivus*. — (3) Vide August. Serm. ccli, num. 2. — (4) Sic cod. Cass.; cod. Laur. *sunt*.

Porro illi sic disputant (1), quasi priora facta sint fata, et postea sint in homines de cœlo jactata, cum fatum nec ante hominem, nec post hominem esse possit, sed ab ipso conceptu debeat inchoari. At cum ante exordium generis humani, per totam cœli regionem astra diffusa biduo refulserint, quid, astrologe, homini per stellam applicas fatum, cum ipsius hominis post sidera docetur initium! sed dicam, fratres, dicam unde istis Magis provenit, ut per stellam natum Regem agnoscerent (2) Judæorum, quem congruis attestati sunt muneribus, offerentes aurum, ut Regi magno; thus, ut Deo; myrrham, ut (3) corpusculo pro salute sæculi morituro; et impleta est prophetia, dicens: « Omnes de Saba venient, ferentes » aurum, thus et myrrham¹; » offerentes (4) salutare Domini nuntiabant. Referam ergo qua ratione stellam observaverint Magi, cujus sint itinera clara secuti. Balaam ariolus, quem ad maledicendum filios Israël rex assumpserat Balac, cum terribilibus a Deo argueretur imperiis, ut benediceret potius, quam malediceret populo transenti, inter multa Judæis felicia, quæ invitus vates fundebat, oracula, Christi Domini ariolus sic prænuntiavit (5) adventum: « Orietur stella ex Jacob, et exurget » homo ex Israël, et confringet omnes duces alienigenarum, et erunt omnes fines terræ possessio ejus². » Hic ergo Balaam inter magos atque divinos illius temporis peritior (6) habebatur, cujus præsagionem (7) non ex arte,

¹ Isai. lx, 6. — ² Num. xxiv, 17.

(1) Hæc verba, quæ leguntur in cod. Cass. *porro sic disputant*, male desunt in cod. Laur. — (2) Cod. Laur. *cognoscerent*; et deinde *sint* pro *sunt*. — (3) Deest *ut* in utroque cod. — (4) Sic cod. Laur.; cod. Cass. *offerentibus*. — (5) Cod. Laur. male *prænuntiatum*. — (6) Id. male *peritorium*. — (7) Sic cod. Laur.; cod. Cass. *præsagionem*. Deinde deest *ex* in cod. Laur.

sed ex cœlesti insinuatione conceptam, Magi suis libris insertam, ad memoriam posteris tradiderunt. Hujus igitur oraculi conscia mens Magorum erat, ubi ultra cœtera astra regium sidus emicuit, et Judæorum terram radiis fulgentibus illustravit. Confestim Magus signo aspecto (1) cucurrit, nec devotos stella famula Christi deseruit, sed eos usque ad tugurium Mariæ, ubi Christus latebat, adduxit.

III. Cur igitur, Donatistarum superba inscitia et temeritas imperita, cur quod ignoras accusas? Cur laceras Magos non fatidicos, sed devotos, quos vides Regem cœli cum muneribus adorasse prostratos? sed scio non te artem exhorre, sed fidem; nec astrologos respuis, sed religionem Orientalium expavescis. Licet, etiam si altissimum Regem arte aliqua Magi non pia devotione quæssissent, laudandi essent potius, non culpandi; quia non sunt illud sidus gentilitio cultu venerati, sed Dominum (2) sideris venerantur. Stellam igitur Magus vidit, et festinus Dominum orbis cum muneribus adoravit. Tu (3) vero nec cum stella curris, et cum te a Magis fidelibus dividis, in tenebris excæcatus offendis. Ingreditur ad Christum Magus, et tu a Christo factus es alienus. Cum illo adorat totus mundus, et tu remansisti foras, totius orbis lumine separatus. Ecce adorat Oriens, ecce sub Septentrione et Austro, atque sub extremis solis occidui (4) gentes positæ pari fide, et veluti consanguinea religione, unum Dominum venerantur? Ubi te, infelix error, abscondis? Quamdiu inter alienos limites delitescis? Undique te catholicus possessor excludit, quia qui universos obtinuit terræ fines, cunctos de suo jure amputat inva-

(1) Sic cod. Cass.; cod. Laur. male *uno aspectu*. — (2) *Vox Dominum* male deest in cod. Laur. — (3) *Id. tum*; deinde deest *cum* in ambobus codd. — (4) Sic cod. Laur.; cod. Cass. sub *extremi solis occiduo*.

sores. Hinc te Corinthius, hinc te Galata, exinde expellit Ephesus; Smyrna, Pergamus, Thyatira, Sardis, Philadelphia atque Laodicia detestantur, quorum fidei Deus per Joannem apostolum perhibet testimonium. Hinc te Colossensis et Thessalus arguit (1), atque universa orientalis plaga persequitur, unde Magus cœpit, et tanquam legatus fidei provinciæ suæ novum fœdus cum Christo percussit. Quid tibi cum Indo (2)? Quid cum Persa? Quid cum Armenia, Ethiopibus Ægyptiisque commune est? Britannia (3), toto orbe divisa, nobis est religione conjuncta, finibus, non fide discreta. Hispanus te, Gallus Italusque fastidiunt, qui colla tui (4) archipiratæ gladiis spiritualibus secuerunt.

IV. Quid Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorumque terras cœlestes enumerem, ubi fides ingenita et divinis et angelicis est colloquiis confirmata. Ita-ne vero non erubescis vivere, qui meruisti a sanctorum hæredibus exerrare? Et ne universos commemorem, ignorant te extrema cœli, et circulus nescit Oceani, cunctæque nationes et gentes intra mundi positæ limitem, refutant. Africa vos nec tota quidem novit, sed modici (5) errantes in arvis; mox ut vidit exclusit, ac de suis vos prædiis, legibus divinis ejecit. Nam principium Africae finisque, si vultis audire, a finibus Ægypti urbisque Alexandriae, ubi Paretonia (6) civitas sita est, et montibus, quos incolæ Catabaahmon (7) appellant, inde sumit exordium; hinc per Æthiopica deserta circumiens, finem habet ab Occidente, ubi disternat Europa, hoc est, fauces Gaditani freti, ubi Oceanus brachium Tyr-

(1) Cod. Cass. *arguet*. — (2) Cod. Laur. *illo*. — (3) *Id. Britagna*. — (4) Sic cod. Laur.; cod. Cass. male *sui*. — (5) Cod. *modicæ*. — (6) Sic cod. Laur.; Cod. Cass. *Paretonio*. — (7) Sic cod. Cass.; cod. Laur. *Catabalt mori*.

reni maris fundit; novissimus autem et ulterior sinus Africae est mons Atlas et insulae, quas Fortunatas vocant. Ergo Africa ab Oriente habet Aegyptum, a Septentrione mare Lybicum, ab Occasu Syrtes majores, a Meridie Ethiopicum oceanum. Videtis-ne, o stulti, omnium rerum ignari, etiam in Africa, quam lato limine regnet Ecclesia, ubique diffusa, et ubi vos regio concludat angusta? Sed o quoties veritate victi, quoties conversi, quoties estis Christo mentiti. Et ideo extincta est paulatim progenies vestra, et in brevi cespite aruit fulminata. Numquid tu, o haeretice, in Jerusalem Christi sanguinem veneraris aut crucem? Numquid in Bethlehem adoras cum mundo gerulum corporis Christi praesepe? Numquid tu apud Nazareth excolis Mariae sedem, ubi annuntiavit Angelus nasciturum de Virgine Dominum Salvatorem? Cur te a parentela infantiae martyrialis (1) abscindis? Itane vero perit ibi nomen christianum, ubi initia facta sunt Martyrum, et intra tuas angustias incidit fides christiana dispendium? Cum tibi Christus dicat: Ego totum emi, pro toto mundo et sanguinem fudi. Non novi partem, sed requiro de omnibus unitatem, quia possessio mea non potest habere consortium.

V. Ac ne potestate (2) Romana te causeris damna latitudinis incidisse, recale, recale, aut, si non recolis, lege, quoties vel quanti ipsi Romani principes contra catholicam Ecclesiam gladium cruentum extulerint (3), nec tamen fidem veram crudelitas saeva vincebat, sed quanto magis persecutor germina pia secabat, tanto amplius haereditas Christi sub ferro crescebat (4), quoniam Deum homo superare non poterat. Nec prophetia eva-

(1) Cod. Laur. *martyrialis*. Ambo codd. *abscidis*. — (2) Cod. Laur. *male potestatem*; in quo deinde non iteratur vox *recale*. — (3) Cod. Laur. *extulerunt*. — (4) Hoc totum sententiae membrum deest in cod. Laur.

cuari potuit, quae praedixit Ecclesiam per terminos terrae diffundi. Audi antiquum de hodiernae diei festivitate praesagium: « Reges Tharsis et insulae munera offerent, reges Arabum et Saba dona adducent, et adorabunt eum omnes reges terrae, omnes gentes servient ei¹. » Numquid tu cum omnibus istis adoras, qui foris cum omnibus giras? Audi (1) muuus praedictum, antequam fuisset oblatum. « Omnes e Saba venient, ferentes aurum, thus et myrrham; » offerentes (2) salutare Dei nuntiabunt. Require nunc de qua haeresi possit impleri (3) quod dictum est: « Dominabitur a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terrae. Coram illo procident Ethiopes, et inimici ejus terram lingent². » Considera de qua Ecclesia possit intelligi, quod Christo cantatur in Psalmis (4): « Disperge gentes, quae bella volunt; venient legati ex Aegypto, Ethiopia praevieniet manus ejus Deo. » Regna terrae cantate et psallite Domino³. » Jam te, o haeretice, agnosce (5) desertum; agnosce ab insulis et nationibus separatum; agnosce a passione Christi divisum. Non potes jam crescere, non potes ad mundi (6) terminos pervenire, quem intelligis in momento transire. Quando, quaeso, incipies insulas obtinere? quando valebis extrema maria circumire, cum jam Ecclesia regnante, non habeas qua possis exire? Sed habeat Gallia Numidiam, habeat Italia Bizacenum; aliud est mundum saltibus circumire, aliud Christum in toto orbe de terris civicis adorare.

¹ Psal. LXXI, 10. — ² Ibid. 8, 9. — ³ Id. LXXIII, 31-33.

(1) Cod. Laur. *audis*. — (2) Cod. Cass. ut supra *offerentibus*; cod. Laur. *offerunt tibi salutare Dominum*. — (3) Vide explan. in Psal. LXXI, num. 11, 12, 13, et Epist. cxcix ad Hesychium, num. 47. Vide quoque Epistolam contra Donatistas de Unitate Ecclesiae, num. 22. — (4) Cod. Cass. *male psalmos*. — (5) Cod. Laur. *cognosce*, et sic deinceps. — (6) Cod. Laur. *male a*.

V. Denique sic in Propheta legimus scriptum : « Et » adorabunt eum unusquisque de loco suo, omnes insulae » gentium ¹, » Audis, « De loco suo? » Cur tu in solo gemis solitarius (1) alieno? Disce, disce fidem universitatis colere; et nusquam cogaris peregrinus errare. Esto amicus orbis, particeps unitatis, genus Ecclesiae ubique regnantis, et nusquam eris advena, sed omnis terra erit tibi civitas genuina. Subjice colla caelesti jugo, et tunc te agnosces (2) in uno, sicut scriptum est : « Invocent » omnes nomen Domini, et serviant illi sub jugo uno; a » finibus fluminum Æthiopia offeret munera sua Deo ². » Tu servis in alio jugo; alter haereticus servit in suo; Catholicus vero in toto mundo sub uno Deo, uno servit in (3) jugo; et ideo nescit errare. Sed cur vos, fratres, diutius defatigo, cum veritas habeatur in plano? Frustra hunc audet celebrare diem, qui cum toto mundo fidem non vult habere communem.

SERMO XXXIX.

De Epiphania IV.

Sermonem istum quem in Cod. Cass. XII, fol. 44, legere est inter dubios deputamus, quia hinc et inde pares fere militant rationes illum rejiciendi aut admittendi. Ad rejiciendum illum ex eo inclinamus, quod abstrusiores sententias intricatumque nimis dicendi modum offerat;

¹ Soph. II, 11. — ² Id. III, 9. 10.

(1) Ambo codd. *te... solitarium*; imo et cod. Laur. *solidarium*. — (2) Codd. *agnoscis*. — (3) *Deest in in cod. Laur.*

ad admittendum autem impellimur tum auctoritate manuscriptorum, tum sententiarum quarundam affinitate cum beati Doctoris ingenio, sicuti videri potest ex appositis ad inferiorem paginae marginem notis. Hinc, Maurinorum exemplum secuti, hunc inter dubios collocamus post sermonem praecedentem cum numero de Epiphania XI.

SYNOPSIS.

I. Magi ad Christum stella nova ducti. II. Christus non sub stellae decreto natus. III. Pueri innocentes pretiosi lapides Christi coronae infixi, aurumque ex metallis matrum effossum.

I. CORONA (1) hodie refulsit saeculo declarata, quam praecedit stella, et velut lapidibus pretiosis exornat parvulorum martyria pretiosa. Quis non miretur, quando de intimis palatii procedente Rege terreno, gemmata diademata populari expectatione fulgescunt, ut admirentur oculi cunctorum in illis splendoribus lapidorum? Quae hodie apparitionis nitore corona (2) mundo refulsit, talis corona quae complectitur coelum et terram! Senserunt illam caeli, et descenderunt Angeli Dei. Senserunt illam rutilantem chori stellarum, et coeperunt in suis stationibus perturbari, et in exultationem ardentem obsequi. Hoc est redemptio nova, quia stella nascitur splendida, matutina; splendida, propter Epiphania, gentibus apparentia; matutina autem dicta est stella, quia Christus mane surgens expoliavit gehennam, et mortuorum produxit de sepulcris corpora matutina, croceo aurorae Christi spirante vellere circumtecta. Senserunt istam coronam mundo clarescentem Magi currentes ab Oriente, et coepe-

(1) Cod. *male cortina*; sed sensus requirere videtur *corona*. — (2) Id. *habet sine sensu qua... nitorem... coronam*.

V. Denique sic in Propheta legimus scriptum : « Et » adorabunt eum unusquisque de loco suo, omnes insulæ » gentium ¹, » Audis, « De loco suo? » Cur tu in solo gemis solitarius (1) alieno? Disce, disce fidem universitatis colere; et nusquam cogaris peregrinus errare. Esto amicus orbis, particeps unitatis, genus Ecclesiæ ubique regnantis, et nusquam eris advena, sed omnis terra erit tibi civitas genuina. Subjice colla cœlesti jugo, et tunc te agnosces (2) in uno, sicut scriptum est : « Invocent » omnes nomen Domini, et serviant illi sub jugo uno; a » finibus fluminum Æthiopia offeret munera sua Deo ². » Tu servis in alio jugo; alter hæreticus servit in suo; Catholicus vero in toto mundo sub uno Deo, uno servit in (3) jugo; et ideo nescit errare. Sed cur vos, fratres, diutius defatigo, cum veritas habeatur in plano? Frustra hunc audet celebrare diem, qui cum toto mundo fidem non vult habere communem.

SERMO XXXIX.

De Epiphania IV.

Sermonem istum quem in Cod. Cass. XII, fol. 44, legere est inter dubios deputamus, quia hinc et inde pares fere militant rationes illum rejiciendi aut admittendi. Ad rejiciendum illum ex eo inclinamus, quod abstrusiores sententias intricatumque nimis dicendi modum offerat;

¹ Soph. II, 11. — ² Id. III, 9. 10.

(1) Ambo codd. *te... solitarium*; imo et cod. Laur. *solidarium*. — (2) Codd. *agnoscis*. — (3) *Deest in in cod. Laur.*

ad admittendum autem impellimur tum auctoritate manuscripti, tum sententiarum quarundam affinitate cum beati Doctoris ingenio, sicuti videri potest ex appositis ad inferiorem paginæ marginem notis. Hinc, Maurinorum exemplum secuti, hunc inter dubios collocamus post sermonem præcedentem cum numero de Epiphania XI.

SYNOPSIS.

I. Magi ad Christum stella nova ducti. II. Christus non sub stellæ decreto natus. III. Pueri innocentes pretiosi lapides Christi coronæ infixi, aurumque ex metallis matrum effossum.

I. CORONA (1) hodie refulsit sæculo declarata, quam præcedit stella, et velut lapidibus pretiosis exornat parvulorum martyria pretiosa. Quis non miretur, quando de intimis palatii procedente Rege terreno, gemmata diademata populari expectatione fulgescunt, ut admirentur oculi cunctorum in illis splendoribus lapidorum? Quæ hodie apparitionis nitore corona (2) mundo refulsit, talis corona quæ complectitur cœlum et terram! Senserunt illam cœli, et descenderunt Angeli Dei. Senserunt illam rutilantem chori stellarum, et coeperunt in suis stationibus perturbari, et in exultationem ardentem obsequi. Hoc est redemptio nova, quia stella nascitur splendida, matutina; splendida, propter Epiphania, gentibus apparentia; matutina autem dicta est stella, quia Christus mane surgens expoliavit gehennam, et mortuorum produxit de sepulcris corpora matutina, croceo auroræ Christi spirante vellere circumtecta. Senserunt istam coronam mundo clarescentem Magi currentes ab Oriente, et coepe-

(1) Cod. *male cortina*; sed sensus requirere videtur *corona*. — (2) Id. *habet sine sensu qua... nitorem... coronam*.

runt sequi stellam. Quam stellam expavit cœlum, et at-
tenderunt stupentes legiones astrorum ad novum sidus,
quia novus erat et partus. Non erat ista stella de stellis;
ad tempus nata est; non eam noverant cœtera sidera,
quia nec Christum noverat generatio mortalis humana.

II. Sed nemo dicat Christum Dominum sub istius stel-
læ fortuito natum esse decreto, sicut Pagani, vel ipsi
opinantur hæretici (1). Non ista stella ad decretum do-
minabatur, sed ad nuntium famulabatur. Nec cum fatali
subiciebat imperio, sed alacri indicabat (2) obsequio.
Non ideo Christus extitit, quia stella apparuit. Quando
Christus natus, refulsit propter Christum stella; non
Dominus nascitur propter stellam. Volitabant ergo sul-
phuræ faculæ micantis in nocte mysteria dicata super co-
ronam gloriæ jucunditatis universæ terræ. Adducebat (3)
lætissimo tractu luminis sui tres ab Oriente Magos, tan-
quam tres lapides pretiosos coronæ puri Christi nascentis,
primitiarum torculis insingendos, et genibus incur-
vandos.

III. Ecce millia lapidum pretiosorum insinguntur
coronæ nascentis pueri pro renovanda senectute mundi
labentis. Illi lapides pretiosi parvuli mammis maternis
evulsi (4), et coronæ Salvatoris infixi. Gladius ille crude-
lis primitivos flores infantium succidebat (5), et coronam
eos coronator in suo diademate susceperat (6), melius in

(1) Vide lib. II contra Faustum, cap. 5; Serm. cxcix, num. 3; Serm. cci, num. 1; contra Priscillianistas in lib. de Hæresibus ad Quodvultdeum, num. 70. — (2) Cod. male *judicabat*. — (3) In codice nullum est punctum ante *adducebat*, sed transfertur post *luminis sui*, cum quibus verbis clauditur non solum phrasim, sed etiam articulum. Articulus sequens cum nova linea incipit per hæc verba *tres ab Oriente*, ubi sic casus accusandus habetur, sine nominativo et verbo quibus regatur. — (4) Cod. male: *Illi lapides pretiosos parvula mammis maternis evulsi*. — (5) Sic cod. male *succidebant*. — (6) Id. et *corona eos coronatoris in suo diademate susceperat*.

suo capite plantandos, in surculo purpuratos. Lilia erant,
quia innocentes erant; rosæ factæ sunt, quia innocuo
sanguine rubuerunt. Minuti erant arenarum de metallis ma-
trum, factæ sunt regulæ (1) in manibus Angelorum, dum
ad coronam Primogeniti figerentur. Metalla erant uteri
matrum; de arena eligebantur, ut fierent aurea martyria
parvulorum. Beatæ illæ matres tanquam metalla aurea
fulserunt honorabiles, quia martyres Christo genuerunt
infantes. Et quomodo metalla auri sub fiscali custodia
muniuntur, ita istæ matres sub angelica protectione re-
quiescunt. Jam enim dederunt Christo minutias (2) au-
reas martyriales infantes; tenet illas et filiorum dignitas,
et sua securitas. Qui autem damnantur ad effodienda me-
talla auri, rei sunt, quia damnati sunt; ita et ministri
Herodis jam damnati sunt iudicio Salvatoris. Sed dam-
nati fossores auri ipsi soli sunt rei; cæterum quod hi col-
ligunt, aurum est; sic et ministri Herodis tanquam de
auri fodinis minutias innocentium legebant, et ipsi nigres-
cebant, qui percutiebant, et infantes splendescabant,
qui crimen in gladio nesciebant. Ita omnes qui Christo
nascenti et apparenti dicunt testimonium, coronam im-
marcescibilem sperant in regno cœlorum.

(1) *Regulas* dicit, ut videtur auri fragmenta solida de Arenarum minutis compacta. — (2) Cod. male *munitias*; legendum est *minutias* sicut et habetur inferius.

SERMO XL.

In Epiphania Domini V.

Hic sermo, sancto Augustino dignissimus, eruitur ex Cod. Cass. XII, fol. 51, ubi sub nomine beati Doctoris legitur. Nihil occurrit quod ad illum abjiciendum vel minime inclinēt. Locus ejus post sermonem præcedentem cum numero in Epiphania Domini XII.

SYNOPSIS.

I. Epiphaniæ nomen, et post Natalem Domini celebratio. II. Aqua in vinum Christi omnipotentia transmutatur. III. Hujus conversionis explicatur sensus mysticus. IV. Christus a Magis adoratur munera iterum mystica offerentibus. V. Christus juxta quosdam eodem die baptizatus est, ut nos renasci doceret. VI. Tantus dies a nobis est singulariter honorandus.

I. FESTIVITATIS nostræ, ut probabiliter celebritatem colamus, rationem nosse debemus. Epiphania, quam hodie observamus, græco nomine appellata, ostensionem vel apparitionem nostro sermone significat (1). Ideo autem ostensionis, vel apparitionis hic dies dietus est, quod se in hac die manifestis signis Christus Dominus noster ostenderit. Hodie enim vel a Magis stellam illam sequentibus nostri Christum Dominum adoratum esse confirmant,

(1) Vide Sermon. cccii, num. 1; ccciii, num. 1; ccciv, num. 1; cccclxxiii, num. 1, etc.

vel aquas illas in Galilæa a Domino in vino esse conversas. Proxime ergo celebravimus diem, quo natus est Dominus, hodiernum vero colimus, quo est manifestatus.

II. Manifestavit itaque se cum inaudito, et mirifico opere aquas vertit in vinum. Sicut enim divini operis est naturam condere, ita et commutare. Itaque ejusdem rei, cujus creator erat, etiam recreator effectus est; quia facile ex alio in aliud transferre opus suum potuit, qui hoc ipsum potuerat ex nihilo proferre. Nam cum ageretur celebritas nuptiarum, et ut Evangelium loquitur, vinum epulantibus defecisset, vasa Dominus jussit aquis impleri, quæ cum impleta essent, jussit hauriri. O insigne miraculum! Inter manus atque oculos ministrorum latenter cœlestis virtus operatur. Res agitur, nec tamen quemadmodum agatur agnoscitur. Latet ratio, effectus (1) apparet. Unde istud? nisi quia omnia quæ vult Deus efficit? nisi quia illius totum posse velle est? Unde? Nisi quia tam magna potestas est, ut non immerito de eodem in ordinatione totius creaturæ Propheta testetur (2): « Ipse » dixit, et facta sunt; ipse mandavit, et creata sunt¹. » Mirum hoc quidem; sed quid non mirum in omni opere suo Dominus noster ostendit?

III. Sed ut hæc ipsa altiora mysticus intellectus requirat, quid illæ significabant nuptiæ, quibus Christus intererat, nisi illas utique, quibus ipse Christus Ecclesiæ jungebatur, qui « Tanquam sponsus procedens de thalamo suo², » ad desponsatam sibi promissi jure veniebat; ubi utique ex aquis vinum, id est, ex Gentibus fideles conversione divini operis efficit. Fit ergo ex aquis vinum, cum fiunt ex Gentibus Christiani, de rapacibus

¹ Psal. xxxiii, 9. — ² Id. xviii, 6.

(1) Cod. male affectus. — (2) Vide Tract. viii in Joan. num. 2 et 3.

largi, de superbis humiles, de impatientibus patientes. de crudelibus pii, de adulteris casti. Sic itaque Jesus in vinum aquas convertit, cum divina operatione, qui fuerat infidelitate vilissimus, fit religione pretiosus. Et sane audeo dicere, quia cum utrumque opus Christi sit, admirabilior Domini est ista conversio, cum ex peccatore facit justum, quam cum ex aqua reddit vinum. Quanto enim est in hac operatione homo ipse pretiosior, tanto est conversio ipsa præstantior. Ibi mirificas admovit manus aquæ, elemento suo; hic homini, id est, imagini suæ; ibi aquæ species in vinum, et colore, et sapore transfertur: hic vero in homine, quod magis mirum sit, idem homo, nec tamen idem est; cum exterius permaneat, interius mutetur. Dicit Dominus: » Ego occidam, et » ego vivificabo¹. » Quomodo vivificat, si occidit? Sed ita est occisio Domini, ita est et vivificatio, cum in uno eodemque homine occidit impium, et vivificat innocentem.

IV. Igitur sicut supra diximus, hodierno die Christus adoratus a Magis creditur. Qui quidem inusitato refulgentem stellam sequentes ambulaverunt per terram pedibus, per cælum oculis. Hi itaque Dominum nostrum Jesum Christum cum reperissent, » Proidentes adoraverunt, atque obtulerunt munera, aurum, thus et myrrham². » Myrrha hominem indicantes, auro regem facientes, Deum thure venerantes; sed dum offerunt munera, ipsi Deo munus effecti sunt. Tunc adimpletum est quod dictum est per Prophetam: » Priusquam puer » sciat vocare patrem aut matrem, accipiet virtutem Damasci, et spolia Samariæ³. » Damascenorum gens potens divitiis, virtutem suam utique Domino dedit, cum ab eo Christus aurum, quod gentibus dominabatur, ac-

¹ Deut. xxxii, 39. — ² Matth. ii, 11. — ³ Isaï. viii, 4.

cepit. Spolia vero Samariæ, id est Gentilitatis, id enim significat, accepit, dum per credulitatem (1) Magorum videtur utrinque (2) expoliata Gentilitas. In Magis enim primitiæ Gentium (3) consecratæ sunt, in quibus illud præfiguratum est, quod etiam postea probatum videtur, ad Dominum Salvatorem nostrum impulsos fide venturos esse Gentiles, et occurrentes ex remotis terræ partibus Gentes, quæ Christum Jesum Dominum et Deum fateantur. Magi eum longe a se positum expetierunt; Judæi apud senatum reprobaverunt. Illi eum adoraverunt adhuc pannorum obscuritate humilem; hi crucifixerunt jam signorum virtute fulgentem; quem utique idcirco primum Prophetæ, deinde etiam Magi annuntiaverunt, ut omnis homo inexcusabilis esset, qui Christum Dominum non confiteretur. Judæi utique inexcusabiles essent, si non confiterentur, quem etiam Prophetæ eorum prædixissent; Gentes inexcusabiles essent, si non crederent, in quem Magi etiam credidissent.

V. Sunt quidam qui hoc eodem die Dominum Salvatorem nostrum baptizatum putent (4); quod si ita est, non parvam dies ipse observationis nostræ celebritatem meretur. Si Dominus et Salvator noster, nos quos prius jusserat nasci, in hac die, docuit et renasci, et quia primum nobis ortum indulserat, ipse quoque instituit et jam nativitatem secundam, in qua salutaris auctor exempli sanctificavit Deus aquas, quibus homines sanctificarentur.

VI. Honoremus itaque diem, fratres dilectissimi, in quo Dominus, sive admiratione signorum, sive Magorum occurso honorificatus est. Honorificavimus diem Natalis

(1) Vide idem exemplum in Serm. cccii, num. 2. — (2) Cod. *utrique*. — (3) Vide Serm. cccii, num. 4. — (4) Vide Serm. cxxxiv appendicis num. 1.

sui, honoremus et hunc claritatis suæ; sicut enim nequaquam lex profuerat, nisi (1) secundum altum Dei consilium Christus natus processisset; ita parum hominibus contulisset natus, nisi fuisset et creditus. Quamobrem, fratres charissimi, Creatorem nostrum, Creatorem omnium, qui et ad nos venire dignatus est, et egit quo possimus credere cum venisset, qui se Filium Dei per Prophetas denuntiavit, per Magos ostendit, verbis admonuit, signis probavit, jugiter metuamus, amemus, desideremus. Hunc salubriter, et semper quærentes, oculis et corde flagremus, et quem Magi invenerunt in panis, nos quæramus in cœlis; quem ipsi adoraverunt adhuc in obscuris latentem, nos glorificemus sublimi sede regnantem.

SERMO XLI.

De Epiphania VI.

Nihil occurrit propter quod hic sermo sancto Augustino denegetur, cui tribuitur in Cod. Cass. XII, fol. 53. Locus ejus post sermonem præcedentem cum numero de Epiphania XIII.

SYNOPSIS.

I. Christus in Epiphania non Judæis tantum, sed et Gentibus est revelatus. II. A Magis agnoscitur, et voce patria proclamatur. III. In ista Christi manifestatione manifestatur et

(1) Cod. male *sini*.

Trinitas. IV. Mutatione aquæ in vinum facta iterum Divinitas manifestatur.

I. «CANTATE, inquit David, cantate, inquit Propheta; canticum novum, quia mirabilia fecit Dominus¹.» Cum ad insignem Epiphaniæ festivitatem conveniremus, bene ipsa Psalmi vox David cum festivitate consentit, quæ in lætitia festivitatis jubet cantare lætantes. Ita alterum est solemnitatis, alterum psalmi: nam solemnitati debemus gaudium, psalmo canticum gaudiorum. Quid autem sequitur in Psalmo? «Notum fecit Dominus salutare suum, ante conspectum gentium revelavit justitiam suam².» Videamus, David, quomodo condignissime hodiernæ diei aptari possit hoc, quod innotuisse Gentibus Dominum Psalmista memoratur. Respicimus itaque ad Evangelium, et agnoscamus quomodo Dominus salutare suum non Judæis hodie tantum ostendit, sed etiam juxta Psalmum, qui lectus est: «Ante conspectum Gentium revelavit.» Ac primum consideremus, nato Domino Jesu Christo, venientes ad illam humilem Salvatoris infantiam adoratos cum donis Magos, imo in Magis Gentium populos, quia cum paganicæ superstitionis magistri et principes Magi fuerint, in quibus utique principatus gentilici erroris fuit, typus gentilitatis apparuit. Deinde sociatur stella, stat super puerum, ut ostenderet utique ei se stare tunc cui antea cucurrisset, et ut quæ Magos duxerat, itineris sui ducatum ostenderet stationis officio.

II. Ingrediuntur deinde diversorium sacræ nativitatis Magi; veniunt ad præsepium; vident hominem, et agnoscunt Deum. Incurvant corpora, intelligunt potestatem, pavent potentiam. Vident carnem, adorant majes-

¹ Psal. xcvi, 1. — ² Ibid. 2.

tatem; humana aspiciunt, et divina venerantur. Quæ cum ita sint, consideremus quomodo hæc facientibus Magis expleta sit prophetia illa David, quæ paulo ante lecta est, dicens: « Notum fecit Dominus salutare suum; ante conspectum Gentium revelavit justitiam suam¹. » In eo enim quod agnitus est per stellam, notus est in carne Salvator: « Notum fecit Dominus salutare suum; » in eo autem quod visus gentibus viris, « Ante conspectum Gentium » revelavit justitiam suam. Jamvero in eo quo eum hodie in baptismo declarasse Pater Filium traditur, nonne aperte idem illud impletur, quod ait P salmus: « Notum » fecit Dominus salutare suum; » qua enim re (1) magis Salvatorem suum notum facere Pater potuit, quam quod a se ipso fecit agnosci dicens: « Hic est Filius meus², » et reliqua.

III. Non enim ut antea per Mosen jam aut Prophetas, nec per typos, aut per figuras venturum in carne Pater Filium docuit, sed palam venisse monstravit. Itaque evidenter, et luce clara præsentibus atque assistentibus turbis, cælo denique, atque terra, et omnibus quæ (2) inter cælum et terram volvuntur, testibus sonuit: « Hic est » filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. » Ac ne tantæ rei testis vox esset sola, quæ erat maxima, quem Pater loquendo ostendit, Spiritus sanctus adveniando signavit (3). Itaque descendente super caput illius columba, prius eum Filium Dei esse visio ipsa docuit, quam vox Dei loquentis ostendit. In quo quidem mihi non testimonium esse tantum, sed divinitatis etiam mysterium videtur. Utique manifestando Domino Jesu Christo quod Filius esset qui ostenderetur, Spiritus sanc-

¹ Psal. xcvi, 2. — ² Luc. iii, 22.

(1) Cod. male *quæ enim res*. — (2) Deest vox *quæ* in codice. — (3) Vide Sermon. xii, num. 1-3.

tus qui ostenderet, Pater qui declararet, ac sic dum unigenitum Deum testimonium totius majestatis ostenderet, tota se divinitatis Trinitas demonstraret (1).

IV. Jam vero ut aliquando ad eam perveniamus, quæ paulo ante lecta est, lectionem evangelicam (2), virtutemque divinam consideremus diligentissime; ac ea quæ in festis nuptialibus aquæ demutatio facta legitur, evidenter Deum manifestasse videtur. Evidentissime utique. Quæ enim major esse potuit manifestatio Dei, quam conversio mutatioque naturæ? Nulli enim promptum est elementa convertere, nisi cujus potestas est procreare, quia ejusdem potentiæ est facta convertere, cujus infecta generare. O miram Salvatoris nostri inestimabilemque virtutem! Aquæ hydriis inferuntur, et vinum poculis ministratur; aliud infunditur, et aliud hauritur. Quis dedit elemento hanc obedientiam, ut desineret; alteri, hanc substantiam ut esset (3)? Esto, obtemperare norint, quæ vel audiendi usum vel sensum (4) intelligendi habent. Res certe utraque et auditu carebat et sensu. Unde et hoc habere potuerit obedientiam, quod non habuit in natura? Apertissime itaque et potentiam divinæ majestatis ostendunt (5), quæ sine auditu audiunt, sine intellectu intelligunt, sine sensu obsequuntur. Probat enim se naturarum omnium Deum, qui in his quæ non habent naturam intelligentiam, facit ipse naturam. Superest; dabit. Oremus nunc, ut cujus virtus, atque majestas hodie in elementi conversione claruit, in nostrarum quoque mentium conversione (6) clarescat.

(1) Vide Sermon. lxxi, num. 27. — (2) Cod. male *enim*, *lectione evangelica*. — (3) Cod. male: *Ut desineret alteri hanc substantiam deesse*. — (4) Id. *perperam usu, vel sensu*. — (5) Id. *ostendit*. — (6) Id. *propter copistarum errorem conversatione*.

SERMO XLII.

De Epiphania Domini VIII.

Eruiitur ex Cod. Cass. xii, fol. 64, in quo omnia fere ad sanctum Augustinum referuntur. Nihil occurrit, quod ab illo admittendo deterrere posse videatur. Ponatur post præcedentem cum numero de Epiphania Domini xiv.

SYNOPSIS.

I. Christus Magis stellæ ministerio manifestatur. II. A Magis adoratur, qui mystica offerunt munera. III. Herodis crudelitas infantes occidit. IV. Epilogus.

I. Novi sideris, fratres charissimi, non fatale, sed regale signum (1), clarum cursibus anhelis, aspiciat, dum Magos ducit ad Christum, et totum convocat mundum, quia cœli patescit obsequium. Sic illustris facies poli, nocte detersa, pingitur; sic humano generi, posito in tenebris et umbra mortis, janua lucis ostenditur; sic Filius Dei, qui latuerat, publicatur. Veniunt Magi stellarum vernulæ (2), et siderum sectatores. Admoniti insolito fulgore radiantis globi, et sollicitis gressibus flammiflui jubaris secuti viam aspiciunt angustis, (3) pannis opertum, cujus indicabat gloriosum apex purpuratus imperium (4). Non ita flammeum lumen ignitis coruscant

(1) Vide Serm. cxcix, num. 3, et Serm. cxc de Fato. — (2) Cod. male vernulis. — (3) Id. via; et postea siue sensu inangularis pannis. — (4) Cod. imperator.

SERMO XLII, DE EPIPHANIA DOMINI VIII. 227

facibus, nec sic (1) aurora roseum imbrem terris effundit, aut nativa fornax vomit incendia, ut ardebat ille cœlestis verbo (2), quem ignoti luminis sidus (in) (3) terra pavebat. Quis igitur regem magnum esse (4) non crederet, cujus majestatem cœlorum scrinia prædicarent?

II. Accessit igitur Magus, in quo fides nostri provida nascebatur. Offert aurum, thus litat, ingerit myrrham. O modicum natum, divitem mox paratum! Vagit inter crepundia ipsa; querulus etiam formidatur ut Deus. Clientium muneribus exquiritur, et depositis cervicibus adoratur. Aurum igitur exolvitur quasi regi magno: thus immolatur ut Deo; myrrha præbetur tanquam pro salute omnium morituro.

III. Sed Herodes impius, factus ex timore crudelis, ut pudorem suum possit celare, amplius voluit desævire; fingit primum adorare quem tremit parum (5) esse. Non puto, fratres, hostem viros internum premere, quia non potest prævalere, et simulare innocentiam, quia non valet (6) implere nequitiam (7). Ergo Herodes de successore anxius, et de regni desperatione sollicitus, præfert supplicem, cum cogitet hostem (8). Sed poterat capere eum, qui ipsas fraudes venerat amputare? Deceptus igitur Herodes pendula expectatione frustra, diu tenere non potuit, quod celabat. Præcepit igitur innocentes occidi, et necdum coagulata membra, atque ab ipso partu recentia gladiis interfici, et saxis illidi. O crudele facinus!

(1) Cod. perperam sit. — (2) Vocem illam verbo, quod nullum affert sensum pro voce globus positam esse crediderim. — (3) Particula in videtur abundare. — (4) Cod. male est. — (5) Probabiliter legendum est puerum. — (6) Cod. male valet. — (7) Sensus est Herodem non voluisse opprimere Magos, quia ipsis prævalere non poterat, et simulasse innocentiam, quia non valebat nequitiam implere. — (8) Præfert supplicem, nempe exterius, cum cogitet hostem, nempe interius.

o rabies sæculi inaudita ! Talis erat illa species funeris , ut nec tenere posset (1) occidendos , nec postea videre occisos. Rapiebantur ab ipsis uberibus tremuli partus , et inter manus matris atque carnificis vita tenuis expirabat , ut jam non vivos occiderent , sed mortuos trucidarent. Plangebant tunc piæ matres , et suis ululatus æthera quatiebant. Stringebant natos ad pectora , et volentibus pariter mori , non dabatur (2) occidi. Torquebantur iterum viscera , quæ pepererant , non jam germine vivo , sed funere , et impio carnifici lacrymosæ matres nequaquam (3) miserationis extensis manibus supplicabant , dum ille lacteos artus furibundus elideret , atque inter ipsas preces sanguine natorum maternos oculos offenderet. Quid tibi , Herodes , præstitit ista sævitia ? Et cum unum insequeris , multos occidis ; nec sic tamen ad illum pervenis , quem requiris. Ac sic et tibi infructuosa malitia tua interitum procurasti , et Christo coævus martyres transmisisti.

IV. Lætetur nos , fratres , in concordia fidei , « In charitate non ficta , in verbo veritatis , in virtute Dei ⁴ ; » ambulemus cum Magis , sequamur clarum lumen sideris , adoremus præsepe Christiferum , offeramus ei votiva obsequia. Jacet nunc ante januam pauper Christus in pannis ; obtulit Magus aurum , Christianus non neget pauperi nummum.

⁴ 2. Cor. vi, 6, 7.

(1) Cod. male posse. — (2) Id. perperam dabatur. — (3) Id. nec quidquam.

SERMO XLIII.

De Epiphania Domini IX.

Hic sermo eruitur ex Cod. Cass. xii, fol. 65, in quo sancto Augustino tribuitur. Nihil obstat, quin admittatur, ut legenti patebit. Locus ejus post præcedentem cum numero de Epiphania xv.

SYNOPSIS.

I. Christi nativitas mirabilis in audientium memoriam revocatur. II. Quinque panum et duorum piscium miraculum , in Epiphaniarum die aliquando celebrabatur. III. Item et baptismus Christi , cui mystice miraculum præcedens accommodatur.

I. DESCRIPSIMUS (1) ante dies Dominum nostrum Jesum Christum ultra conditionem humani generis atque naturam , virginali utero fuisse progenitum , et hoc illi (2) specialiter fuisse delatum , ut qui erat mirabilia multa factururus , statim a mirabilibus inchoaret ; scilicet ut homines facilius crederent signis ejus atque virtutibus , cum vidissent ejus in nascendo virtutem. Quid enim jam natus et vir præstare non possit , qui matri virginitatem potuit conferre non natus ? Maria enim ante partum fuit prægnans , et virgo post partum duravit , mater et virgo. Et ne forte mirum sit vobis quod dixi , etiam post partum

(1) Cod. male describimus. — (2) Id. perperam illis.

virginem Mariam permansisse, una atque eadem ratio est. Cum enim Dominus ab ea sine corporis corruptela conceptus est... (1) Nam quod ita Salvator secreta solet penetrare, ut claustra non violet, habemus exemplum. Legimus in Evangelio, quod cum Apostoli propter metum Judæorum clausis in cubiculo januis residerent (2), subito Jesus Christus astiterit, et ita introierit, ut hospitii portas (3) minime reseraret. Si igitur per solidam grossamque materiem ita se infudit, ut portas januæ non moveret (4); quanto magis per carnis subtilem patulamque naturam, ita ingressus egressusque est, ut membrorum secreta non læderet.

II. Diximus ergo primum quod et mirabiliter natus sit Dominus; deinde inter cæteras ejus virtutes prosecuti sumus, quod quinque panibus et duobus piscibus paverit plus quam quinque millia populorum, et quod saturatis omnibus, plus relatum sit de convivio, quam illatum. Illud etiam prætereundum non est, quod plerique homines hodierna die factum putant; hoc est quod (5) aquam in vinum verterit, et repente simplicis vilisque substantiæ odorem, saporem mutaverit, et colorem, ita ut inter vasa sua minister erraret, hoc est, agnosceret hydrias, non agnosceret creaturam. Stupebat enim se aliud hausisse de fontibus, aliud in vasculis reperisse. Defundens tamen liquorem, et videns splendidissimam aquæ naturam in rubri speciem fuisse transfusam, stupet, hæsitat, et miratur, æstimat oculos suos falli, quia minister est poculorum. Ut suspitione temulentæ careat, magis vult obtutibus se errare, quam sensibus. Defundit, inquam, et porrigit. Quod cum gustasset Architrichi-

(1) Hic quædam deesse videntur. — (2) Cod. male *resident*. — (3) Vox *portas* sensu requisita deest in codice. — (4) Consimile exemplum refertur in Sermone cxcii, num. 2. — (5) Quod desideratur in codice.

nus, sponsum increpat et objurgat, cur bonum vinum tamdiu servaverit, et contra ordinem convivii primo deterius biberit, novissime autem id quod erat optimum sit allatum. Ita conturbatio nascitur in toto convivio; minister aquam perdit, vinum suum Architrichinus non agnoscit: requirit ille quod hauserat (1); incusat iste quod biberat; non agnoscit plane, quia benedictione Christi melior erat commutati (2) vini creatura, quam nati. Hoc igitur signum factum in hac die plerique putant; nos autem dicimus hodierna die in Jordane Dominum baptizatum.

III. Attamen non multum illorum æstimatio distat a nostra sententia. Aqua enim quodam modo in vinum versa est, cum unda Jordanis fluminis in sanctificatione est commutata; ut fluvius qui naturalis fuerat, benedictione Christi fieret pretiosus, et ex illo jam non tam corpora ablueret, quam corda purgaret. Sicut enim vinum cum bibitur, « Latificat cor hominis¹, » et ab omnibus sollicitudinibus præstat alienum, ita et baptismatis gratia, cum hauritur, exhilarat conscientiam hominum, et ab omnibus tentationibus facit esse securam. De quo speciali vino ait Propheta: « Hilares oculi ejus (3) » vino². » Aqua igitur in vinum vertitur, cum peccata in justitiam convertuntur. Aqua, inquam, in vino vertitur, cum delicta mortis frigida, immortalis baptismi colore mutantur; cum hydriæ corporum nostrorum, quæ prius intra se terminum retinebant vilem, vel turbidum odorem, saporem accipiunt et colorem.

¹ Psal. ciii, 15. — ² Hunc textum in totis Scripturis non reperi. Forte ex aliqua versione deducitur, et idem est ac ista Genesis sententia: *Pulchriores sunt oculi ejus vino*. Gen. xi. x, 12.

(1) Cod. male *aurierat*. — (2) Id. *commutata*. — (3) Cod. habet sipe sensu *eja*.

Quod enim in Christianis bonus odor sit, dicit Apostolus: « Quoniam Christi bonus odor sumus Deo¹, » in omnibus his qui diligunt Deum.

SERMO XLIV.

De Epiphania Domini X.

Sermo iste, ex Cod. Cass. XII, fol. 67 eductus, ubi nihil præter sancti Augustini fœtus legitur, quædam habet quæ cum sermone cxxxii Appendicis fere concordant; sed notandum est rationem præcipuam, qua Benedictini moti sunt ad rejiciendum sermonem Appendicis, nempe quod ibi dicatur stellam Magis ante biennium apparuisse, in nostro minime occurrere; et aliunde tres aut quatuor tantum sententias esse, quæ Appendicis sermoni accommodantur. Unde ab illo inter Augustinianos edendo non potuimus ideo averti. Sit ergo ejus locus post sermonem præcedentem cum numero De Epiphania Domini XVI.

SYNOPSIS.

I. Magi veniunt cœlesti lumine adducti. II. Reginae Austri ad Salomonem venientis comparantur. III. Herodis vesania. IV. Cum Magis ad Christum lætanter accurrendum.

I. Hic dies sanctæ Epiphaniæ festus omni sæculo celebrandus illuxit, cujus nox astrifero radiatur aspectu, et novum sidus oculis hominum declaratur. Denique stellæ

¹ 1 Cor. II, 13.

indicio (1) ab Oriente Magi Jerosolymam venerunt. Talem enim esse natum, Deo revelante, cognoverunt, quem adorando salutem se adepturos esse credebant; neque enim in Christo talis erat ætas, cui adulatio humana serviret. Non sub poplite sella regalis, non de membris purpura, non de capite diadema fulgebat; non pompa famulorum, non terror exercituum, non gloriosorum fama præliorum istos viros ad Christum ex remotis terris adduxerat; sed devoto corde venientes stella perduxit. Quia salus nata gentibus, ab ipsis finibus terræ Trinitatis magnificentia in trina muneris gratia inclaruit. Jacebat in præsepio ortu recens, exiguus corpore, contemptibilis paupertate, sed magnum aliquid latebat in parvo, quem (2) illi homines, primitiæ gentium, non terra portante, sed cœlo narrante didicerant, ad quem tam ex longinquo devoti et supplices veniebant.

II. Regina quædam Austri (3) venerat a finibus terræ audire sapientiam Salomonis. Nec illa regni ejus sublimitatem desiderabat addiscere, sed mentis lucem et sapientiæ claritatem cupiebat prævidere. Tanta itaque in Salomone aderat sapientia, quæ longissime dilatata, ad discendum potuit studiosos animos excitare. Proinde illa mulier non latentem (4) Deum, sed loquentem hominem, non adorare venerat, sed audire. Christus autem Dominus et Salvator noster ipse donaverat illam laudabilem sapientiam Salomoni, qui infirmitate carnis indutus adhuc per pusillam ætatem latebat in terris, et jam per amplissimam majestatem clarebat in cœlis.

III. Currit fama per cœlum, per stellas, per Angelos, per Pastores, per Scribas, per Phariseos, per po-

(1) Cod. *judicio*. — (2) *Id. quod*. — (3) Vide Serm. cxxxiii, Append. num. 2. — (4) Cod. *male laudantem*, et deinde addit *male videret post hominem*.

pulos, per Magos; per omnia hæc indicia pervenit ad Herodem regem. Rex autem Herodes audit et terretur. Quid times, Herodes (1)? quid maligna mente turbaris? Si salutem tuam quæris, ille natus est, per quem regnum Dei videas, non cui regnum humanum invidias. Quid sævis? quid occidis infantes? quid ætatem in noxiam noxius insectaris? Gladio Regis hujus, qui natus est, nemo erit impietate puniendus, sed pietate liberandus. Accinctus quidem gladio super femur, egredietur potentissimus, sed gladio, quo libido et petulantia amputetur, et virginitas atque castitas coronetur. Quid turbaris, Herodes, quia natus est Rex Judæorum? Regnum ejus non est de hoc mundo¹. Non quemadmodum tu times, sic ille regnabit. Tibi velox imminet finis; « Regni vero illius non erit finis? » Quid hic trepidas timore vivi? Non est timor; Rex qui natus est Judæorum, non tibi aufert vanissimum regnum, quod cum perdere formidas, perire non dubitas; sed suis Judæis regnabit Christus, non carnis, sed cordis circumcisionem habentibus; Judæis non littera, sed spiritu; Judæis non in oculis hominum, sed in occulto; Judæis qualium ipse rex est. Judæorum regnum præparat sempiternum, quod et si tu velis, quærere possis; non illis, sed cum illis; nec pro Christo, sed cum Christo sine fine regnare. Nunc innocentes occidendo cupis regnum tenere, quod sceleratus cogeris moriendo finire. Ille autem quem quæris auferre, et tibi superest vivus, et omnibus gentibus regnabit (2) occisus. Perge tamen nunc, et frequenta multorum parvulorum mortes, ut ad unius parvuli mortem quasi pervenias. Quod si feceris, ut putas, cum securitate regnabis. Noli metuere, noli turbari: parvulus, quem vis dare morti, ipse morti

¹ Joan. xviii, 36. — ² Luc. i, 33.

(1) Vide Serm. cxxxii Append., num. 3. — (2) Cod. regnavit.

venit auferre regnum, non tibi. Sed dicis forsitan: Occidam illum, ut ego vivam. Inane consilium est, interitur potius isto modo, quam vivitur. Crede in eum potius, si vis vivere; vita est, quem quæris occidere. Illi itaque Magi qui venerant, quærunt Dominum, quærit etiam Herodes; sed illi quærunt vivere in eum (1), quem iste quærit occidere. Denique ad infantem adorandum illorum perducitur amor, ad occidendum autem istius decipitur furor. Illi inveniunt salutem, stella ostendente; iste perniciem, cæcitate sæviante. Gaudent illi videndo; iste consumitur invidendo.

IV. Gaudeamus et nos, fratres, cum omnibus populis gentium, quorum primitias Magi illi fuerunt, ne pereamus cum Judæis, qui Herodem potius regem, quam Christum habere maluerunt. Detestanda est regis Herodis insania (2), et amplius magis miranda Judæorum stultitia, qui locum in quo Christus fuerat invenerunt, et eum in Bethlehem natum, sicut in Prophetis legerant, ostenderunt, et se ipsos per invidiam a fide nascentis Domini subtraxerunt, parati ad legendum, duri ad credendum. Hos ergo etiam nos in vetustate litteræ deseramus, et cum istis Magis ad adorandum Dominum nostrum Jesum Christum quotidie animos præparemus, et hanc sanctam festivitatem cum omni sobrietate et sanctitate celebremus, ut ad ipsum Dominum et Salvatorem nostrum cum omnibus Sanctis pervenire mereamur. Amen.

(1) Vide August. Serm. ccclxxxiii, num. 3. — (2) Vide Serm. cxxxii, Append. num. 3.

SERMO XLV.

In Octava Epiphaniæ Domini,

De Baptismo Christi.

Hic sermo, qui eruitur ex Cod. Cass. XII, fol. 71, tantis mendis scatet, ut vix aliquem sensum, nisi divinando reperire potuerimus. Pulchras nihilominus complectitur sententias cum nomine Augustini, quas, ut potuimus, ad veritatem sensus revocare curavimus. Ponatur post sermonem præcedentem.

SYNOPSIS.

I. Christus baptizatur, ut nos ad poenitentiam perducat. II. Joannis humilitas. III. Vidit cælum apertum, et Spiritum descendentem; quo modo? IV. Totum aperitur Trinitatis mysterium. V. Exhortatio ad baptismum.

I. Visum inter nos Deum, eundemque hominem ac (1) Deum nostrum atque Dominum Jesum Christum, atque in utroque probatas Dei hominisque virtutes, cum Prophetæ multifariam, tunc etiam sanctus Evangelista manifestat, ut sciremus, quia ideo Deus dignatus est hominem accipere (2), ut homo prævaricatione perditus, acciperet deitatem. Incarnationis igitur nativitate decursa,

(1) Cod. eumque hominem Deum nostrum. Deinde etiam male probatus.

(2) Deest in cod. vox accipere, quam requirit sensus.

posteaquam homo Deus istius corporis imbecillitates assumpsit, quemadmodum purificarentur crimina nostra perdocuit. Nam venit ad Joannem Baptistam lavari in poenitentia, ut nos illius baptismo salvemur. Sequimini et vos Filii Dei sacramenta justitiæ. Ille poenituit, cum poenitiæ causa non esset; vos flete, quibus poenitiæ causa suppetit (1). Ille carnis peccata diluit, vos lugite. Ille terrenis aquis munda abluit, vos immundo lacrymarum fonte diluite.

II. Stupuit ergo venerabilis Propheta ad poenitiæ baptismum venisse Deum, totumque venientis consternatione perterritus: « Propitius, inquit, esto, Domine. Ista quæ carnis lavacra sunt, lavacra sunt (2) peccatorum; ego famulos (3) baptizo, non Dominum. Scio quia ab aquis coelestibus venis; cur terrenis divina commaculas? Habes in te purissimos fontes, quorum fluxu (4) largissimo arentia rigas, et infœcunda fructificas. Utinam me, sancte, ad ista fluentia venire præcipias, tuisque manibus digneris adhibere, ut deposita (5) labe corporea, coelestia sequar, et carnis peccata jam nesciam. » Perseverat tamen in sua voluntate Salvator, Deumque se paulisper abscondens: « Sine, inquit, modo, sic enim » decet nos implere omnem justitiam¹. » Videte coeleste reponsum: non se esse denegat Dominus, sed quia carnem sumpsit, vult implere, quæ necessitas legis exoptulat. Hæc est enim justitia, ut hoc (6) accipiat, quod tribuat, et quæ sunt tradenda (7) Ecclesiæ, perficiat (8). Tunc dimisit eum Joannes; non ab eo discessit, sed dimisit (9)

¹ Math. III, 15.

(1) Cod. suspendat. — (2) Hæc iteranda videntur, quæ amanuensis non adscripsit. — (3) Cod. male famulus. — (4) Cod. fluore. — (5) Cod. male disposita. — (6) Id. quod. — (7) Id. tradendo. — (8) Id. perducat. — (9) Cod. dum sit.

propriæ voluntati, ut faceret quod volebat. Vidit enim baptismum Domini sanctificare aquas, et illud lavacrum jam non poenitentiae futurum esse, sed gratiæ.

III. « Et baptizato, inquit, Jesu, confestim ascendit » de aqua; et aperti sunt cœli¹. » Futura (1) velocitas in tradendo mysterio demonstratur, doceturque facilis (2) inter novum hominem veteremque migratio. Baptizatur Jesus, et arcana hominis secreta reserantur (3). Aperiantur Joanni cœli non ut profanent (4), sed ut peccatis nostris quæ ante clausa fuerant reserantur cœlestia (5). Aperiantur cœli, non divisione (6) elementorum, nec (7) abrupta dissiliunt, nec firmata manu Domini in diversa discedunt... (8). Verumtamen spiritualibus oculis patet, quod carnalis videre non prævalet. Denique repletus Spiritu sancto Ezechiel, ut quatuor animalium sacramenta dissekeret, apertos cœlos se videre testatur; similique modo sanctus Stephanus, in illa professione magna, plenus Spiritu sancto, intendens in cœlum, vidit gloriam Dei et Jesum stantem a dextris, et ait: « Ecce » video cœlos apertos, et Filium hominis stantem a dextris Dei². » Vidit ergo apertos cœlos, qui prophetizat in Spiritu; vidit cœlos apertos, qui in confessione Domini confitetur. « Et vidi, inquit, Spiritum Dei descendentem de cœlo, sicut columbam venientem in ipsum³, » id est, in Dominum nostrum Jesum Christum (9). Nec mirum si ipse vidit Spiritum sanctum venientem, qui ad

¹ Matth. iii, 16. — ² Act. iiii, 55. — ³ Matth. iii, 16.

(1) Cod. *itur*, et deinde *demonstrata*, et dictumque pro *doceturque*. — (2) Id. *faciles*. — (3) Id. *male reserantur*. — (4) Sic cod. errore quam sanare nescivi. — (5) Cod. *contagia*, pro quo diviniando posui *cœlestia*. — (6) Id. *de visione*. — (7) Id. *sed*. — (8) Hic quædam leguntur, quæ intelligere non potui. Videtur esse scriptum: *Nam et in eum suum cœli incommata materies*. Qui potest capere capiat. — (9) Vide Tract. v in Joannem, Serm. cxxxiv Append., num. 3; Serm. cccxi, num. 4.

matrem Domini necdum natus exultavit in utero, qui etiam in deserto ambulans annuntiat Salvatorem dicens: « Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus¹. » Dicit (1) fortasse aliquis: Quemadmodum videri potuit Spiritus Dei, cum sit invisibilis, atque incomprehensibilis, atque in omni elemento diffusus, quem Deum esse manifestum est. Sic enim in Evangelio Salvator dicit: quoniam « Deus spiritus est². » Sed videt (2) Spiritum Dei cor mundum, et pura cogitatio, ad quamcumque Spiritus sanctus dignatur accedere. Tunc se ipse vigore deitatis suæ, ut voluerit, manifestus insinuat. « Spiritus » enim ubi vult Spiritus³, » et regit cuncta, non regitur; totumque istud æterna mens convegetat (3), qua cœlum clausum est ac revelatum, mare diffusum, terra cooperta (4), et cum hoc magnum mundi corpus intraverit, rerum semina sua liberalitate (5) vivificat. Hæc est enim natura ipsius deitatis, ut ubi animum intenderis (6), ibi Dei Spiritum inesse non dubites.

IV. Obscura ergo et latens sancti Spiritus ratio, in baptismo Domini revelatur, totumque mysterium Trinitatis aperitur. Nam sciens Spiritus Dei Verbum Dei, ut similem suam hominibus ostenderet potestatem, cum sit subtilis, simplex, sanctus et investigabilis, imaginem columbæ suscepit; quoniam vidit Deum in carne hominem suscepisse. Pater autem, quem nemo vidit unquam, nisi unigenitus Filius⁴, ne quid Trinitatis deesset (7) substantiæ, voce prosequitur, ut Christum, quem Spiritus sanctus demonstrabat, proprio testimonio designaret. Sic

¹ Matth. iii, 3. — ² Joan. iv, 24. — ³ Id. iii, 8. — ⁴ Id. i, 18.

(1) Cod. *dicat*. — (2) Id. *vidit*. — (3) Id. *non vegetat*, et deinde *quod*. — (4) Id. *coopertum*. — (5) Id. *libertate*. — (6) Id. *intendaris*. — (7) Id. *deesse*.

euim dicit : « Hic est filius meus dilectus , in quo mihi » complacui¹. » O magnum divinæ potestatis arcanum ! Quam (1) investigabiles viæ sunt Spiritus Dei ! Innocuæ avis imitatus effigiem super baptizatum Jesum de cœlorum arce descendit , ut ostenderetur nobis , quia baptismum sancti Spiritus comitatur infusio , simul etiam ut error perfidiæ confutaretur (2) , ne quis diceret vocem Dei ad Joannem potius , quam ad Filium Dei currisse.

V. Libet hoc loco , fratres , adversus impios indignatione prosilire , improbamque lacerare perfidiam Judæorum quod venisse non credunt eum , qui (3) cœlo teste monstratur , et negant Deum , quem Pater Filium confitetur. Quapropter , dilectissimi , una mente unaque constantia confitemini Deum Patrem , ejusque Filium Jesum , et Spiritum sanctum , tanquam tamen unam esse substantiam. Vos quoque , amantissimi , quibus apostolicæ lectionis (4) præbemus illecebram , ad baptismum festinate. Nihil illic humile (5) , nihil putetis abjectum. Ad hæc lavacra Salvator mundi venire dignatus est ; properate (6) ergo , « Dum lumen est , ne vos tenebræ comprehendant². » Habeat (7) licet aliquis vulnera criminum , et maculas peccatorum , hæc abluta vivo fonte sanabimus. Ibi vobis purgata conscientia veterum (8) delictorum , spirituale lumen infundens , magnum (9) diei istius complebo sacramentum , reseratoque cœlo Christum vobis Dominum demonstrabo , cui est potestas , honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

¹ Matth. iii , 17. — ² Id. xii , 35.

(1) Cod. quoniam. — (2) Deest vox confutaretur in cod. , quam propter sensum restituimus. — (3) Cod. cumque. — (4) Id. apostolici lectis. — (5) Id. nihil illis humilem. — (6) Id. propterea. — (7) Id. habebat , et deinde sanavimus. — (8) Id. ibi vos purgat conscientiam veterem. — (9) Cod. mihi.

SERMO XLVI.

In Quadragesima I.

Sermo iste ex Cod. xii, fol. 83 erutus, idem est, excepto principio, ac sermo extractus ex eodem Cod. xii, fol. 198, de Pœnitentia, quem stampis subdidimus in primo Supplemento serm. lxxv. Unde hic principium solum posuimus, variantibus tantum lectionibus quoad reliqua alibi ad digitatis. Ponatur post sermonem Maurinensem cxxi, cum vere sit in Quadragesima, licet in editis nostris dicatur solum de Jejunio, cum numero in quadragesima viii.

PROPHETA qui lectus est , dilectissimi , annuntiare jejunium , et prædicare curationem jubet. Jejunium itaque , dilectissimi , idem tempus quadragesimæ , quod ingredi-mur (1) , curationem nostram Propheta nominat. Venit ergo medicus ; parent se , qui curentur , ægroti. Medicus utique , dilectissimi , et quidem non talis (2) medicus , quales medici corporales sunt , qui operam præstare possunt , sanitatem conferre non possunt. Quid enim Propheta dicit : « Annuntiate jejunium , prædicate curationem¹ ; » conjungit curationem annuntiationi (3) , ut quicumque curari vult , possit de sanitate esse securus ; curatio hæc a Deo est , dilectissimi ; omnes enim medici , infirmi sunt , nisi eos ista medicina sanaverit. Ostendant

¹ Joël. i , 14.

(1) Cod. ingreditur. — (2) Id. male equidem non satis. — (3) Id. caritatem curationi.

euim dicit : « Hic est filius meus dilectus , in quo mihi » complacui ¹. » O magnum divinæ potestatis arcanum ! Quam (1) investigabiles viæ sunt Spiritus Dei ! Innocuæ avis imitatus effigiem super baptizatum Jesum de cœlorum arce descendit , ut ostenderetur nobis , quia baptismum sancti Spiritus comitatur infusio , simul etiam ut error perfidiæ confutaretur (2) , ne quis diceret vocem Dei ad Joannem potius , quam ad Filium Dei currisse.

V. Libet hoc loco , fratres , adversus impios indignatione prosilire , improbamque lacerare perfidiam Judæorum quod venisse non credunt eum , qui (3) cœlo teste monstratur , et negant Deum , quem Pater Filium confitetur. Quapropter , dilectissimi , una mente unaque constantia confitemini Deum Patrem , ejusque Filium Jesum , et Spiritum sanctum , tanquam tamen unam esse substantiam. Vos quoque , amantissimi , quibus apostolicæ lectionis (4) præbemus illecebram , ad baptismum festinate. Nihil illic humile (5) , nihil putetis abjectum. Ad hæc lavacra Salvator mundi venire dignatus est ; properate (6) ergo , « Dum lumen est , ne vos tenebræ comprehendant ². » Habeat (7) licet aliquis vulnera criminum , et maculas peccatorum , hæc abluta vivo fonte sanabimus. Ibi vobis purgata conscientia veterum (8) delictorum , spirituale lumen infundens , magnum (9) diei istius complebo sacramentum , reseratoque cœlo Christum vobis Dominum demonstrabo , cui est potestas , honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

¹ Matth. iii , 17. — ² Id. xii , 35.

(1) Cod. quoniam. — (2) Deest vox confutaretur in cod. , quam propter sensum restituimus. — (3) Cod. cumque. — (4) Id. apostolici lectis. — (5) Id. nihil illis humilem. — (6) Id. propterea. — (7) Id. habebat , et deinde sanavimus. — (8) Id. ibi vos purgat conscientiam veterem. — (9) Cod. mihi.

SERMO XLVI.

In Quadragesima I.

Sermo iste ex Cod. xii, fol. 83 erutus, idem est, excepto principio, ac sermo extractus ex eodem Cod. xii, fol. 198, de Pœnitentia, quem stampis subdidimus in primo Supplemento serm. lxxv. Unde hic principium solum posuimus, variantibus tantum lectionibus quoad reliqua alibi ad digitatis. Ponatur post sermonem Maurinensem cxxi, cum vere sit in Quadragesima, licet in editis nostris dicatur solum de Jejunio, cum numero in quadragesima viii.

PROPHETA qui lectus est , dilectissimi , annuntiare jejunium , et prædicare curationem jubet. Jejunium itaque , dilectissimi , idem tempus quadragesimæ , quod ingredi-mur (1) , curationem nostram Propheta nominat. Venit ergo medicus ; parent se , qui curentur , ægroti. Medicus utique , dilectissimi , et quidem non talis (2) medicus , quales medici corporales sunt , qui operam præstare possunt , sanitatem conferre non possunt. Quid enim Propheta dicit : « Annuntiate jejunium , prædicate curationem ¹ ; » conjungit curationem annuntiationi (3) , ut quicumque curari vult , possit de sanitate esse securus ; curatio hæc a Deo est , dilectissimi ; omnes enim medici , infirmi sunt , nisi eos ista medicina sanaverit. Ostendant

¹ Joël. i , 14.

(1) Cod. ingreditur. — (2) Id. male equidem non satis. — (3) Id. caritatem curationi.

itaque, dilectissimi, ostendant Deo cunctos languores suos. Vulnus latet et crescit; malum quamdiu tegitur, augetur.....

SERMO XLVII.

In Quadragesima II.

Dignus sermo qui in lucem emittatur, ut legenti patebit. Educitur ex Cod. Cass. XII, fol. 86, cum nomine sancti Augustini. Locus ejus post præcedentem, cum numero in Quadragesima IX.

SYNOPSIS.

I. Institutum exemplo Christi jejunium, ut abstinentia repararet, quod perdidit intemperantia. II. Commendatur etiam Moysis exemplo. III. Jejunii virtus. IV. Perfectius jejunium, quod interne agitur vincendo cupiditates, aut pauperibus subveniendo.

I. « Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis¹. » Adsunt dies, fratres, per quos afflictione corporum salutem operamur animarum, in quibus conteritur quidem exterior homo noster, sed (1) interior vivificatur: jejunium enim, animæ quidam pastus est, quia sicut injungit laborem, ita proficit ad salutem. Dominus et Deus noster Jesus Christus inter cætera salutis exempla, etiam jejuniorum præsentium nobis formam reliquit qua-

¹ 2 Cor. vi, 2.

(1) Cod. se.

draginta jejunii dies exigens. Ergo ipse est auctor jejunii tui, qui et retributor erit laboris tui. Jejunavit itaque quadraginta diebus Dominus, et utique peccatum ille nec fecerat, nec metuebat. Quæ jejunia, si votiva fuerunt Deo ab erroribus libero, quanto magis necessaria sunt homini erroribus obnoxio, et si expetita non delinquenti, quanto magis exoptanda peccanti (1). Adam enim ille princeps generis humani (2), cum degustata arbore, jejunia utique indicta temerasset, qui fuerat possessor Paradisi, factus est præceptor peccati (3). Quo peccato ejus etiam in nos usque suum illum stimulum mors tendit. Amet ergo abstinentiam, qui vitam cupit, quia cibus, ut agnoscitis, appetitus (4) mortem paravit, et tamen ille callidus serpens, per intemperantiam gulæ (5) primi parentis seductor, etiam ad jejunantem tentator accessit? Quid enim ille non audeat? Sed jejunans Dominus hunc eundem hostem antiqui temporis confutavit, supplantatoremque veteris Adam novus Adam repulit. O mira abstinentiæ virtus, ut diabolus qui per incontinentiam vicerat, jejunio vinceretur!

II. Quadraginta etiam Moyses dies fertur transegisse jejunio, cum acciperet Dei legem. Jejunia sunt utique, quæ Dei præcepta et accipere merentur, et accepta possunt servare. Moyses jejunans Dei vocibus, Dei fruebatur aspectibus; populus vero ejus, cibo et potui (6) deditus, decucurrit ad gentilium cultum deorum, et superstitioni vacavit, quia (7) vacaverat saturitati.

III. Itaque sicut ostendimus, quia non solum Dominus, verumetiam Moyses, et aliqui nonnulli horum je-

(1) Cod. male *exoptandam peccandi*. — (2) Consimilia verba reperiuntur in Sermonibus cxxiv, Append. oper. S. August. num. 1. — (3) Cod. *præcepti*. — (4) Id. *appetit*. — (5) Eadem verba habentur in Sermonibus cxxvii, num. 2. — (6) Id. *potu*. — (7) Id. *qua*, et antea *vacabit*.

juniorum nobis exempla præbuerunt, nunc videamus, quid (1) jejuniis ipsis emolumenti utilitatisque commendatur. Salvator ad Discipulos de diabolo loquitur, et dicit: «Hoc genus non ejicietur, nisi in jejunio et oratione¹.» Ergo quem a diabolo obsessum Apostoli absolvere non poterant, jejunia dicuntur posse purgare, testimonio Domini. Hæc sola res est, quæ illis virtutibus nos (2) valet efficere majores. Videte ergo, fratres, quæ jejunii virtus sit, quantam hominibus (3) præstare possit gratiam, si potest et alteri præstare medicinam; quemadmodum propriis sanctificet hominem, quod ita purificet alienum. Magna res est, fratres, altero (4) jejunante, etiam in aliud jejunii redundare utilitatem.

IV. Sed non ista tantum a nobis jejunia, quæ injungi nunc creditis, exiguntur. Est aliud perfectius (5) in secreta nostri parte jejunium, et hoc est acceptius (6) Domino quo occultius, id est, ut jejunemus, et omnibus illis cupiditatibus, quas nobis adversus spiritum caro suggerit, abstineamus. Parum est enim abstinere cibis, nisi abstineamus et vitiis. Parum est cohibuisse nos ab edacitate (7), nisi et ab avaritia, adhibita in pauperes largitate, cohibeamus. Parum est non indulsisse ventri, si usque ad jurgia nunc elati, indulgemus furori; atque idcirco vincamus et linguam, qui gulam vicimus. Dissentionibus, rixis, iniquitatibus abstineamus (8), ne illud propheticum in nos dicatur: Non tale jejunium ego elegi, dicit Dominus, «Sed solve omne vinculum iniquitatis;» dissolve obligationes vehementium commutationum;

¹ Marc. ix, 28.

(1) Cod. qui Dei, et deinde utilitatis. — (2) Id. magnos. — (3) Id. homini sui. — (4) Id. altera; et deinde redundat. — (5) Id. alius perfectus. — (6) Id. dum Domino. — (7) In cod. desunt verba nos ab. — (8) Vide Serm. cxlvi, Append. num. 1, et Serm. S, August. ccvi, num. 3.

» dimitte contractos in remissione, et omnem conscriptionem iniquam disrumpe. Frange esurientibus panem tuum, et pauperes sine tecto induc in domum tuam. Si videris nudum, operi eum, et domesticos seminis tui non despicias. Tunc erumpet matutinum lumen tuum, et sanitates tuæ cito orientur, et præcedet ante te justitia, et majestas Dei circumdabit te. Tunc clamabis et Deus exaudiet te, adhuc te loquente dicet (1): Ecce adsum¹.» Agnoscitis itaque, dilectissimi, et quale jejunium eligat Dominus Deus noster, et quod præmium ita jejunantibus spondeat. «Frangere, inquit, esurienti panem tuum, et pauperes sine tecto induc in domum tuam.» Ergo illud est acceptum Domino jejunium, ut his diebus inopi largiaris quod subtraxeris tibi: quia religiosa fide dignum est, ut abstinentia vestra non avaritiæ lucrum sit, sed misericordiæ. Tunc erit plena laboris tui merces, si alius in jejunii tui labore requiescat.

SERMO XLVIII.

In Quadragesima III.

Erutus, ut præcedens, ex Cod. Cass. XII, fol. 87, hic sermo sancto Augustino nullatenus abjudicandus videtur, cujus nomen habet in codice. Ponatur post sermonem præcedentem cum numero in Quadragesima X.

SYNOPSIS.

I. Quod sit jejunium, quod Deo displiceat. II. Quod sit qui placeat illi.

¹ Isai. lviii, 6-9.

(1) Cod. dicit.

I. CUM jejunii dies advenerint, dilectissimi, convenienter nobis Propheta, qui lectus est, jejunandi exposuit disciplinam, maxime quia dicit, non omnia Deo accepta esse jejunia; ac per hoc diligenter jejunaturo homini præcavendum est, ne dum putat jejunando se (1) satisfacere, ipso incipiat jejuniis displicere. Quæ enim Prophetæ verba sunt? « Quid est, inquit, quod jejunavimus, et » non vidisti, humiliavimus animas nostras, et nescisti¹. » Conqueri homines Propheta dicit, cur ad jejunia eorum Dominus non respexerit, et humiliationem eorum abstinentiamque nescierit, quasi vero sit, quod Dominus nesciat, qui, ut scriptum est, « Omnia ante novit quam » fiant². » Quomodo enim nescit quæ sunt, cum sciat etiam illa quæ non sunt? Sed nescire utique, dilectissimi, nescire (2) illa dicitur Deus, quæ indigna sunt, ut sciantur; ac per hoc quidquid pravum est et iniquum, ideo a Deo dicitur ignorari, quia non meretur agnosci. Unde etiam in consequentibus dicit: « In diebus jejuniorum » vestrorum inveniuntur voluntates vestræ, et omnes subditos vobis stimulat: ad judicia et pugnas jejunatis³. » Videtis itaque, dilectissimi, non ipsa jejunia per se Deo, sed opera jejunantium displicere. « Ad judicia, inquit, et » pugnas jejunatis. » Quid enim prodest, o homo, quod ejunas cum litibus, jejunas cum discordia, jejunas cum rixa? Parum est, quod corpus jejunum habeat, cujus animus iniquitate ebrius est. Quid subditos vobis, inquit Propheta stimulat (3), et pugnis cæditis humilem? Videte inquam, ipsi videte, o dilectissimi, quale sit jejunium illud, ubi esuritur et cæditur, ubi jejunatur et cruor funditur, ubi venter vacuus est pane et manus

¹ Isai. LVIII, 3. — ² Dan. XII, 42. — ³ Isai. 3, 4.

(1) Cod. non mendose. — (2) Hoc verbum repetitum nescire abundare videtur. — (3) Cod. stimulantis; qui et prius quot, pro quid.

plena sanguine; et ideo rectissime Dei sermo sequitur, et dicit: « Ut quid mihi jejunatis? » Hoc est dicere, Ut quid mihi jejunatis, qui vobis litigatis? Ut quid mihi imputatis officium per abstinentiam vestram, cui facitis injuriam per discordiam vestram? Et verum est, dilectissimi; parum est non manducando Deo offerre cultum, et peccando convicium (1). Convicior, qui nihil dico? Omne opus malum convicium est Dei, et ideo, ut audistis, Dominus per Prophetam: « Non hoc jejunium, inquit, elegi, nec si flectas ut circulum collum tuum, » nec sic vocabitur jejunium acceptum¹. » Bene itaque ait, quia parum est collum flectere, et animum non humiliare. Quid enim prodest, o homo arrogans, quod cervicem tuam ad officium deflectis, qui humiles et pauperes resupino pectore dedignaris? Erras, inquit, erras, quicumque talis es. Officium te Deo deferre aestimas, cum imaginem Dei in ipso homine contemnas?

II. Nec immerito dicit Dominus: Non tale jejunium elegi; sed « Solve, inquit, omne vinculum injustitiæ². » Solve ab hominibus omnia vincula iniquitatis. Jubet itaque in hoc ut (2) ipse se homo solvat, ubi iniquitatis vincula solverit, quia cuncta injusta vincula ipsum primum alligantem colligant. Ac per hoc nolo te in hac re alteri plus præstare, quam tibi. Crede, nisi alterum solveris, esse te alligatum scias. « Solve, inquit Scriptura, obligationes violentarum mercationum, et omnem » conscriptionem iniquam disrumpe. » Avaritia hic, dilectissimi, id est, cupiditas admonetur; utique ut emptio violentia extorta (3), et cautio male conscripta rumpatur: delendæ ergo sunt omnes litteræ, quæ salutem ho-

¹ Isai. LVIII, 5. — ² Ib. d. 6.

(1) Cod. non habet hanc vocem convicium, sed tantum peccando convicior, qui nihil dico. — (2) Deest ut in cod. — (3) Cod. exorta.

minis impugnant. Melius enim est ut (1) cautio sit vacua, quam ut anima fiat (2) vitiosa. Melius per jejunia placare Deum, per eleemosynas, per hospitalitatem, quia, cum nemo sit qui non in aliquo reus sit, facilius pro se impetrat, qui per multos intercessores rogat.

SERMO XLIX.

In Ramis Palmarum I.

Duo movere possent dubium, utrum hic sermo possit sancto Augustino attribui, 1° quidem quod loquatur de palmis a fidei populo gestatis, quæ consuetudo non videtur introducta in Ecclesiam occidentalem, nisi sexto sæculo; 2° quod invitet ad sancte communicandum in Paschate, ubi potius loquebatur de Baptismo, quam de Eucharistia. Sed quoad primum, sermones sunt sancto Ambrosio tributi, qui eam solemnitatem commemorant; quoad autem secundum, nemo nescit quoties sanctus Chrysostomus ad sancte communicandum in festis solemnioribus Christianos adhortetur. Hinc sermo iste ex Bibl. Laur., Plat. XIV, cod. 1 extractus, poni potest inter Augustinianos post præcedentem cum numero in Ramis Palmarum I.

SYNOPSIS.

I. Adveniente Pascha odium deponendum, mundandaque corda, ut Christus digne suscipiatur. II. Cur rami palmarum gestentur in manibus. III. Bono incepto fortiter insistendum.

I. FRATRES dilectissimi, dignum est, ut semper quando ad Ecclesiam convenitis, divinum sermonem in auribus

(1) Deest ut in cod. — (2) Cod. forte.

vestris insonamus (1), maxime tamen modo oportet, ut in his diebus Dei sermonem vobis annuntiando, fraternitatem vestram admoneamus, quatenus omnibus sæcularibus curis abjectis, divinis tantum studeatis obedire præceptis. Legimus enim quod istos dies observare debetis. Certe ita istos dies observare debemus, ut apud nullum ex fratribus nostris, qui nobiscum unum Deum adorant, aliquod odium vel iram habeamus, timentes illud quod scriptum est: « Omnis qui odit fratrem suum, homicida » est¹. » Et si in Pascha Domini corpus dominicum accipere volumus, corpus nostrum et animam nostram ab omni avaritia, et ab omni luxuria, ab omni ira et ab omni odio, ab omni turpiloquio et ab omni peccato mundum et mundam habeamus, quatenus Domini nostri Jesu Christi corpus et sanguinem ad profectum, et non ad detrimentum suscipiamus: sic enim dicit Apostolus: « Quicumque corpus et sanguinem Domini indigne manducat et bibit, iudicium sibi manducat et bibit¹. » Scitis, fratres, quia si aliquis vestrum hodie temporalem seniore (2) suum in domo sua deberet suscipere, quam citius festinaret ipsam domum suam scopis mundare, et ab omni sorde et vitio illam alienare, ut cum ipse senior (3) suus ad domum suam veniret, mundam et non sordidam illam inveniret. Si ergo illum seniore, qui ad tempus nobis prodesse et nocere potest, cum tanta reverentia et dignitate, quantam (4) diximus, volumus suscipere, multo magis debemus laborare, et corpus et animam nostram multis vigiliis, et orationibus, et eleemosynis adornare, quatenus corpus æterni Domini nostri Jesu Christi, qui in hoc et in futuro sæculo inenarrabiliter potest pro-

¹ Joan. III, 15. — ² 1 Cor. XI, 29.

(1) Deest vox insonamus in cod. — (2) Forte superiorem. — (3) Forte superior, et sic infra superiorem. — (4) Cod. quanta.

desse et nocere, cum mundo corde et casto corpore valeamus recipere.

II. Denique sciendum est omnibus vobis, unde hæc talis consuetudo crevit, quod has olivas et palmas hodie in manibus portemus. Certe antiquo tempore fuit consuetudo, ut si quis rex ad alium regem, vel si quilibet potens ad alium potentem causa pacis et non belli ire deberet, statueret ut olivæ illum antecederent. Oliva enim in sacro eloquio pacem significat, ut per ipsas olivas ipse rex, vel ipse potens posset cognoscere, quia ille quem prædictæ olivæ præcedebant non causa bellandi, sed causa pacis advenire volebat. Item, altera consuetudo erat, ut si aliquis rex contra inimicos suos in bellum procederet (1), et adjutus misericordia Dei, de suis inimicis victoriam haberet, cum reverteretur, palmæ ante illum portarentur, ut per illas possent homines intelligere ipsum regem omnes suos superasse inimicos. Ad quam similitudinem nos quoque modo olivas et palmas in manibus portamus. Olivas portamus, ut nos pacem habere cum Domino nostro Jesu Christo, ad cuius corpus suscipiendum (2) properamus, ostendamus. Palmas vero ideo portamus, ut nos victoriam de diabolo, cum quo ista quadragesima magnum prælium habere debuimus, reportasse (3) ostendamus. Consideret ergo unusquisque intra se, fratres charissimi, si pacem factam cum Domino nostro Jesu Christo habeat, et si diabolum cum quo magnum jubemur habere prælium, habeat superatum. Ille namque pacem habet factam cum Domino, et victoriam de diabolo, qui si aliquod in toto isto anno peccavit, hac quadragesima orando, et multas vigiliis faciendo, et longis jejuniis carnem suam macerando, illud in

(1) Cod. male *procederet*. — (2) Cod. *susciendus*. — (3) Deest vox *reportasse* in cod.


quo peccavit, delevit, et si cibum quem corpori suo abstulit, pauperibus dedit. Certe inaniter ille jejunit, qui de cibo, a quo corpus suum abstinet, non pauperum corpora sustentat, sed suum corpus. Dignum est enim, ut unde nostra caro affligitur, inde pauperum caro reparetur. Si quis tamen ista quadragesima corpus suum luxurie macula coinquinavit, et pauperibus de sua substantia aliquid dare noluit, et invidiæ facibus accensus fuit, et vigiliis et orationibus deditus non extitit, et aliquid alicui furando defraudavit, ille sine dubio non habet pacem factam cum Domino, neque victoriam de diabolo, quia non Domini voluntati consensit, sed in omnibus (1) sua colla diabolo subdidit.

III. Vos hortor (2), fratres charissimi, ut si in primordio hujus sanctæ quadragesimæ bonis operibus cœpistis insistere, modo amplius insistetis, et Domino deservire in omnibus studeatis, quia nemo per bonam inchoationem potest Domino placere, nisi bonum, quod inchoavit, usque ad finem studeat perducere. Nunc ergo, fratres dilectissimi, cum magna cura et sollicitudine eleemosynas jejunando facite, et vigiliis, et orationibus ac omnibus bonis operibus vigilanter insistite, et si aliquid alicui per malum ingenium rapuistis, festinanter reddite, sequentes Zacchæum, qui si aliquid alicui tulit, amore Dei accensus, omnia in quadruplum restituit¹. Decimas et primitias tempore congruo cum magno amore date, et si aliquis in vos peccavit pro amore Dei illi indulgete, quia si hæc feceritis, tunc orationem dominicam non ad damnationem, sed ad vestram salutem cantare poteritis. Ostendite (3) itaque omnibus bonis operibus, in quantum potestis, vos adornatos, ut in Paschali solemnitate, corpus et sanguinem Domini cum mundo corpore et casta

¹ Luc. xix, 8.

(1) Cod. *in omni*. — (2) Id. *quapropter*. — (3) Id. *studete*.

mente (1) valeatis suscipere, et ad futuram gloriam quam ista Paschalis solemnitas significat, possitis pervenire; quod ipse præstare dignetur qui cum Patre, et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.



SERMO L.

In Ramis Palmarum II.

Educitur hic sermo ex Cod. Cass. cccclxxxvii, fol. 118. Dignus est, qui scriptus fuerit a beato Augustino, propterea non indignus qui legatur. Locus ejus post præcedentem cum numero in Ramis palmarum II.

SYNOPSIS.

I. Verba Prophetarum verba sunt Spiritus sancti. II. Salomon Christi prænuntius. III. Ejusdem figura. IV. Ingressus Christi Jerosolymam. V. Christus triplici diademate coronatus. VI. Christo compatiendum, ut conregnemus.

I. «EGREDIMINI, filiæ Sion, et videte regem Salomonem in diademate quo coronavit eum mater sua, in die desponsationis illius, et lætitia cordis ejus¹.» Verba ista, dilectissimi, Salomonis non sunt, imo Spiritus sancti, qui per eum tanquam per suum organum loquebatur; erat enim «Lingua ejus calamus scribæ (2) velo-

¹ Cant. iii, 11.

(1) Cod. *mentis*. — (2) *Id. scribens*.

citer scribentis¹.» Sicut enim scriptoris calamus nullam potest per se membranæ figuram imprimere, nisi scribentis moveatur articulo, sic et doctorum lingua nullum ex se utilem valet proferre sermonem, nisi Spiritus sancti gratia intrinsecus doceatur. Nisi enim intus sit, qui doceat, in vanum lingua doctoris exterius laborat.


II. Salomon ergo per Spiritum providens ad redemptionem humani generis futurum in carne Salvatoris adventum, in occurso tantæ redemptionis et gratiæ, ad intuendum nostræ salutis auctorem filiam Sion invitat dicens: «Egredimini, filiæ Sion.» Vos, inquam, qui legis onere prægravati estis, et in Ægypto vetusta Pharaonis servitute jacetis oppressi, egredimini de vetustate litteræ occidentis in novitatem (1) Spiritus vivificantis²; egredimini de servitute legis antiquæ, in libertatem novæ legis et gratiæ; egredimini de umbra et caligine Veteris Testamenti, in veritatem et lucem Evangelii. Ideo enim præcesserunt figuræ, ut sequerentur effectus, et adventu (2) rerum nuntiarum, complerentur officia nuntiorum. Quamdiu enim nube litteræ estis obtecti, et peccatorum caligine involuti, et quamdiu Ægyptum, tenebrarum scilicet et dissimilitudinis regionem incolitis, quamdiu estis in luto et latere occupati, regem Salomonem non poteritis contemplari. Egredimini ergo non motu corporis, sed affectu, non itinere proficiscendo, sed fide proficiscendo, et videte regem Salomonem regnantem in Jerusalem.

III. Salomon autem, rex Jerusalem, dignitate, loco et nomine Salvatorem præfiguravit. Redemptor etenim noster Rex regum est Dominus dominantium, ipse est

¹ Psal. xlii, 2. — ² 2 Cor. iii, 6.

(1) Cod. *novitate*, et deinceps *libertate*. — (2) *Id. adventus*, et deinde *nuntiarum*.

mente (1) valeatis suscipere, et ad futuram gloriam quam ista Paschalis solemnitas significat, possitis pervenire; quod ipse præstare dignetur qui cum Patre, et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.



SERMO L.

In Ramis Palmarum II.

Educitur hic sermo ex Cod. Cass. ccclxxxvii, fol. 118. Dignus est, qui scriptus fuerit a beato Augustino, propterea non indignus qui legatur. Locus ejus post præcedentem cum numero in Ramis palmarum II.

SYNOPSIS.

I. Verba Prophetarum verba sunt Spiritus sancti. II. Salomon Christi prænuntius. III. Ejusdem figura. IV. Ingressus Christi Jerosolymam. V. Christus triplici diademate coronatus. VI. Christo compatiendum, ut conregnemus.

I. «EGREDIMINI, filiæ Sion, et videte regem Salomonem in diademate quo coronavit eum mater sua, in die desponsationis illius, et lætitia cordis ejus¹.» Verba ista, dilectissimi, Salomonis non sunt, imo Spiritus sancti, qui per eum tanquam per suum organum loquebatur; erat enim «Lingua ejus calamus scribæ (2) velo-

¹ Cant. III, 11.

(1) Cod. *mentis*. — (2) *Id. scribens*.

citer scribentis¹.» Sicut enim scriptoris calamus nullam potest per se membranæ figuram imprimere, nisi scribentis moveatur articulo, sic et doctorum lingua nullum ex se utilem valet proferre sermonem, nisi Spiritus sancti gratia intrinsecus doceatur. Nisi enim intus sit, qui doceat, in vanum lingua doctoris exterius laborat.

II. Salomon ergo per Spiritum providens ad redemptionem humani generis futurum in carne Salvatoris adventum, in occurso tantæ redemptionis et gratiæ, ad intuendum nostræ salutis auctorem filiam Sion invitat dicens: «Egredimini, filiæ Sion.» Vos, inquam, qui legis onere prægravati estis, et in Ægypto vetusta Pharaonis servitute jacetis oppressi, egredimini de vetustate litteræ occidentis in novitatem (1) Spiritus vivificantis²; egredimini de servitute legis antiquæ, in libertatem novæ legis et gratiæ; egredimini de umbra et caligine Veteris Testamenti, in veritatem et lucem Evangelii. Ideo enim præcesserunt figuræ, ut sequerentur effectus, et adventu (2) rerum nuntiarum, complerentur officia nuntiorum. Quamdiu enim nube litteræ estis obtecti, et peccatorum caligine involuti, et quamdiu Ægyptum, tenebrarum scilicet et dissimilitudinis regionem incolitis, quamdiu estis in luto et latere occupati, regem Salomonem non poteritis contemplari. Egredimini ergo non motu corporis, sed affectu, non itinere proficiscendo, sed fide proficiscendo, et videte regem Salomonem regnantem in Jerusalem.

III. Salomon autem, rex Jerusalem, dignitate, loco et nomine Salvatorem præfiguravit. Redemptor etenim noster Rex regum est Dominus dominantium, ipse est

¹ Psal. XLIV, 2. — ² 2 Cor. III, 6.

(1) Cod. *novitate*, et deinceps *libertate*. — (2) *Id. adventus*, et deinde *nuntiarum*.

rex justitiæ, ejus generatio non habet finem. Ipse est, « Per quem reges regnant, et principes operantur justitiã¹, » qui fideles suos, quos condidit, inter procel- las et turbines hujus sæculi gubernare et regere non desistit, cui Psalmista decantat: « Deus, judicium tuum » regi da, et justitiã tuam filio regis². » Ipse etiam est verus Salomon, id est, pacificus; Salomon quippe pa- cificus interpretatur. Propter peccatum enim prævarica- tionis antiquæ, discordiam cum nostro Conditore habui- mus, et ab ejus pace longe recessimus, imperio cujus negleximus obedire. Apparens autem in carne Dei Filius, natus ex virgine sine integritatis injuria, servi formam suscipiens sine conditione servuli, communis in genere, sed alienus a crimine, nos Deo Patri reconciliavit, et pa- cem primi parentis peccato perditam, interpositionesui sanguinis reformavit, « Pacificans per sanguinem suum » ea quæ in cœlis sunt, et quæ in terris³, pacem faciens » iis, qui prope, et qui longe erant⁴. » Unde et ad nos veniens, pacem ad nos attulit, et nos deserens pacem re- liquit. Redemptore enim nato inter ipsa sui ortus primor- dia, multiplici Angelorum voce est decantatum: « Gloria » in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ volun- » tatis⁵. » Cum vero cœlos ascenderet (1), cum doceret universam Ecclesiam « Servare unitatem spiritus in vin- » culo pacis⁶, » discipulis suis custodiendæ dilectionis et pacis mandatum tribuit, dicens: « Pacem meam do vobis, » pacem relinquo vobis⁷. » Ecce audistis qualiter dignitate et suo nomine Salomon designaverit Salvatorem; nunc etiam quomodo ex loco in quo regnaverit, eundem præ- figuraverit, fideli mente attendite. Salomon quippe non

¹ Prov. viii, 15. — ² Psal. lxxi, 1. — ³ Coloss. 1, 20. — ⁴ Ephes. ii, 17. — ⁵ Luc. ii, 14. — ⁶ Id. iv, 3. — ⁷ Joan. xiv, 27.

(1) Cod. male *ascenderit*.

regnavit in Babylonia, ut Nabuchodonosor, non in Ægypto, ut Pharaos, sed tantum Israëlitici regni gloria fuit et honore contentus. Et noster verus Salomon, Do- minus Jesus Christus, non in Babylonia, civitate scilicet confusionis, et ubi labium universæ terræ confusum est, regnat, sed « In civitate Dei nostri, et in monte sancto » ejus¹; » non in Ægypto, regione scilicet tenebrarum, peccati et mortis obtinet principatum, sed in Jerusalem, civitate regia, arcem sui fundavit imperii; Jerusalem quippe visio pacis interpretatur. Et Redemptor noster in his regnat, quiescit et habitat, qui terrena despiciunt, transitoria hæc et caduca contemnunt, et ad visionem pacis æternæ tota mentis intentione festinant, dicentes cum Apostolo: « Nostra autem conversatio in cœlis est². » Inde est quod Redemptor noster inter homines conversa- tus quocumque iret, quocumque diverteret, præcipue tamen Jerosolymam (2), et ad templum Patris ejus erat regressus.

IV. Unde et appropinquante passionis suæ tempore, cum venisset Bethphage ad montem Oliveti, ab infinita Judæorum et Gentilium turba, cum olivarum sarculis, floribus et palmis sui Redemptoris futurum triumphum et victoriam designantibus (1), cum summa gloria et de- votione suscipitur³; et ipse ut nobis patientiæ et humi- litatis præberet exemplum, postposita gloria qua Patri per omnia similis est et æqualis, vilis aselli tergo insidens, Jerosolymam multum humilis, et ideo gloriosus intravit. O quam stupenda pietas! mira Dei clementia! sessor aselli fieri dignatus est auctor sæculi. Asello insidet, qui totam mundi machinam pugillo concludit, ut nos super astra sublimet. Habeant reges et principes mundi propter

¹ Psal. xlvii, 2. — ² Philip. iii, 20. — ³ Matth. xxi, 1, etc.

(1) Cod. *Jerosolymis*. — (2) Id. *designantes*.

pompam et gloriam sæcularem currus aureos, et equos suos auro, serico et mira gemmarum varietate ornatos: Rex noster contra diabolum pugnaturus, armis humilitatis armatus in asello triumphat. « Hi in curribus, et hi in equis¹, nos autem cum Rege nostro in humili aselli vehiculo triumphamus. Unde et ei per Prophetam dicitur: « Dicite filiæ Sion: Ecce rex tuus venit tibi mansuetus sedens super pullum asinæ². »

V. Invitat nos ergo Spiritus sanctus ad intuendum tam humilem Salomonem, Dominum nostrum Jesum Christum, « Coronatum corona, qua coronavit eum mater sua³. » Coronavit autem eum non solum mater, sed etiam pater et noverca. Triplici enim corona coronatus est Dominus Jesus Christus: corona gloriæ, corona justitiæ, corona miseræ. Coronavit namque eum Pater corona gloriæ, cum « Oleo exultationis et lætitiæ præ suis participibus unxit⁴; » sicut scriptum est: « Gloria, et honore coronasti eum, Domine, super opera manuum tuarum⁵. » Coronavit eum mater sua immaculata, scilicet Virgo Maria, corona justitiæ, dum ei immaculatæ carnis substantiam ministravit, et ex se (1) justum et sine peccato filium genuit. Coronavit eum mater Synagoga, quæ noverca justius appellari potest, corona miseræ, dum capiti ejus spineam coronam imposuit, dum amictu irrisoriæ vestis accinxit, dum contumelias, sputa, flagella, maledicta et opprobria intulit, et dum novissime morte eum turpissima condemnavit.

VI. Nos igitur, dilectissimi, filii sanctæ matris Ecclesiæ, casta generatio, quos in schola veritatis Dei Spiritus erudivit, salutis et reparationis nostræ tempora

¹ Psal. XIX, 8. — ² Matth. XXI, 5. — ³ Cant. III, 11. — ⁴ Psal. XLIV, 8. — ⁵ Id. VIII, 6.

(1) Cod. esse.

cum summa devotione suscipiamus, et, Christo pro nobis passo, in quantum possumus, compatiamur. « Si enim » compatimur, et conregnabimus¹. Exeamus ad eum extra castra, crucis improperium in corpore nostro portantes². » Membra nostra cum vitiis et concupiscentiis clavis divini amoris et poenitiæ configamus, ut a peccatorum sarcina per poenitentiam alleviati, libero mentis (1) et securo incessu egrediamur, et videamus non tam corporeo, quam devoto mentis intuitu regem Salomonem coronatum in cœlis corona immortalitatis et gloriæ, in qua vivit et regnat cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO LI.

In Cœna Domini.

Hic sermo, qui educitur ex Cod. XII, fol. 509, ubi nomen habet sancti Augustini, in quibusdam accedit ad sermonem Appendicis CV, quem Benedictini nulla allata ratione excluserunt, dicentes eum esse anonymi sermonem. Hic non est anonymus, nec proinde rejiciendus, cum nulla sint, quæ sancto Augustino sint indigna, et plura quæ illius sapiant dicendi genus. Notandum est autem maxime, quod Possidius in indiculo, cap. x, tractatus duos indicet de Passione Domini, qui desunt in sancti Augustini operibus, uti animadverterunt editores Maurini in sermone CCXVIII. Locus ejus post sermonem Maurinensem CCXVI.

¹ Rom. VIII, 17. — ² Hebr. XIII, 13.

(1) Cod. libero et mentis.

SYNOPSIS.

I. Sancte sancta suscipienda mysteria. II. Discipulorum timor, et Judæ impudentia. III. Petri casus. IV. Ejusdem dolor.

I. IN hodiernum convivium qui solemnī frequentia convenistis, et cum Christi Discipulis in immolatione Agni Pascha facere festinatis, sincera, quæso, et plena charitatis pectora divinis exhibete mysteriis. Nulla sit in mente duplicitas, nec livoris nubilo interior homo fuscetur; agnum comesturus, agni innocentiam præferat, nec immaculata ovis lupina membra transfundat in viscera; quoniam qui sacrato (1) hujus indigne participat accubitu, non cum Petro perveniet salutis ad portum, sed sustinebit cum Juda sine reparatione naufragium. Habebit debitam cum proditore pœnam, qui ad bonum malam attulit conscientiam. Denique Judas non sincerus, sed simulator accubuit; et post buccellam Christi, in eum diabolus introivit¹.

II. Sed lecta, fratres, præsentis exordia lectionis, pia vobiscum recordatione transcurram. «Cum recumberet,» inquit, Dominus cum duodecim Discipulis suis, et «edentibus illis, ait: Amen dico vobis, quoniam unus» ex vobis tradet me. Et contristati nimis, coeperunt ad «eum singuli dicere: Numquid ego sum, Domine²?» O beati Apostoli, felix magis (2) vestra innocentia contristata, quam pœnalis Judæ audacia non confusa, cum noveritis nihil tale vos contra Dominum cogitasse. Extimescentes autem propriæ fragilitatis, tristes Dominum inter-

¹ Joan. XIII, 27. — ² Matth. XXVI, 20-22.

(1) Cod. *sacratæ... participatur accubitu*. — (2) *Deest magis in cod.*

rogatis de peccato, quod in conscientia non habetis. Sed plus creditis Magistro, quam vobis. Jam in illo convivio vobis judicatis imputari (1) quæstionem, et Judas non vult sentire compunctionem. Terret vos talis auditus, et illum non terret tanti sceleris cogitatus (2). Consulite ergo Dominum; pium interrogate Magistrum. Respondeat præscia veritas. Designetur abominanda persona, nec remaneat crimen in turba. Monstretur vobis, quem fugere debeatis. Publicetur filius perditionis¹, ne maculetur corona benignitatis. «Respondens, inquit, Jesus ait:» Qui mecum manum mittit in paropside, ipse me tradet².» Coepit manifestius aliquid dici. Adhuc tamen nomen propriæ (3) non video designari. Sed ecce paventibus, et retinentibus cunctis, et interdicientibus (4) cibum ori suo, ille temeritate et impudentia qua præditus erat, manum cum magistro in paropside mittit, ut audaciam bonæ conscientia mentiretur. Obturata fronte talia de se audit, et recumbit (5). Vidit publicari suam conscientiam, et adhuc manum porrigit ad buccellam; nec primo, nec secundo correptus, a prodicione retrahit pedem; sed patientia Domini nutrit impudentiam suam, et servavit sibi iram in die iræ³. Ecce jam et pœna illi prædicatur, ut quem non correxerunt (6) miracula, corrigant denuntiata supplicia. «Filius, inquit, hominis vadit, sicut» scriptum est de eo. Væ autem homini illi per quem Filius hominis tradetur. Bonum illi erat non nasci. Respondens, inquit, Judas qui cum tradidit, dixit: Numquid ego sum, Rabbi⁴.» Juda, cui dieis: Numquid

¹ Joan. XVII, 12. — ² Matth. XXVI, 23. — ³ Rom. II, 5. — ⁴ Matth. XXVI, 24, 25.

(1) Cod. *vos judicari amputamini quæstionem*; quæ opinando correximus; forte legendum *dubitatis pro judicatis*. — (2) Vide Append. Serm. CI, num. 1. — (3) Cod. *propriæ*. — (4) Id. *interdicientibus*. — (5) Id. *recumbet*. — (6) Id. *corrigerunt*.

ego sum? Jam dic: Ego sum. Scitenim ab initio te esse. Nam quod nunc loquitur, non est oblivio nescientis, sed pietas miserantis (1). Corrupte praevaricator et miser, si redires ad cor, recoleres Magistrum, quem didicisti esse praescium futurorum, et cui nihil potest esse incognitum; quoniam per hujusmodi colloquium se non facit ignarum, sed poenitentiae tibi vult exhibere suffragium. Tu autem cui cupiditas sensum tulit, et avaritia cordis oculos excæcavit, interrogare te fingis, utrum ipse sis, qui traditionis nefas conceperis? Omnia in te novit ejus divinitas, sed vae tibi! in quo simul periit (2) humanitas, et in quo ficta est charitas.

III. « Hymno, inquit, dicto, abierunt in montem (3) » Oliveti, et ait illis Jesus: Omnes vos scandalum patiemini in hac nocte. Respondit Petrus et dixit: Si » omnes scandalizati fuerint, ego non scandalizabor. Dicit » illi Jesus: Amen dico tibi, quia in hac nocte, antequam » gallus cantet, ter me negabis. Dicit ei Petrus: Etsi » oportuerit me mori tecum, non te negabo². » Cœperunt altercari duo (4), medicus et ægrotus; hic (5) sine ægritudine se esse putabat; ille sed jam (6) futuram accensionem (7) illi annuntiabat. Sed interim hoc negotium paululum sequestremus, donec rei exitum comprobemus (8). « Judas, inquit, qui tradidit eum, dedit eis

¹ Matth. xxvi, 30-35.

(1) Cod. *mirantis*. — (2) Id. *perivit*. — (3) Id. *in monte*. — (4) Cod. *ille*. — (5) Vide August. Serm. iv, et Append. Serm. ct., num. 1. — (6) Cod. *etiam*. — (7) Edit. *male accessionem*; agitur de rogo accenso, juxta quem Petrus Christum renuntiavit, et quem Christus praevidebat, ut patet ex infra dictis. — (8) Hic in Benedictinorum Sermone sententia legitur, quæ nulla ratione potest admitti. Sic enim habent: « Cui Dominus ait: » Paululum sequestremur, donec rei exitum comprobemus; » ubi notandum est quod ponant in ore Christi, verba quæ sunt scriptoris ipsius, explicationem eventus ad aliud tempus differentis. Unde patet, quam graviter errant, qui Benedictinam editionem putant nullo modo posse emendari.

» signum dicens: Quem osculatus fuero ipse est; tenete » eum¹. » Quid audistis, fratres? Quis sensus hoc sine horrore (1) consideret? Et quæ aures hæc verba recipiant? Quæ non præcordia dictistalibus contremiscant (2)? « Dedit eis signum dicens: Quem osculatus fuero, ipse » est; tenete eum. » O signum sacrilegum! o conventum nefarium! o placitum puniendum, ubi ab osculo incipitur bellum, et per pacis indicium, pacis rumpitur sacramentum (3); et per quod consueverunt gentes bella finire, per hoc profanus Judas bellum voluit inchoare. « Dedit eis, inquit, signum dicens: Quem osculatus fuero » ipse est; tenete eum. » Hoc signum, Juda, tu dedisti; hoc pacto in tuum ingenium reposuisti, ut cum quo faceres pacem, ipse raperetur ad crudelissimam passionem. Habebunt per te multi terrorem, ne quando cum proximis (4) simulatam habeant pacem. Guttur tuum profanum, quod hodie Christo extendis ad osculum, crastino illud (5) eriges extensurus ad laqueum. Malo tuo didicisti argentum expendere; mox incipies et corpus proprium ponderare. Tenetur interea Dominus, ad sacerdotum principem perducendus (6). Et cum cæteri Discipuli laberentur in fugam, Petrus ille promissor egregius, cœpit ambulare longinquus. Pervenit tandem et ipse ad principis domum, et expectans rei exitum, foris observabat in atrium. Sed quia jam prædictæ accensionis eum rigor urgebat, calefaciendus (7) ad carbones stabat. Negat territus Christum, pro quo se animam promiserat positurum. Jacet elisus in torpore (8) oblivionis, quasi in quodam lecto doloris. Prostravit eum decrepita ani-

¹ Matth. xxvi, 48.

(1) Cod. *sui errore*. — (2) Id. *contremescant*. — (3) Vide Serm. ct. Append. num. 1. — (4) Cod. *proximi*. — (5) Id. *illum*. — (6) Vide Serm. ct. Append. num. 2. — (7) Cod. *calefaciendum*. — (8) Id. *corpore*.

cula, quasi quædam febricula. Oppressit eum lethargicus somnus, et cœpit eum præco impingere matutinus (1).

IV. Expergiscitur aliquando; audit gallum cantantem; videt se gravia vulnera sustinentem. Dirigit preces ad medicum per nuntios lacrymarum, et divinum confestim recipit (2) antidotum. De ipso enim scriptum est: « Amici mei et proximi mei adversus me appropinquaverunt, et proximi mei a longe steterunt⁴. » Et illud quod dictum est: « Meliora sunt vulnera amici, quam voluntaria oscula inimici². » Judas enim, sicut de Apostolo proditor, ita inimicus factus ex amico. Nam et de illo scriptum est: « Homo pacis meæ, in quo sperabam, qui edebat panem meum, ampliavit super me calcaneum³. » Et iterum: « Inimici hominis domestici ejus⁴. » Unde et nos, fratres, unanimiter fugiamus inimicorum fallacia colloquia, ut cum sanctis participemus (3) gratiam sempiternam. Veram pacem et Trinitatis perpetuam unitatem teneamus, ut mereamur introire in regnum cœlorum, et gratias agere Domino Jesu Christo in sæcula sæculorum.

¹ Psal. xxxvii, 12. — ² Prov. xxvii, 6. — ³ Psal. xl, 10, et Joan. xiii, 14. — ⁴ Mich. vii, 6, et Matth. x, 36.

(1) Edit. pessime *præco impiger matutinus*, ubi videtur quod legerunt Benedictini *impiger pro impingere*, vitio sane codicis. — (2) Cod. *recepit*.

— (3) Id. *participemur*.

SERMO LII.

De Passione Domini, et de duobus Latronibus.

Totum sapit Augustinum hic sermo, qui educitur ex Cod. Cassin. xii, fol. 310, eumque libenter percurreret studiosus lector. Ponatur inter Augustinianos post sermonem Maurinensem cccviii.

SYNOPSIS.

I. Latronis verba ad compatiens latronem. II. Ejusdem invocatio ad Christum. III. Christi responsio. IV. Quomodo baptizatus est.

I. In cruce Dominus Jesus pendebat; Judæi blasphemabant; principes subsannabant; latro confitebatur, de quo necdum sanguis exsiccaverat occisorum; alii movebant capita sua, dicentes: « Si Filius Dei es, salva te ipsum¹. » Jesus non respondebat, sed tacitus injustos puniebat. Ad verecundiam Judæorum aperit Dominus os defensoris, os in cruce latronis. Duo enim, a dextris et a sinistris, fuerant crucifixi (1); Salvator medius, sicut libra justa, allevans confidentem, deprimens infidelem latronem a sinistris insultantem. Procidit qui fuit a dextris, et fit sibi in judicio reus, in cruce judex, in

¹ Matth. xxvii, 40.

(1) Vide August. Serm. cccxxxi, num. 2, et Serm. cccxxvii, num. 2.

confessione magister (1). Proxima vox latronis contra latronem : « Nec tu times¹, » inquit. Latro, qui furabaris, modo confiteris ; qui sæviebas in gladio, modo credis (2) in Christo. Dic, inquit, dic, latro, quid tu male fecisti ? Quid Dominum boni fecisse cognovisti ? Quia nos vivos occidimus, iste mortuos suscitavit ; nos aliena tulimus, iste divitias suas dedit orbi terræ ; et pauper factus est, ut me divitem redigeret. Litigat latro contra latronem : « Usque (3) in hoc tempus ambulabamus in facinus. Da crucem, dabitur via. Si vis mecum comitari ad vitam, qui mihi fuisti ad latrocinandum collega, esto mihi ad domicilium vitæ comes ; lignum est vitæ (4) crux illa. David in Psalmo instruit dicens : « Novit Dominus viam justorum, et iter impiorum peribit². »

II. Post confessionem, convertitur ad Salvatorem : « Domine, inquit, memento mei, cum (5) veneris in regnum tuum³. » Laborabam, inquit, dicere latroni : Ut tui memor sit Christus, quid boni fecisti ? quid digne gessisti ? Quia nocuisti, quia occidisti, dicis (6) : « Memento mei. » Die, latro socius factus cum magistro : Recte expecto debitum meum, quia inter injurias meas agnovi Dominum meum. Non attendo, quia pendet in ligno, sed credidi, quia manet in coelo, in suo judicio. « Domine, » inquit, memento mei, cum (7) veneris in regnum tuum. » Penitus non erat locutus Christus neque Pilato, neque principibus Judæorum. Labia puritatis respondere volebant, quia non recte inimici quærebant. Respondit latroni libenter quia rogavit simpliciter : « Amen, amen, dico tibi, quia hodie mecum eris in Paradiso. » Quid est, la-

¹ Luc. xxiii, 40. — ² Psal. i, 6. — ³ Luc. xxii, 42.

(1) Vide Serm. cccxxvii et Serm. ccxxxii, num. 6. — (2) Cod. *credes*. — (3) Id. *usquequo*. — (4) Id. *enim*. — (5) Id. *dum*. — (6) Id. *dices*. — (7) Id. *dum*.

tro ? Tarditatem postulasti, et celeritatem percepisti. Tu dicis : « Cum veneris in regnum tuum ; » ipse hodie te introducit in Paradisum suum.

IV. Quid autem sit, quod latroni promittitur vita, qui nondum acceperat gratiam ? Dominus dicit in sancto Evangelio : « Si quis non renatus fuerit ex aqua et Spiritu » sancto, non potest introire in regnum cœlorum¹ ; » et tempus non permittit baptizari latronem. Invenit ei Dominus remedium pietatis. Accessit miles ; lanceam fixit in latus Salvatoris, et « Exivit sanguis et aqua², » et aspersit membra latronis (1). Dicit apostolus Paulus : « Appro- » pinquastis montem Sion, et sanguinis aspersionem (2) » melius loquentem, quam sanguis Abel³. » Quare (3) melius loquitur sanguis Christi, quam sanguis Abel ? Quia sanguis Abel incusat parricidam, sanguis vero Christi liberat homicidam, et donat pœnitentibus indulgentiam in sæcula sæculorum. Amen.

¹ Joan. iii, 5. — ² Id. xix, 34. — ³ Hebr. xii, 22-24.

(1) Vide August. de Anima, lib. i, num. 2. — (2) Cod. *aspersionis... loquentis*. — (3) Id. *quorum*.

SERMO LIII.

In Vigiliis Paschæ I.

Hic sermo cum nomine sancti Augustini legitur in quatuor codicibus Florentinis, nempe Bibl. Laur. Plut. XIV, cod. I, fol. 196 b; Bibl. Sanctæ Crucis, Plut. XXX, sinist., cod. V, fol. 28 b; et ibidem Plut. XXXIII, sinist., cod. IV, fol. 150; atque Bibl. Ædil., cod. CXLIII, fol. 196 b. Nil obstat quin ponatur inter Augustinianos post sermonem Maurinensem CCXXIV, cum numero in Vigiliis Paschæ VI.

SYNOPSIS.

I. Vigilia Paschæ solemniter celebranda. II. In hac quare lætandum. III. Transcendamus cum Christo, ut salvemur.

I. DOMINI nostri Jesu Christi Salvatoris honorabilem solemnitatem sua favente clementia, fratres charissimi, fideliter veneremur (1), pietatemque ejus ineffabilem admiremur, qui non solum redemptionis nostræ causa diversarum infirmitatum genera subiit, verum etiam sacri cultus ritum, per (2) diversas festivitatum gratias, æternæ beatitudinis nobis effecit causam (3), ut licet post multum inertiae somnum, non tam invitum, quam voluntarium, sanctæ religionis dulcedine provocante, ad magnarum

(1) Cod. I male *veneremus*; cæteri *veneramur*; idem deinde quoad verbum *admiremur*. — (2) Sic codd. IV et V; cod. I *præ*. — (3) Codd. *causas*.

solemnitatum adventum (1) surgere compellamur. Expergefacti itaque libenter, de somno inertiae surgamus, et noctem hanc sanctam Paschæ lætanter ducamus. In qua nocte magnum Pascha magna devotione (2), mentis desiderii, solemniter celebremus, « Non in fermento » veteri, neque in fermento malitiæ et (3) nequitiae, sed » in azymis sinceritatis et veritatis, » hoc est non in (4) amaritudine malitiæ humanæ; quidquid enim humanum solum, sincerum non est; sed in sinceritate divinæ sanctitatis. Divina sanctitas quæ est (5) ? castitas, humilitas, bonitas, misericordia (6), humanitas, justitia, lenitas, patientia, veritas, pax, benignitas; hæc est massa sanctitatis christianæ, quam (7) humanæ malitiæ fermentum corrumpit, hoc est libido, superbia, invidia, iniquitas, avaritia, intemperantia, mendacium (8), discordia, odium (9), vana gloria, quæ omnia aliena a nobis vult esse sanctus Paulus dicendo: « Non in fermento malitiæ » veteris. »

II. Lætitia nostra Christi Pascha sit. Nobis (10) enim et pro nobis Christus nascitur, patitur et resurgit, ut nos in vitam per ipsum renascamur (11) in tribulationibus, et cum eo in virtutibus resurgamus. Omnia enim (12)

(1) Sic cod. IV; cod. I *magnarum solemnitatum adventu*; qui et deinde *compellamus*, pro *compellamur* quod habent codd. IV et V. — (2) Sic cod. V; cod. I *magni Paschæ, magnæ devotionis mentis*; cod. IV *magna Paschæ, magna devotione mentis*. — (3) Sic cod. I; codd. IV et V *aut*. — (4) Deest in in cod. IV. — (5) Sic cod. IV; codd. I et V *sanctitatis, quæ est castitas*, etc. — (6) Sic cod. V; cod. I *omnia*. — (7) Sic cod. V; cod. I *quæ... corrumpit*; cod. IV *quæ... fermento corrumpitur*; bona item lectio, sed quæ ideo mala fit, quod idem codex verba inutilia addidit dicendo *quæ est humanæ malitiæ quæ fermento corrumpitur*, ponatque deinde punctum interrogativum. — (8) Sic codd. I; cod. IV et V *mendacia*. — (9) Sic codd. I et IV; cod. V *odia*. — (10) Cod. IV male *vobis*. — (11) Cod. I semper male *renascamur*. Deinde cod. CXLIII *et pro ut*. — (12) Sic cod. V; cod. I non habet enim.

per ipsum in hac nocte restaurata sunt⁽¹⁾. In hac quippe nocte quasi primitiæ resurrexit, ut nos omnes postea⁽²⁾; in hac quippe nocte captivitas solvitur, vita in Adam amissa restauratur; in hac nocte Protoplastus antiquus, peregrinus redit ad Paradisi patriam, Christo Cherubim removente⁽³⁾. Ab hac enim nocte Dominicæ resurrectionis, Paradisus patet. Nulli clauditur, nisi a se ipso; nulli aperitur, nisi a Christo. Redeat ergo, credamus, qui nunquam defuit, ascendat qui semper cum Patre fuit. Jam enim credimus vitam mori pro nobis. Quomodo tamen vita moritur? credimus mortuum, et sepultum, ac resurgentem, ascendentem, cum Patre tamen et⁽⁴⁾ cum Spiritu sancto semper manentem.

III. Cum Phase, quod est Pascha, transitus intelligitur, sive transcensus⁽⁵⁾, Christi sanguine nos consecremus et consignemus, ut a vastatore mundi transcendamus, et a morte multos vastatura⁽⁶⁾ defendamur. Quicumque enim transcendunt⁽⁷⁾, hi salvantur; his parcitur⁽⁸⁾. Nimirum, quibus Christi sanguis inhæsit, nullis diabolicis pluvialibus imbribus innumerabilium guttarum humectantur neque oblectantur⁽⁹⁾. Ideo nobis quoque sic inhæreat Christi sanguis, hoc est, signum mortis ejus, quod super nos stat integrum, quando nobis morimur, et ei⁽¹⁰⁾ vivimus, qui pro nobis mortuus est. Respergit enim nos quodam modo sanguis Christi, quando mortificationem ejus circumferimus in nobis¹, ut nullis

¹ 2 Cor. iv, 10.

(1) Sic codd. iv et v; cod. i male *sit*. — (2) Sic codd. iv et v; phrasis integra deest in cod. i; cod. iv secunda vice habet *ergo pro quippe*. — (3) Sic cod. v; cod. i *movente*. — (4) Deest et in cod. iv. — (5) Sic codd. iv et v; cod. i *transcendes*. — (6) Codd. *crassatura*. — (7) Codd. *transcendantur*, qui et superius *defendamus*. — (8) Codd. *pascitur*. — (9) Sic cod. i; cod. iv *humectetur neque oblectetur*. — (10) Sic cod. v, qui deinde *vivamus*; deest ei in codd. i et iv.

mortalium voluptatum pluviis, sive tempestatum sæcularium imbribus⁽¹⁾ a nobis tergatur? Super nos siccans, nobis semper inhæreat, aspersusque nos tingat⁽²⁾; non tingat tantum, sed suo sanguine mortificatos lavet⁽³⁾. Semper omnia membra nostra suo sanguine lavare potest, qui crucis suæ signum in extis⁽⁴⁾ nostris pinxit. A morte mundum vastatura, transcendendo⁽⁵⁾ defendamur, et divinitatis suæ fulgore descendente a cœlis⁽⁶⁾, cum suis congregemur ad cœlum, ipso donante qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

(1) Sic cod. v; cod. i *imbre*; cod. iv *umbra... tegatur*. — (2) Sic cod. iv; codd. i et v *tinguat*. Cod. i deinde *nos intingat*, pro *non tinguat*. — (3) Sic cod. iv, quæ vox deest in cæteris codd. — (4) Cod. v *extibus*; cod. i *extibus*; deinde omnes codd. *nos pro nostris*. — (5) Cod. i *transcendi defendamus*; cod. iv *transcendit. Defendamus et suæ*; cod. v *a morte mundum terratur, transcendendo defendamur*. — (6) Sic opinando correximus; omnes enim aberrant codices; cod. i *suæ fulgore discedentia suis cum suis*; cod. v *et in divinitatis suæ fulgore descendentia sui, cum suis*.

SERMO LIV.

De Pascha XVI.

Idem est hic sermo, ac sermo CCXXIV, apud Maurinenses, sed in pluribus diversus. Cum autem tales sint variantes lectiones, ut perpetuo occurrant, illum integrum stampis submittimus, ut a doctis possit cum editis attentius comparari. Ex hac comparatione evidenter patebit unum esse et eundem sermonem a duobus notariis exceptum, quorum ex uno alter potest facile corrigi. Sit locus ejus in eundem locum apud Edit., cum numero de Pascha 1.

SYNOPSIS.

I. Ad omnes sermo, sed præsertim ad baptizatos, ut a vitiis abstineant. II. Contra carnis peccatum. III. Citius fiat correctio.

I. Ad omnes quidem pertinet sermo quos cura nostra complectitur (1). Verumtamen hodie terminata sacrorum solemnitate vos alloquor, novella germina sanctitatis regenerata ex aqua et Spiritu, germen pium, examen novellum, flos nostri honoris et sanctitas laboris, gaudium et corona mea; omnes qui statis in Domino, apostolicis verbis vos alloquor: « Ecce nox præcessit, dies autem » appropinquavit, abjicite opera tenebrarum, et induite

(1) Hæc et sequentia usque ad finem textus Scripturæ leguntur in Serm. Append. CLXXII, num. 1, versus medium.

» arma lucis; sicut in die, honeste ambulate, non in » comessionibus et ebrietatibus, non in cubilibus et » impudiciis, non in contentione et æmulatione, sed » induite Dominum Jesum, et carnis curam ne feceritis » in concupiscentiis¹; » et ut vitam habeatis quam sacramento induistis, « Quotquot in Christo baptizati estis, » Christum induistis². » Si enim estis membra Christi, si cogitetis quod facti estis, omnia ossa vestra dicent: « Domine, quis similis tibi³? » Non enim digne cogitari potest ista dignatio. Nonne omnis sermo sensusque deficit, venisse nobis gratuitam gratiam, non præcedentibus meritis, et ideo gratia dicitur (1), quæ gratis data est. Quæ gratia? ut sitis filii, Dei membra, ut sitis fratres unici, sicut ille unicus; unde vos fratres. Quia ergo membra Christi estis, admoneo vos, audite me, qui me sciendi estis hodie. Timeo vobis (2) non tantum a Paganis, non tantum a Judæis, non tantum ab hæreticis, quantum a malis Catholicis. Eligite vobis in populo Dei, quos imitemini. Nam si turbam imitari volueritis, inter paucos angustam viam ambulantes, non errabitis (3). A rapinis, a perjuriis abstinete. Gurgites ebriositatis repellantur a vobis; fornicationem sic fugite, quomodo mortem; mortem, non quæ animam solvit a corpore, ubi anima semper ardebit cum corpore.

II. Fratres mei, filii mei, filiæ meæ, sorores meæ, sciatis (4) diabolum agere partes suas, nec quiescere loqui in cordibus eorum, quos ad suam partem reducendo transducit. Scio fornicatoribus, adulteris, qui contenti non

¹ Rom. XIII, 12-14. — ² Galat. III, 26, 27. — ³ — Psal. XXXIV, 10.

(1) Dicitur deest in cod. — (2) Cod. male vos. — (3) Evidenter hic desunt aliquæ voces, verbi gratia si turbam imitari volueritis, extra viam declinabitis; sed angustam. Edit. non bene ambulantes non eritis. — (4) Cod. scias.

sunt conjugibus suis, dicere diabolum in cordibus eorum. Non sunt magna carnis peccata. Contra hanc diaboli surrurationem, debemus habere Christi incantationem (1). Id est unde Christianos decipit per carnis illecebram, cum eis facit leve quod grave est, sed mentiendo, non vere faciendo. Quid prodest quod Satanafacit leve, quod Christus ostendit grave? quid prodest quia leve tibi dicit diabolus, quod grave tibi dicit Dominus? illud est quod dixit in Paradiso: « Non morte moriemini. » Deus enim dixerat: « Quo die manducaveritis morte moriemini¹. » Illi autem contemntes Deum præceptorem, passi sunt diabolum peremptorem. Venit inimicus, et ait: « Non » morte moriemini, sed aperientur oculi vestri et eritis » sicut dii². » Dimissa est minatio Dei, et audita est promissio diaboli. Numquid profuit, quia dixit mulier: « Serpens me seduxit³? » numquid valuit excusatio, et non est secuta damnatio? Ideo vobis dico, fratres mei, qui habetis uxores, ut nihil aliud noveritis (2); qui non habetis, et ducere vultis, integri vos ad eas servate, sicut ipsi vultis integras ad vos venire; qui continentiam polliciti estis, retro nolite respicere. Ecce dixi vobis, ego absolvi me (3). Erogatorem me posuit Dominus, non exactorem. Et tamen ubi possimus (4), ubi datur locus, ubi conceditur, ubi sumus, corripimus, objugamus, excommunicamus, anathematizamus (5), et tamen non corrigimus. « Quia neque qui plantat est aliquid, neque qui » rigat, sed qui incrementum dat Deus⁴. » Et modo quia loquor vobis, quia admoneo vos, opus est, ut exaudiat me Deus, et agat aliquid in silentio in cordibus vestris.

¹ Gen. ii, 4, 5. — ² Ibid. — ³ Ibid. — ⁴ 1 Cor. iii, 7.

(1) Edit. pessime *incarnationem*. — (2) Cod. male *nihil adnoveritis*. — (3) Cod. male *te*. — (4) Cod. male *nobis posuit*. — (5) Edit. non bene *anathematamus*.

Breviter dico, et hoc vobis commendo, et fideles terreo, et vos ædifico. Membra Christi estis; nolite me, sed Apostolum audire (1): « Tollens ergo membra Christi, » faciam membra meretricis? Absit¹. » Sed dicere habet aliquis: Meretrix non est, quam habeo, sed concubina mea. Verum dicis, qui hoc dicis? Habes uxorem, qui hoc dicis? Et ille: Habeo, inquit. Illa ergo, velis nolis, meretrix est. Sed servat forsitan tibi fidem, et non novit nisi te unum, et non disponit se nosse (2) alium. Cum ergo illa sit casta, tu quare fornicaris? Si illa unum, tu quare duas? non licet. In gehennam eunt qui hoc faciunt, igne sempiterno ardebunt, qui ista faciunt.

III. Corrigant se, qui tales sunt, dum vivunt. Subito venit mors, et non est qui corrigatur! et quando veniet novissima hora nescitur. Cum dicitur cras, cras, fit (3) vox corvina, et subito venit ruina. Vadat, et non redit. Fugite ergo voces corvinas, ne opprimat vos ruina (4). Sed vos me audite, baptizati; vos me audite, infantes in Christo regenerati (5). Obsecro vos per nomen quod invocatum est super vos, per illud altare ad quod accessistis, per sacramenta quæ accepistis, per iudicium futurum vivorum et mortuorum, obsecro vos, adjuro et obstringo per nomen Christi, ut non (6) imitemini eos quos tales esse cognoveritis, sed ad meliora accedite, ut sine fine regnetis.

¹ 1 Cor. vi, 15.

(1) Edit. male *audite*. — (2) Cod. male *esse*. — (3) Cod. male *sit*. — (4) Cod. male *mina*, et sic deinceps. — (5) Cod. male *regnanti*. — (6) Desunt voces *ut non* in cod.

SERMO LV.

In die Paschæ XVI.

Habetur hic sermo in duobus Codd. Cass., nempe cod. xi, fol. 220, et cod. cxxiii, fol. 157. Ambo sancti Augustini nomine prænotantur, et nihil obstat quin beato tribuantur doctori. Locus ejus post sermonem primi Supplementi xxxv, cum numero in die Paschæ xxi.

SYNOPSIS.

I. Diei Paschæ gaudia, ex resurgentibus mortuis et renascentibus baptizatis. Varia ejus nomina. II. Dies dicitur Dominicus. III. Item dies panis. IV. Dies lucis. V. Sobrie lætandum.

I. FRATRES charissimi, quam speciosa et gratiosa (1) hodie Ecclesia nobis enituit, et totius diebus anni clarior dies hodierna refulsit, non de usitati solis curriculis illuminata præclarior, sed de lumine Agni resurgentis illustrata sublimius! Hodie enim Sol justitiæ, Christus ascendit, evangelizatis Sanctorum animis, ab inferno elevans secum corpora Sanctorum. Tanquam chorus siderum spiritualium, enituit Jerusalem, in qua visi sunt resurgentes; enitescit Ecclesia in qua præfulgent renascentes. Et illi testes solis resurgentis (2); isti testes solis, in aqua et Spiritu baptizati. Et idcirco pulsemus citharam David, canentes: « Hic est dies quam fecit Domi-

(1) Codd. gratuita. — (2) Codd. resurgentes.

nus; exultemus et jucundemur in eo¹. » Contemplemur hunc diem, qualem noctem habuerit genitricem. Nox quæ cœlum luminaribus imitatur; imo in qua ornatior cœlo terra lætatur; nox bonæ parturitionis; nox sanctæ regenerationis. Geminum noctis hujus video uterum. quia et geminum agnosco partum. Commovit tunc nox ista uterum, parturiendo corpora resurgentium; commovit nunc vulvam suam, renovando animas innocentium. Nox de qua dicitur: « Et nox tanquam dies illuminabitur². » An ipsa est dies, quam fecit Dominus? Alii dicunt, Dies Dominicus, alii dicunt, Dies panis, alii dicunt, Dies lucis. De hac tripartita diei nuncupatione, producamus gaudiosum (1) tubæ clamorem. Dies Dominicus, dies, inquam, regalis, in quo imperator ascendit ab inferis. Hesterno die agonizabamur, tanquam sperantes regem; hodie lætamur suscipientes imperatorem. Et ideo hesternus dies non fuit jejunationis. Numquid aliquis in se sensit jejunii laborem? Sed omnes tanquam in adventum judicis sibi parabant litæ refectionem, quemadmodum si judex speretur ad patriam. Nonne ordines, viri, principes civitatis, plebs quoque, dum meditantur cantica in occursum judicis venientis, longius per momenta a portis procedunt? et dum sperant, jejunant; dum jejunant, refectionem parant. Sic hesterne, veluti in expectatione judicis, salutaria agonizabamur parando, sed delectabamur jejunando. Suscepimus regem, et reficimur (2) gratia salutari.

III. Et recte dies dicitur panis, quia in eo novimus resurrectionem cœlestem. Hodie enim processit panis in veritate, qui sicut crystallum mittebatur de nubibus prophetiæ. Clamat enim David in voce Psalmi, dicens:

¹ Psal. cxvii, 24. — ² Id. cxxxviii, 12.

(1) Codd. gaudiorum. — (2) Codd. reficimus... gratiam salutarem.

« Qui emittit crystallum suum , sicut frusta panis¹. » De ore enim Prophetarum , tanquam de nubibus sanctis , descendebat niveis velleribus crystallum spiritale , ut frusta panis consumptæ prophetiæ integrum sacramenti facerent (1) panem. Splendebat elapsum crystallum de ore prophetantium , et salutare panificabatur nobis verbum crystallica prophetiæ fermentatione formatum. Destitit jam crystallum prophetiæ , et paratum nos gustavimus panem , et gustando ipsum panem , non sicut Adam vidimus nuditatem , sed nuditas nostra tecta est per hujus diei claritatem.

IV. Et recte dies dicitur lucis (2) , in quo fugerunt tenebræ cæcitatibus. Exclamaverunt , qui erant in tenebris , quia lumen viderunt magnum. Et « Qui erant in regione » umbræ mortis , lux orta est eis². » Lætetur terra , quia vidit novam lucem ; lætentur Angeli , quia donavit Dominus peccatoribus claritatem. Contremuerunt inferni , insolitum sustinendo splendorem ; et incurvatum est omne genu Christo Domino , cœlestium , terrestrium et infernorum³. Omnia ergo nobiscum hodie contriumpant. Angelorum apparitio festa nobiscum solemniter celebrat. Angeli , Throni , Dominationes , Cherubim et Seraphim lætitiæ choros ducunt , dum (3) nos tractamus Paschæ mysterium. Immutatur hodie in Angelis splendor , non vestium , sed canticorum. Et nos mutavimus cantilenam cantantes alleluia ; et Angeli immutant cantilenam , cantantes cantica cœlestia , quæ humana adhuc cantare non potest lingua.

V. Ideo « Lætentur cœli et exultet terra⁴. » Exultemus in Domino , sed in tremore , non remissa securitate ;

¹ Psal. cxlvii, 17. — ² Isaï. ix, 2. — ³ Philip. ii, 10. — ⁴ Psal. xcvi, 11.

(1) Cod. *faceret*. — (2) *Deest lucis* in cod., sed male. — (3) Cod. cxxiii *et dum*, minus bene.

quia beatus Joannes præcursor exultavit in utero matris ; sed vinum non bibit , præceptor Archangeli Gabrielis. Nos autem , quia infirmi sumus , sobrie bibamus. Modum non excedamus , ut lætitia nostra cum moderatione , nullam sentiat corporis passionem (1) , sed per sobrietatis serenitatem , portum intremus salutarem. Accepimus juniorum palmam , festivitatis non amittamus victoriam ; quam nobis tribuat Dominus Christus adjuvando , qui vicit in nobis patiendo , ut digno carmine triumphemus , cantantes (2) : « Absorpta est , Mors , victoria tua. Ubi » est , Mors , aculeus tuus ? ubi est , Inferne , victoria tua³ ? » Quia captivata est captivitas tua² , omnes cantemus alleluia , et idcirco , propter diei lætitiā , convertamur ad Christi clementiam , etc.

SERMO LVI.

In die Paschæ XVII.

Educitur hoc sermonis fragmentum ex iisdem Codd. Cass., ac præcedens, nempe cod. xi, fol. 221, et cod. cxxiii, fol. 158. Locus ejus post præcedentem cum numero in die Paschæ xxii.

SYNOPSIS.

I. Lætitia festi Paschæ. II. Judæ , Petri et Latronis comparatio.

¹ 1 Cor. xv, 54, 55. — ² Ephes. iv, 8.

(1) Sic cod. xi ; cod. cxxiii male *potestatem*. — (2) Vide August. Serm. ccxxxiii, num. 5, et Serm. cclvi, num. 2.

I. DOMINI resurrectio induxit mundo lætitiã. Quanto fulget in aspectu, tanto fervet in affectu. Vetus homo migravit, novus homo advenit. Prævaricatio Adæ confusa est, cum gratia Christi donata est. Dudum catena erroris trahebat animas miserorum; nunc charitatis vinculum redemptos ducit ad cœlum. Erubuit diabolus in furoribus suis. Christus occiditur, et mundus ab erroribus liberatur. Christus resurgit, et hostis evanuit. Miracula virtutum apparuerunt, non ut homines perfidi confunderentur, sed ut perdit redimerentur. Quantum moeret luctibus synagoga Judæorum, tantum jucundatur Ecclesia Christianorum. Triumphemus in Christo, quia nobis donavit misericordiæ medicinam, per lignum. Per lignum tropæa gloriosa (1).

II. Judas vendidit Dominum suum; Petrus negavit Magistrum; Latro confitetur Christum. Judas desperavit, Petrastitubavit (2); Latro Paradisum meruit. Inter traditorem mercatoremque sanguinis Christi, et negatorem Magistri, et confessionem Latronis, signaculum meruimus Redemptoris. Sufficiant Charitati vestræ, quæ pro eruditione vestrarum (3) animarum dedit Dominus Deus.

(1) Sic cod. CXXIII; eadem verba habet cod. XI, sed illa radiavit. —

(2) Vide August. Serm. CCLXXXV, num. 2, et Serm. CCXXXII, num. 6. — (3) Cod. eruditionis animarum.

SERMO LVII.

In die Paschæ XVIII.

Sermo sequens legitur in Bibl. Laur., Plut. XIII, fol. 150, et etiam commemoratur inter Codices Venetianos Catalog. fol. 50, cod. LXIX, fol. 250 b. Talia sunt ejus doctrina et dicendi modus, ut ad sanctum Augustinum non improbabiler referatur, cum præsertim in utroque codice nomen ejus præferat. Ponatur post præcedentem cum numero in die Paschæ XXIII.

SYNOPSIS.

I. De resurrectione Christi dicturus orator, terretur difficultate sermonis. II. Christus resurgens, nobis viam aperit resurgendi, comparaturque phænici et grano tritici. III. Christus resurgens, leo et catulus leonis, nos vocat ad resurgendum. IV. Christi resurrectio figuratur per Eliseum, quando ejus ossa suscitaverunt mortuum. V. Eliseus suscitando filium Sunamitidis representabat Christum, Giezi Moysen, et baculus Elisei legem. VI. Paschale festum cum lætitiã celebrandum est, non mundana, sed sancta, et præsertim renovatione vitæ. VII. Modus celebrationis Paschæ judaicæ, figura modi celebrationis Paschæ christianæ. VIII. Tali celebratione merebimur intrare in regnum cœlorum.

I. RESURRECTIONIS Dominicæ veneranda solemnitas cunctis hodie per orbem gloriosa resplendit; cujusquanta sit dignitas, quantaque majestas non est opus nostri sermonis patrocinio prædicari. Neque enim hoc habent

I. DOMINI resurrectio induxit mundo lætitiã. Quanto fulget in aspectu, tanto fervet in affectu. Vetus homo migravit, novus homo advenit. Prævaricatio Adæ confusa est, cum gratia Christi donata est. Dudum catena erroris trahebat animas miserorum; nunc charitatis vinculum redemptos ducit ad cœlum. Erubuit diabolus in furoribus suis. Christus occiditur, et mundus ab erroribus liberatur. Christus resurgit, et hostis evanuit. Miracula virtutum apparuerunt, non ut homines perfidi confunderentur, sed ut perdit redimerentur. Quantum moeret luctibus synagoga Judæorum, tantum jucundatur Ecclesia Christianorum. Triumphemus in Christo, quia nobis donavit misericordiæ medicinam, per lignum. Per lignum tropæa gloriosa (1).

II. Judas vendidit Dominum suum; Petrus negavit Magistrum; Latro confitetur Christum. Judas desperavit, Petrastitubavit (2); Latro Paradisum meruit. Inter traditorem mercatoremque sanguinis Christi, et negatorem Magistri, et confessionem Latronis, signaculum meruimus Redemptoris. Sufficiant Charitati vestræ, quæ pro eruditione vestrarum (3) animarum dedit Dominus Deus.

(1) Sic cod. CXXIII; eadem verba habet cod. XI, sed illa radiavit. —

(2) Vide August. Serm. CCLXXXV, num. 2, et Serm. CCXXXII, num. 6. — (3) Cod. eruditionis animarum.

SERMO LVII.

In die Paschæ XVIII.

Sermo sequens legitur in Bibl. Laur., Plut. XIII, fol. 150, et etiam commemoratur inter Codices Venetianos Catalog. fol. 50, cod. LXIX, fol. 250 b. Talia sunt ejus doctrina et dicendi modus, ut ad sanctum Augustinum non improbabiler referatur, cum præsertim in utroque codice nomen ejus præferat. Ponatur post præcedentem cum numero in die Paschæ XXIII.

SYNOPSIS.

I. De resurrectione Christi dicturus orator, terretur difficultate sermonis. II. Christus resurgens, nobis viam aperit resurgendi, comparaturque phænici et grano tritici. III. Christus resurgens, leo et catulus leonis, nos vocat ad resurgendum. IV. Christi resurrectio figuratur per Eliseum, quando ejus ossa suscitaverunt mortuum. V. Eliseus suscitando filium Sunamitidis representabat Christum, Giezi Moysen, et baculus Elisei legem. VI. Paschale festum cum lætitiã celebrandum est, non mundana, sed sancta, et præsertim renovatione vitæ. VII. Modus celebrationis Paschæ judaicæ, figura modi celebrationis Paschæ christianæ. VIII. Tali celebratione merebimur intrare in regnum cœlorum.

I. RESURRECTIONIS Dominicæ veneranda solemnitas cunctis hodie per orbem gloriosa resplendit; cujusquanta sit dignitas, quantaque majestas non est opus nostri sermonis patrocinio prædicari. Neque enim hoc habent

cæteræ festivitates. Non (1) in aliqua tantum mundi parte celebris habetur, nec aliquibus quasi peculiaris lætitia inducitur eam (2) recolendi; sed totum quidquid usquam cernam, complectitur, totum tenet ac possidet, et generali quodam gaudio cœlum, terras, tartarumque perlustrat. Non ergo, ut dicimus, mortalis linguæ eget commendatione, quæ per se cœlesti est prædicata virtute. Succumbit enim ejus celsitudini humanæ vocis præconium, quæ laudibus ineffabiliter extollitur Angelorum. Ne tamen hujus sanctæ multitudinis devotionem et fidelissimam pietatem debita verbi divini consolatione fraudemur, conemur aliquid de tanta loqui festivitate; quia etsi mirari possumus, digne tamen de ea aliquid dicere non possumus.

II. Resurrexit hodie Christus. Exultet universus mundus. Par enim est, ut sicut omnis creatura luctivago doluit ploratu in morte Creatoris sui, sic gaudeat in resurrectione Domini sui, et quæ funere non obstante (3) prosecuta est exequias in cruce morientis (4), nunc triumphalem ab inferis reditum læta (5) suscipiat resurgentis. Christi enim hominis resurrectio maledictum solvit antiquum, quod per Adam ad omnes ejus posteros tristi mortis sententia decurrit: « Terra es et in terram reverts¹. » Ecce surrexit ab antro sepulcri rediviva caro phœnicis, quam cinnama decoxerant pietatis; granum frumenti, quod solum in terra mortificatum est in passione, multum fructum attulit in resurrectione². Mortuus enim est solus, sed solus minime surrexit; nam ad inferna descendens, inferorum claustra abstulit, eumque qui habebat mortis imperium superavit (6), et quos ser-

¹ Gen. iii, 19. — ² Joan. xii, 24, etc.

(1) Deest non in cod., sed male. — (2) Deest eam in cod. — (3) Cod. noctis obstauro. — (4) Cod. male intrare morientis. — (5) Cod. male loca. — (6) Cod. superat.

vos (1) reperit, victor exemit (2), sicque spoliato tartaro, cum sanctorum multitudine resurrexit. Quorum enim sepulcra in ejus passione sunt patefacta, horum corpora, Christo resurgente, sunt de pulvere suscitata. Decebat enim ut ille primus resurgeret, deinde illi, sicut apostolus Paulus dicit: « Jesus resurrexit a mortuis, » primitiæ dormientium¹, » et sicut (3) cum Domino resurrexerunt, ita cum eo ascendente et ascendisse creduntur.

III. Ferunt autem physici natum leonis catulum tribus dormire diebus, tandem die tertia magno parentis rugitu excitatum exurgere. Solet vero divina Scriptura Christum catulum appellare leonis. Denique Jacob patriarcha sub hoc typo (4) de Christo vaticinatus est: « Catulus leonis Juda; ad prædam, fili mi (5), ascendi; disti; requiescens accubuisti ut leo, et quasi læna, » quis suscitabit eum²? » Christus enim quasi leo in passione accubuit, et in morte requievit, quia alacriter et magnæ constantiæ fiducia, passionis agonem peregit, utpote qui ipsam mortem in potestate (6) habuit. Non necessitate, ut cæteri homines, sed voluntate, mortem suscipiebat. Collocatus est ergo in sepulcrum (7) subjectus. Triduo, quasi leo robustus atque imperterritus, jacuit, securus de mox futura resurrectione. Sed « Quis suscitabit eum? » Quis enim pater validissimo rugitu a somno illum excitavit (8) mortis? Qualis vero fuerit iste rugitus Psalmista docet in Psalmo, ex persona Patris loquens ad Filium: « Exurge, gloria, exurge psal-

¹ 1 Cor. xv, 20. — ² Gen. xlix, 9.

(1) Cod. suos. — (2) Id. vir victorem emit. — (3) Cod. male si. — (4) Deest hoc in cod. — (5) Cod. male filii mei. — (6) Cod. in potestatem. — (7) Id. in sepulchro. — (8) Id. excitans.

» terium et cithara¹. » Exurge, inquit, fili, qui es gloria mea, et tuum exurgat psalterium et cithara, id est, omnium chorus virtutum. Moxque illi respondet: « Exurgam diluculo². » Mane prima enim sabbati, Dominus resurrexit, et nobis membris suis spem resurgendi quandoque donavit. Omnes siquidem fideles verissime credunt membra se esse Christi, qui est caput corporis Ecclesiae³. Si ergo membra Christi sumus, liquet profecto, quia cum eo moriente mortui sumus, cumque eo surgente surreximus, Apostolo dicente: « Si mortui sumus cum Christo, credimus quia simul vivemus cum ipso⁴; » et iterum: « Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite⁵. » Omnium enim revixit saluti, qui pro omnium peccatis addictus est passioni.

IV. Omnium quidem est miraculum resurrectio Salvatoris, sed multiplicibus figurarum symbolis in Sanctorum actibus ab ipso est, nascentis mundi exordio, præsignata. Ut enim uno de multis utamur exemplo, Eliseum prophetam accipimus jam defunctum, jam tumulo (1) conditum, suscitasse mortuum. « Cum enim cadaver defuncti ad sepulcro ferretur, territi funeris bajuli repente latronum superventu, projecerunt cadaver hominis in sepulcrum (2) Elisei; quod ut tetigit ossa ejus, revixit homo, et stetit super pedes suos⁶. » Quem in hoc facto Eliseus, qui interpretatur Deus meus Salvator, quem (3) alium, nisi Dominum designat Salvatorem, qui humano generi resurrectionem sua morte largitur, et vitam sepultus paravit?

V. Igitur quia Elisei prophetæ semel fecimus mentionem, aliquod quoque factum ejus, non tam mirum,

¹ Psal. lvi, 9. — ² Ibid. — ³ Coloss. 1, 18. — ⁴ Rom. vi, 8. — ⁵ Coloss. iii, 1. — ⁶ 4 Reg. iii, 21.

(1) Cod. *tello*. — (2) Cod. *in sepulcro*. — (3) Cod. *maie quare*.

quam mysticum, breviter nos retexere non pigeat. Cum enim, absente Eliseo, filius Sunamitidis mulieris fuisset defunctus, et mater ad eum profecta, miseræ orbitatis querelis sanctum virum obrueret, ille Giezi puerum suum cum virga misit, præcipiens ut super cadaver exanime virgam poneret. Sed cum mortuum non assurgere (1) idem Giezi viro Domini nuntiasset, venit ille, et, sublata virga, incurvavit se super puerum, et reversa pueri est anima in viscera ejus, et revixit¹. Quid in hoc facto mirabili Eliseus, nisi Dominum Salvatorem præmonstrat? Quid Giezi, nisi Moysen designat, qui « In omni domo ejus fidelissimus fuit²? » Quid vero virga, nisi legem designat? Misit Eliseus Giezi cum virga; misit Dominus cum lege Moysen; quæ peccantes severissima ultione ferret. Posuit Giezi virgam super puerum mortuum, et Moyses legem peccatis opposuit; sed mortuus non resurrexit; quia lex Moysi peccata ostendere potuit, non sanare. Venit postea Elyseus (2); virgam sustulit, super mortuum se inclinavit; quia illa majestas, illa ineffabilis gloria, Filius videlicet Dei, æqualis Patri, ad terras descendit, servitum legis abstulit, gratiam misericordiae et poenitentibus prærogavit, formam accepit servi, contemperavit se per omnia nostræ fragilitati, ipsam quoque mortem, quam peccatum induxerat, absque peccato suscepit. Sed morte sua mortis imperium destruxit, et die tertio resurgendo, carnem jam immortalem atque incorruptibilem (3) de sepulcro levavit.

VI. Exulemus ergo, fratres, in Domino, et mortis triumphatori mentis gaudio (4) omnique sensuum jubilo gratias

¹ 4 Reg. iv, 8, et seqq. — ² Hebr. iii, 5.

(1) Cod. *assurgeret*. — (2) Vide August. Serm. xxvi, num. 11; contra duas litteras Petiliani libri iv, num. 11; Serm. xliii Append. num. 8. — (3) Cod. *maie hic iterat jam*. — (4) Cod. *absurde uccio*. — (5) Id. *nomen*.

agamus, « Qui nos de tenebris vocavit in admirabile lu-
 » men (1) suum¹, et de potestate diaboli erutos transtu-
 » lit in regnum filii (2) claritatis suæ². » Sed hæc nostra
 lætitia non debet similis esse mundanæ vel sæculari læti-
 tiæ, nec more vulgaris turbæ plausibus insanis et luxu-
 riosis exagitari conviviis. « Etenim, ait Apostolus, Pas-
 » cha nostrum immolatus est Christus³. » Cum ergo
 Christus sit nostrum Pascha sanctum et divinum, sanctis
 et divinis gaudiis est (3) celebrandum. Ait alibi idem
 Apostolus: « Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum
 » sunt sapite, non quæ super terram⁴. » Ergo et « Nos
 » spiritualibus spiritalia comparantes⁵ (4), expurgemus
 » vetus fermentum⁶, » id est, « Exuentes veterem homi-
 » nem cum actibus suis, et induentes novum, qui se-
 » cundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veri-
 » tatis⁷. » Contemnemus igitur mundum, et cuncta terrena
 et humo jacentia despiciamus, et enitamur ad ea quæ
 sursum sunt; omnemque nostram intentionem ad æterna et
 coelestia dirigamus, et cursu prompti, de hujus peregrina-
 tionis exilio ad Paradisum, illam nostram felicissimam
 patriam festinemus, ubi concives Angelos, ubi sanctos
 omnes socios et consortes inveniemus. Nam Pascha he-
 bræa lingua, Transitus dicitur esse latina. Ergo, fratres,
 transeamus de vitiis ad virtutes, de temporalibus ad
 æterna, de caducis ad perpetua. Tali enim modo Hebræi
 dici et esse merebimur; quia Hebræus, Transitus inter-
 pretatur. Et tunc digne Pascha celebrare poterimus, si
 hunc transitum in nobis ipsis perficere studuerimus.

VII. Modus sane quo Pascha solemnizandum sit, in

¹ 1 Petr. II, 9. — ² Ephes. I, 13. — ³ 1 Cor. V, 7. — ⁴ Coloss. III, 1. —
⁵ 1 Cor. II, 13. — ⁶ Id. V, 7. — ⁷ Ephes. IV, 22-24.

(1) Cod. *nomen*. — (2) Cod. *absque sensu filium in regnum claritatis suæ*.
 (3) Cod. *esse*. — (4) Id. *cooperantes*,

lege Moysi Judæis præscribitur observandus, sed et no-
 bis, si spiritualiter verba ipsa discutiamus, quid agen-
 dum et qualiter verum Pascha celebrandum sit nihilo-
 minus intimatum est. Ait enim inter cætera: « Sic autem
 » comedetis (1) illud, » haud (2) dubium Pascha; « Re-
 » nes vestros accingetis, calceamenta (3) habebitis in
 » pedibus vestris, tenentes baculos in manibus, et co-
 » medetis festinantes⁴. » Qui ergo Pascha digne vult
 agere, renes cingat, hoc est, placita carnalium volup-
 tatum, castitatis zona coërceat. Calceamenta in pedibus
 habeat, hoc est, sanctorum patrum exemplis gressus
 suorum operum muniat, quo impedimento obviantium
 tentationum, tanquam asperitates itinerum, illæsus per-
 transeat, et (4) venenata animalia calcaneo nostro insi-
 diantia, securo pede proculcans, innocuus evadat. Ba-
 culum in manu teneat, hoc est, pastoralis moderamine
 sibi et his quibus præest, invigilare satagat. Consideran-
 dum vero attentius quod sequitur: « Comedetis festinan-
 » tes; » præcepta enim dominica non desidiose (5) aut
 negligenter, et quasi transeundo sunt audienda, sed stu-
 diose memoriæ commendanda, et tota boni operis festi-
 natione implenda sunt. Scriptum est enim: « Maledictus
 » qui facit opus Domini negligenter². » Hoc per Prophe-
 tam de conversis gentibus, et panem Verbi Dei summa
 aviditate gustare quærentibus dicitur: « Aperient ora
 » sua (6), sicut pauper edens in occulto³. »

VIII. Taliter ergo nobis Pascha celebrantibus, ipse
 quoque Dominus ac Redemptor noster nostris gaudiis

¹ Exod. XII, 11. — ² Jerem. XLVIII, 10. — ³ Habac. III, 14.

(1) Cod. *per errorem commendetis*. — (2) Cod. *aut*. — (3) Id. *calcia-
 menta*, et sic deinceps. — (4) *Deest et in cod.* — (5) Cod. *male desidione*.
 — (6) Vide quoad hunc textum sancti Hieronymi Commentarium in istud
 Habacuc verbum.

delectabitur interesse, ipse sacrosanctum corpus suum corpori, nobis videlicet, dignabitur salubriter ministrare. Curemus ergo hæc, qui (1) summæ huic festivitati Dominicæ resurrectionis intersumus, ne ab illo cœlestis lætitiæ gaudio separemur. Quid enim proderit interesse festis hominum, si, quod Deus avertat, deesse contigerit (2) festis Angelorum. Omnia quæ temporaliter celebramus, imago quædam sunt illius supernæ solemnitatis, et gaudii quod ab Angelis in cœlis colitur, non anniversarii temporis recursu, sed continuo semper manentis lætitiæ statu. Nam et ideo resurrectionem Domini, vel reliquas solemnitates celebramus, ut his admonitus animus, illam æternæ Patriæ beatissimam felicitatem cogitare incipiat, ubi est plena et perfecta lætitia et gaudium indeficiens; quia nullus timor deterret, nulla sollicitudo confundit, ubi requies secure, securitas certa et omni delectatione plenissima. Ibi dicetur: Cerno Regem nostrum ad paternæ majestatis dexteram consedentem; tuncque ad thronum gloriæ ejus cum fiducia poterimus accedere, in quo carnem nostram immortalem jam atque deificam, subjectis virtutibus et potestatibus videbimus imperare. Ipse enim est Deus, Dei Filius, ipse « Mediator Dei et hominum homo Christus Jesus¹, » qui « Mortuus est propter delicta nostra, et resurrexit propter justificationem nostram², » cui est cum Deo Patre laus et benedictio in unitate Spiritus sancti per omnia sæcula sæculorum. Amen.

¹ 1. Tim. II, 5. — ² Rom. IV, 25.

(1) Verba hæc qui desunt in cod. — (2) Cod. contingerit.

SERMO LVIII.

In die Paschæ XIX.

Videtur hic sermo sequelam esse præcedentium, et habetur pariter in duobus Codd. Cass., nempe cod. xi, fol. 222, et cod. cxxiii, fol. 159 b. Sufficit illum legisse, ut clare concludatur hunc a sancto Augustino fuisse pronuntiatum. Locus ejus post præcedentem cum numero in die Paschæ xxiv.

SYNOPSIS.

I. Lætitia sequitur tristitiam. II. Recens baptizati immaculatum teneant munus quod acceperunt.

I. LETEMUR ergo, dilectissimi et exultemus in Domino. Hodie enim nobis data est a Domino lux salutis, secundum illud quod idem Psalmista in consequentibus ait: « Dominus Deus, et illuxit nobis¹. » Et quod adhuc addidit: « Constituite, inquit, diem solemnem in con- » frequentationibus (1), usque ad cornua altaris². » Completum etiam hoc hodie in Ecclesia Dei video. Nam cum usque ad cornua altaris omnia religiosi conventibus plena sint, ipsam Scripturam sacræ Ecclesiæ plenitudo complevit. Dies ergo hic, dilectissimi, dies est resur-

¹ Psal. cxvii, 22. — ² Ibid.

(1) Vide August. Enarrat. in Psal. cxvii, num. 22, ubi eadem versione utitur.

rectionis et vitæ. Fecit eum per quadragesimam gratiorum delectabilior fidei gratulatio, quia ad tristitiam reorum juncti sunt dies remissionum, ut patientiam utique statim remuneratio consequatur, secundum illud: « Qui seminant in lacrymis, in gaudio metent¹. » Quicumque ergo seminastis in lacrymis, capite præmia exultationis. Sciat se unuquisque, quo majora seminaverit semina fletuum, majores fructus capere gaudiorum. Species ergo futurarum (1) beatitudinum jam in præsentibus continetur. Sicut enim nunc est relaxatio post distractionem, sic in futuro erit requies post laborem (2).

II. Unde, obsecro, dilectissimi, cum universa Ecclesia, præcipue vos, qui in novam salutem regenerati candida indumenta sumpsistis, ut munus, quod accepistis, purum immaculatumque teneatis, ut nitorem vestri habitus etiam in conversatione servetis, et tam candida sint corda vestra, quam vestimenta vestra. Audistis Evangelistam dicentem hodie, quod quicumque in Deum credunt, hi filii Dei sunt. « Dedit enim, inquit, eis potestatem filios Dei fieri, his qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate (3) carnis, neque ex voluntate viri (4), sed ex Deo nati sunt². » Ergo et vos non estis ex carnis conceptu editi, sed ex Deo Patre generati. Superest ut conservetis per sanctam vitam et conversationem, sanctæ originis dignitatem. Et vere juxta id quod Apostolus ait: « Sicut modo geniti infantes rationabiles, sine dolo, lac concupiscite, ut in eo crescatis in salutem³. Et pax Dei, quæ exuperat omnem sensum,

¹ Psal. cxxv, 5. — ² Joan. 1, 12. — ³ 1 Petr. 1, 2.

(1) Sic cod. cxxiii; cod. xi male *futurorum*. — (2) Sic cod. xi; cod. cxxiii *labores*. — (3) Sic cod. cxxiii; cod. xi *voluptate*, et sic deinceps. — (4) Vide August. Serm. cxxi, num. 4.

» custodiat corda vestra et corpora vestra¹, » per Dominum nostrum Jesum Christum, cui est honor et gloria, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO LIX.

In die Paschæ XX.

Habetur hic sermo in Cod. Cass. cxvi, fol. 244, cum nomine sancti Augustini, cui perfecte competit. Loculus ejus post præcedentem cum numero in die Paschæ xxv.

SYNOPSIS.

I. Christus apparens Discipulis eorum fidem confirmavit. II. Petri triplex amoris confessio. III. Ut triplicem expiaret negationem.

I. QUANTUM nos recitatæ Evangelicæ lectionis textus docuit, hoc in loco tertio apparuit Jesus Discipulis suis, postquam resurrexit a mortuis, qui cum pranderet dixit ad Petrum: « Simon Joannis, amas me? dicit ille: Domine, tu scis². » Assidua ergo Domini nostri Jesu Christi post resurrectionem præsentia, majorem fiduciam credulitatis dedit. Nam humanæ infirmitati consulens Deus, sæpius se Discipulis suis voluit exhibere, ut de resurrectione eisdem nihil dubitationis afferret. Frequens enim conspectus Domini plenum judicium veritatis efficit, et licet plurimum ad fidem sufficeret semel ipsum

¹ Philip. iv, 7. — ² Joan. xxi, 17.

fuisse (1) visum; tamen, quo resurrectionis suae manifestius testimonium proderet se (2) in Apostolorum suorum intulit frequenter aspectum. Non enim Apostolos suos praesentiae suae celebritate perstrinxit, sed praesentia conspectus sui satiavit, ut cum his escas ederet, non quasi indigens cibo (quid enim jam necessarium corpori redivivo?); sed ut manifeste ex mortuis resurrexisse monstraret, cum ea, quibus vita humana sustentatur, alimenta perciperet. De qua re in Actibus Apostolorum scriptum est: « Per quadraginta dies, inquit, postquam » resurrexit a mortuis, manducaverunt cum illo; nos testes sumus¹. » Et tam jugis Domini et tam continua post resurrectionem praesentia, et fidei credulitatem addidit et locum perfidiae denegavit.

II. Sed praetermittendum nullo genere est, quod Dominus noster Jesus Christus hanc Evangelii partem ita complexus est dicendo: « Simon Joannis, amas me²? » Quam interrogationem trina propositione dilatavit. Quid est ergo quod Dominus Petrum ter scrutari voluit; et responsum (3) sibi a Petro voluit ter adhiberi. Hoc loco sic Petrum Dominus interrogat (4), quasi qui secretum humanae cogitationis ignoret. Qui (5) dixerat: « Quid » cogitatis in cordibus vestris nequam³? » et alibi: « Videns Jesus cogitationes eorum⁴, » qua causa Petrum, utrum ab eo diligeretur, trinae vocis officio tentat (6) cum divinarum partium fuerit cuncta praescire? Scriptum est, quia « Deus scit quid sit in homine⁵; » et ipse alibi dicit: « Ego sum perscrutans renes et corda⁶. » Quo-

¹ Act. x, 39-41. — ² Joan. xxi, 17. — ³ Matth. ix, 4. — ⁴ Luc. ix, 47. — ⁵ 3 Reg. viii, 39. — ⁶ Psal. vii, 10.

(1) Desunt in cod. voces *ipsum fuisse*, quae necessaria sunt, nisi legas *semel visus*. — (2) Deest *se* in cod. — (3) Cod. *responsurum*, sine particula *et*. — (4) Deest *interrogat* in cod. — (5) Cod. *et*. — (6) Deest *tentat* in cod.


modo ergo de Petro, utrum in amorem Dei esset expensus, exquirat? Neque enim fieri poterat, ut Petrus eum Deum esse, probata sibi ejusdem resurrectione, non crederet, quem ante passionem et Christum esse et Dei Filium crediderat (1); dixerat enim: « Tu es Christus, filius Dei » vivi¹. » Dein quia majoris sui amoris erga Dominum dederat (2) documenta non minima, ei (3) se usque ad mortem comitem pollicetur. Hanc ergo hoc in loco Petri dilectionem vult Dominus habere compertam, quam jam plurimis documentis Petrus dederat comprobata. Non ergo frustra dilectionem suam ter Dominus proposuit, nec sine causa ter Petrus, quod Dominum amaret, simili ratione respondit. Non ergo hic vel scientiae, vel ignorantiae locus est, quod (4) Dominus Petrum frequenter interrogat. Nihil est enim quod divinam possit latere virtutem, quae dicit: « Priusquam te formarem, novi te². » Et Apostolus ait: « Quos praescivit, et praedestinavit, » et quos praedestinavit, hos et vocavit, et quos vocavit, » hos et sanctificavit³. » Mirum (5) ergo, quod probari sibi voluit in voce, qui sciret quid Petri versabatur in pectore.

III. Non ergo hic Dominus propter amorem proprium Apostolum suum trina interrogatione examinat; sed quia Petrus nodum trinae negationis astrinxerat sub ipsa Domini interrogatione (6), ideo ter interrogatur post resurrectionem a Christo, ut cum trina confessione crederet, quem sub ipso tempore passionis tertio negasset. Ipso itaque numero confessionis Apostolum suum Dominus voluit

¹ Matth. xvi, 16. — ² Jerem. i, 5. — ³ Rom. viii, 30.

(1) Cod. *credidisset*. — (2) Id. *dedisset*. — (3) Id. *deum*. — (4) Id. *quo*. — (5) Forte *non mirum*. — (6) Vide August. Serm. cxlvii, num. 2, 3 Serm. ccliii, num. 1, 2; Serm. ccclii, num. 5; et Tractat. cxxiii in Joann. num. 5, et alibi saepius.

esse absolutum, quem trinæ perfidiæ noxa fecerat religatum. Et quia dixerat : « Qui me confessus fuerit » coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre » meo qui in cœlis est¹; » propter confessionem nominis sui, apostolum Petrum Christus Dominus noster voluit reformari, ut eum ipse possit coram Patre suo et Angelis confiteri.



SERMO LX.

De secunda feria Paschæ.

Pulcherrimus hic sermo eduoitur ex Cod. Cass. XII, fol. 182, cum nomine sancti Augustini, et ejus doctrinam ubique representat, ut ex notis apparebit; plura tamen adsunt quæ ad sanctum Chrysostomum accedere videntur, tum ex sermone de Cruce et Latrone, tum ex homil. XI in Luc., tum ex tractatu de Zelo et Pietate. Similia etiam reperiuntur in sermone, qui legitur in appendice de Passione. Hic codex noster amanuensis ignorantia, innumeris refertur mendis, quæ sæpius opinando tentavimus resarcire; utrum feliciter judicabit lector. Licet propter occurrentiam sententiarum ex Chrysostomo desumptarum dubius aliquantulum videatur, tamen illum rejicere non audemus. Hinc sit locus ejus post præcedentem.

SYNOPSIS.

I. Apparentes sunt tantum Evangelistarum diversitates. II. Apostolorum quam imperfecta fides. III. Discipulorum Em-

¹ Matth. x, 22.

maüs dubitatio confessioni Petri opposita. IV. Et Latronis fides Christum morientem agnoscentis. V. Christi ad ætatem maturam pervenientis dolores; quibus cuncta expiantur membra. VI. Latro primus habuit promissionem Paradisi. VII. Cur tali gratia donatus est. VIII. Conclusio.


I. PER istos dies sanctæ Paschæ, sicut novit charitas vestra, fratres, resurrectio Domini secundum omnes Evangelistas solemniter recitatur (1). Sic enim narrationes suas conscripserunt, ut aliqua pariter dicerent, aliqua vero alius prætermitteret, nemo tamen a veritatis concordia dissonaret. Omnes dixerunt Dominum crucifixum, sepultum, die tertia resurrexisse; quomodo autem apparuerit Discipulis, quia multis modis apparuit, alii alia dixerunt, quæ alii prætermiserunt; omnes tamen veritatem conscripserunt.

II. Ecce in nocte præterita vigiliarum lectum est, si meministis, Dominum apparuisse post resurrectionem mulieribus, quas primo ipse salutavit dicens : « Avete. » At illæ accesserunt, et tenuerunt pedes ejus, et deprecabantur eum¹. » Item hodie lectum est, quod apparuerit duobus ex Discipulis suis ambulantes in viam : « Ambulabant enim cum eo, et non cognoscebant eum; » oculi enim eorum tenebantur, ne eum agnoscerent²; » sed ad panis fractionem cognitio servabatur (2). Venit enim cum illis; susceptus est ab eis hospitio; benedixit panem, et fregit, et agnoverunt eum. Sic agnoscitis Christum, qui creditis Christum. Consideret autem charitas vestra, quales fuerint omnes Discipuli ante Domini resurrectionem. Ignoscant mihi; nondum erant fideles;

¹ Matth. xxviii, 9. — ² Luc. xxiv, 13.

(1) Vide Serm. August. ccxl, num. 1; et Serm. ccxxxiv, num. 1; et Serm. ccxvi, num. 1, etc. — (2) Vide August. Epist. cxlix, num. 31.

esse absolutum, quem trinæ perfidiæ noxa fecerat religatum. Et quia dixerat : « Qui me confessus fuerit » coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre » meo qui in cœlis est¹; » propter confessionem nominis sui, apostolum Petrum Christus Dominus noster voluit reformari, ut eum ipse possit coram Patre suo et Angelis confiteri.



SERMO LX.

De secunda feria Paschæ.

Pulcherrimus hic sermo eduoitur ex Cod. Cass. XII, fol. 182, cum nomine sancti Augustini, et ejus doctrinam ubique representat, ut ex notis apparebit; plura tamen adsunt quæ ad sanctum Chrysostomum accedere videntur, tum ex sermone de Cruce et Latrone, tum ex homil. XI in Luc., tum ex tractatu de Zelo et Pietate. Similia etiam reperiuntur in sermone, qui legitur in appendice de Passione. Hic codex noster amanuensis ignorantia, innumeris refertur mendis, quæ sæpius opinando tentavimus resarcire; utrum feliciter judicabit lector. Licet propter occurrentiam sententiarum ex Chrysostomo desumptarum dubius aliquantulum videatur, tamen illum rejicere non audemus. Hinc sit locus ejus post præcedentem.

SYNOPSIS.

I. Apparentes sunt tantum Evangelistarum diversitates. II. Apostolorum quam imperfecta fides. III. Discipulorum Em-

¹ Matth. x, 22.

maius dubitatio confessioni Petri opposita. IV. Et Latronis fides Christum morientem agnoscentis. V. Christi ad ætatem maturam pervenientis dolores; quibus cuncta expiantur membra. VI. Latro primus habuit promissionem Paradisi. VII. Cur tali gratia donatus est. VIII. Conclusio.

I. PER istos dies sanctæ Paschæ, sicut novit charitas vestra, fratres, resurrectio Domini secundum omnes Evangelistas solemniter recitatur (1). Sic enim narrationes suas conscripserunt, ut aliqua pariter dicerent, aliqua vero alius prætermitteret, nemo tamen a veritatis concordia dissonaret. Omnes dixerunt Dominum crucifixum, sepultum, die tertia resurrexisse; quomodo autem apparuerit Discipulis, quia multis modis apparuit, alii alia dixerunt, quæ alii prætermiserunt; omnes tamen veritatem conscripserunt.

II. Ecce in nocte præterita vigiliarum lectum est, si meministis, Dominum apparuisse post resurrectionem mulieribus, quas primo ipse salutavit dicens : « Avete. » At illæ accesserunt, et tenuerunt pedes ejus, et deprecabantur eum¹. » Item hodie lectum est, quod apparuerit duobus ex Discipulis suis ambulantes in viam : « Ambulabant enim cum eo, et non cognoscebant eum; » oculi enim eorum tenebantur, ne eum agnoscerent²; » sed ad panis fractionem cognitio servabatur (2). Venit enim cum illis; susceptus est ab eis hospitio; benedixit panem, et fregit, et agnoverunt eum. Sic agnoscitis Christum, qui creditis Christum. Consideret autem charitas vestra, quales fuerint omnes Discipuli ante Domini resurrectionem. Ignoscant mihi; nondum erant fideles;

¹ Matth. xxviii, 9. — ² Luc. xxiv, 13.

(1) Vide Serm. August. ccxl, num. 1; et Serm. ccxxxiv, num. 1; et Serm. ccxvi, num. 1, etc. — (2) Vide August. Epist. cxlix, num. 31.

magni postea facti sunt, prius autem nobis etiam inferiores erant. Nos enim credimus Christum resurrexisse, quod illi nondum credebant. Sed postea viderunt, tetigerunt, oculis suis manibusque tractaverunt, et sic crediderunt, et Scripturis sanctis eorum corda firmata sunt. Qui biberunt, ructaverunt, et nos impleverunt.

IV. Loquebantur ergo inter se ista, dolentes Christi mortem, quasi hominis, et apparuit eis Jesus (1), et addidit (2) se comitem in tertium, quæsivitque quid inter se loquerentur. Responderunt illi: « Tu solus peregrinus es in Hierusalem; nescis quæ hic contigerunt in his diebus; quemadmodum principes sacerdotum morti tradiderunt Jesum, qui erat magnus Propheta⁴. » O Discipuli, ubi erat Dominus, jam propheta? Nonne ipse omnes Prophetas implebat? Videte, fratres, quomodo Discipuli crediderunt, sed ex (3) desperatione mortis Domini, redierunt ad verba, quæ dicebant (4) de Christo extranei. Meministis, charissimi, quia Dominus aliquando dixit Discipulis suis: « Quem me dicunt homines esse, » Filium hominis²? » et responderunt illi verba (5) et opiniones alienas, non fidem suam, et dixerunt: « Alii te » dicunt Joannem Baptistam, alii Eliam, alii Jeremiam, » aut unum ex Prophetis³. » Ad hoc ergo Discipuli redierunt, perdidit fidem suam; opinionem cœperunt tenere alienam. « Qui fuit, inquit, Propheta. » Hoc extranei dicebant de Christo, Discipuli autem quid dixerunt (6)? Cum vero diceret Christus: « Quem me esse dicitis? » respondit Petrus: Tu es Christus, Filius Dei vivi. « Et Dominus: « Beatus es, Simon Bar-Jona, quia caro et sanguis

¹ Luc. xxiv, 18. — ² Matth. xvi, 13. — ³ Ibid. 14.

(1) Deest vox *Jesus* in cod. — (2) Cod. *addit.* — (3) Id. *ero pro.* — (4) Id. *redicebant.* — (5) Vide August. Serm. clxxxiii, num. 2, 3; et Serm. ccxxxii, num. 3. — (6) Deest vox *quid* in cod.

» non revelavit tibi¹, » quomodo illis qui me dicunt Prophetam; » sed Pater meus, qui est in cœlis: et ego dicam tibi: Tu es Petrus. » Dixisti mihi, dicam tibi; reddidisti confessionem, audi benedictionem. Dixerat enim de se Dominus, quod erat minus, et dixerat ei Petrus quod erat amplius. In Domino enim Jesu Christo minus erat, quod filius hominis erat; amplius erat, quod Filius Dei erat. Minus dixit, qui se humiliavit; amplius dixit, quem ille exaltavit. « Super hanc petram, inquit » Dominus, ædificabo Ecclesiam meam². » Super istam confessionem, super hoc, quod dixisti: « Tu es Christus » Filius Dei vivi, » ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferorum non vincent eam³. » Vicerant enim istos portæ inferorum; a Petro recesserant; in arena defecerant. Subveni, Domine, Discipulis; frange panem, ut possis agnoscere; nisi tu collegeris, perierunt. Quomodo quæsisti? Ecce prophetam te dicunt Discipuli.

IV. Tunc vero Jesus aperuit eis Scripturas, propter quod dixerant desperantes: « Nos autem sperabamus, » quod ipse esset redempturus Israël⁴. » O Discipuli, sperabatis, jam non speratis. Veni, Latro, commone Discipulos. Quare desperatis (1)? quia crucifixum vidistis (2), quia pendentem aspexistis, quia infirmum putastis. Talem illum et Latro in cruce pendens, statim credens agnovit ille consors supplicii (3); vos autem oblitus estis auctorem vitæ. Clama, Latro, de cruce; facinorosus tu sanctos convince (5). Quid illi? « Nos sperabamus, quia ipse redempturus erat Israël. » Quid iste? « Domine, memento mei, dum veneris in regno

¹ Matth. xvi, 15-18. — ² Ibid. — ³ Ibid. — ⁴ Luc. xxiv, 21.

(1) Cod. *quanti speratis?* — (2) Vide Serm. ccxxxiv, num. 2, et Serm. ccxxxv, num. 5, 6, 7; et Lib. 1 de Anima et ejus Origine, num. 2. — (3) Cod. *tempore.* — (4) Id. *facinorosus te sanctus convinct.*

» tuo¹. » Sperabatis ergo, quia ipse erat redempturus Israël. O discipuli, si ipse est redempturus Israël, defecistis; sed ille refecit, non deserit. Qui vobis comes factus est in via, ipse vobis factus est via². Sed tunc non ibi erat Petrus ille, qui dixit: « Tu es Christus Filius Dei » vivi. » Non erat cum ipsis. Ille putans de Christo, ubicumque erat, quia cum illis erat, antequam Dominus mortuus esset, tunc negavit, sed illo respiciente flevit. Modo autem Domino crucifixo et mortuo (1)..... Forte enim putabat, quia dicendo Judæi insultabant (2), et dicebant (3): « Si Filius Dei est, descendat de cruce, et » credimus ei³. » Quando forte, et Discipuli non insultantes, sed ut de cruce descenderet exhortantes (4). Postquam non fecit (5), sed animum tradidit, et visus est in ligno mortuus, sicut cæteri homines moriuntur, involutus, sepultus; quando et ipsi desperaverunt, et inter (6) desperantes erat et Petrus; post resurrectionem, sic Marcus evangelista dicit: « Apparuit mulieribus; ait: Ite, dicite Discipulis meis, » et Petro, quia surrexi a mortuis⁴. » Nam se mulieribus fidelibus jam ostenderat Dominus (7); et redierunt, et evangelizaverunt Discipulis, quia viderunt visionem Angelorum, qui illis dixerunt: « Quid quæritis vivum cum » mortuis? Non est hic: resurrexit⁵; » et corpus ejus in monumentum non invenerunt. Hæc mulieres dicebant, et viri non credebant; Apostolis ista nuntiabant, annuntiatoribus (8) annuntiabant, quis esset. Nam cum

¹ Luc. xxiii, 42. — ² Joan. xiv, 6. — ³ Matth. xxvii, 42. — ⁴ Marc. xvi, 7, et Matth. xxviii, 6. — ⁵ Matth. xxviii, 6.

(1) Hic videtur aliquid deesse, et in sententiis sequentibus. — (2) Cod. insultantur. — (3) Vide Serm. cclxxxiv, num. 6. — (4) Cod. exultantes. — (5) Id. factus. — (6) Id. non te. — (7) Vide Serm. xlv, num. 5. — (8) Cod. annuntiatoris.

vagos spiritus de corporibus obsessis eiceret, ipsi Spiritus contorti, et cruciatibus afflicti, dicebant: « Quid » nobis et tibi, Jesu, fili Dei summi? ut quid venisti ante » tempus torquere nos¹? »

V. His ergo manifestatus modis Christus Dei Filius; peracta tempora testata sunt, illa scilicet tempora in quibus (1) primus homo Adam non fuerat, quoniam Deus illum hominem primum Adam quando plasmavit, juvenem fecit; non eum ab infantilitate nutrit, sed juvenem fecit, qui et generare potuit, cui et dixit: « Crescite, et generate (2); implete terram². » Christus vero ab infantilitate nutritus usque ad mensuram ætatis, in qua factus (3) fuerat Adam, venit in eadem tempora, et illo tempore, quinta ætate, in qua Adam transgressionis et inobediencie peccatum incurrerat, tunc demum Dominus passionis injurias tolerare suscepit; ut sicut (4) Adam, suadente diabolo, vetiti ligni fructum male præsumpserat, per lignum crucis suæ Dominus patientissime culparum omnium maculas aboleret. Denique omnia illa membra, per quæ Adam interdictæ arboris poma decerpserat, eadem membra Dominus in suo corpore crucis patibulo condemnavit. Pedes (5) ergo, quibus Adam incedendo venit ad arborem malam (6), manus, quibus vetitum attigit pomum, clavorum infixione condemnatae sunt (7) in patibulo. Os cum quo (8) eundem vetitum (9) cibum Adam gustando comederat, felle et aceto in Christo potatum est. Ventre (10), in quo devoratus

¹ Matth. viii, 29. — ² Gen. i, 28.

(1) Cod. in qua. — (2) Vide lib. vi de Genesi ad Litteram, n. 3, etc. — (3) Cod. factum. — (4) Id. quid. — (5) Id. pedibus, et deinde manibus. — (6) Id. unam. — (7) Id. condemnatus est; et deinde in patibulum. — (8) Id. in quibus. — (9) Id. vetitatum. — (10) Id. ventrem.

cibus (1) transglutiendo descendit, lancea militis perforato, in salutem credentium sanguis et aqua manaverunt. Caput illud quod divina manus vel forma (2), vel cesarie capillorum in Adam adornaverat, spinis in Christo post modum (3) coronatum est. Facies illa, in qua diversorum membrorum lineamenta, ex quibus officia necessaria redduntur (4), fuerant exarata (5), in Christo, alapis insertis (6) sputaminibus pollutis turpiter adimpleta est. Dorsum illud (7), quod in Adam diabolus, ut se adoraret (8), sibi subjiciens fecerat incurvatum, flagellis in Christo postea a Pilato factum est dissipatum. Nullum itaque esse membrorum in se voluit Christus a contactu passionis inviolabile posse dimitti, quæ quondam in Adam voluptatum illecebris diabolus fecerat male nutriri. Ille transit (9) per delicias nemoris, Christus vero per angustias passionis. Quid enim adhuc ulterius dicam? In Paradiso tres: Adam, Eva et diabolus; in cruce vero tres, Christus, et a dextra atque a sinistra (10) levati duo latrones. Significatur in Adam Christus, in Eva Latro conversus, in diabolo Latro perditus et damnatus. Initium peccati in horto (11) commissum est, in cruce vero initium indulgentiæ condonatum est. Denique Adam per peccatum ejicitur de Paradiso, et Latro per confessionem inducitur in Paradisum (12). Exiit fur male rapiens vitum pomum, et introiit fur bene rapiens regnum; exiit de ligno faciens mortem, et introiit de ligno mercans salutem. Sed hic Latro, ut perveniret ad cœleste

(1) Cod. *deoratum cibum*. — (2) Id. *illud quoddam divina minutæ refi-
forma*, absurde. — (3) Id. *per modum*; et deinde *coronatus est*. — (4) Id. *reddentem*. — (5) Id. *exorata*. — (6) Id. *incertis*. — (7) Id. *illum*, et deinde *quem*. — (8) Id. *adorasse*. — (9) Deest vox *transiit*, aut alia similis in cod. — (10) Cod. non habet *et a sinistra*, sed tantummodo *et dextra levati*. — (11) Omittit Christus voces *in horto*. — (12) Cod. *Paradiso*.

regnum, vim fecit majestati divinæ, non corporea virtute vincens, sed fide. Sic ipse Dominus in Evangelio dicit: « Regnum cœlorum vim patitur, et violenti diripiunt illud¹. » Quid ultra violentius quam Latro?

VI. O admiranda rerum materies! Nec Abrahæ per vocem data est repromissio Paradisi; hæreditas quidem per fidem; repromissionem enim Paradisi nemo Patriarcharum accepit. Si enim diligentius perscruteris cuncta volumina legis, nullum ante Latronem invenies promissionem Paradisi meruisse; non Abraham, non Isaac, non Jacob, nec Moysen invenies, nec Prophetas, nec Apostolos; sed ante omnes solum reperies meruisse Latronem. Audi ergo Dominicam vocem, quam solus meruit accipere: « Amen, amen dico tibi: Hodie mecum eris in Paradiso². » Igitur vocavit Dominus Abraham, dicens: « Exi de terra tua, et de cognatione tua³; » et non dixit ei: Hæreditatem capies Paradisi, sed: « Venies in terram quam demonstrem tibi⁴. » Et Isaac quidem typum Christi significavit, quando, ut (1) immolaretur, patri obediens fuit. Et Jacob luctatus cum Angelo (2) in figura hominis, Deum se vidisse testatus est, dicens: « Vidi Deum facie ad faciem; ita salva facta est anima mea⁵. » Et Moyses legem accepit, et repromissionem bona terræ se esse hærediturum (3); at nunquam repromissio Paradisi ante Latronem.

VII. Necessarium est ergo quærere, cur huic Latroni ante alios et tales viros fide dignissimos, hæreditas Paradisi condonata est. « Creditur Abraham Deo⁶, » ut diximus, sed non tali conditione positus, sed creditur

¹ Matth. xi, 12. — ² Luc. xxiii, 43. — ³ Gen. xii, 1. — ⁴ Ibid. — ⁵ Id. xxxi, 30. — ⁶ Gen. xv, 6.

(1) Deest *ut* in cod. — (2) Cod. *cum luctatur angelo*. — (3) Cod. non habet *se*, et habet *hærediturus*; deinde vero *et pro at*.

Deo de caelis loquenti, et per sanctos Angelos sermonem porrigenti, et de propria auctoritate legem danti. Credidit Isaias, sed in caelo consistenti, sicut dicit ipse: « Vidi Dominum sedentem super thronum excelsum et » elevatum¹. » Credidit Ezechiel, sed et ipse Dominum super Cherubim contemplatus est². Credidit Zacharias, et dixit: « Vidi Dominum sacerdotem magnum stantem » supra altare Domini³. » Crediderunt et reliqui Prophetæ, sed diverso modo Dominum loquentem intuentes, sicut videre possibile erat humanæ naturæ. Credidit, sicut diximus, et Moyses, sed de medio ignis loquenti, et in tubæ (1) clangore et tonitruis, quibus infideles ad fidem poterant provocari. Hæc autem dico, non ut sanctis derogem, sed pro merito Latronis (2), qui solus per unam confessionem meruit Paradisum introire. Iste ergo Latro vidit Dominum Salvatorem, non in throno regali, non adorari in templo, non loquentem de caelis, non per Angelos aliquid disponentem; non (3) talia vidit, qualiter rei possit veritas credi (4); sed vidit in poena sociatum latronibus. Vidit in tormentis, et tanquam in gloria adoravit. Vidit in cruce, et rogavit (5) quasi in caelis sedentem. Vidit condemnatum, et regem invocavit exaltatum. Tunc enim Latro vidit et credidit, quando fides apostolica trepidavit; propterea et promissionem Paradisi accipere meruit (6). Quid tamen, quando credidit, dixit? « Domine, memento mei, dum veneris in regnum » tuum⁴. » O Latro, cui dicis, Regnum tuum (7)? Crucifixum vides, et Regem prædicas? In ligno eum pen-

¹ Isai. vi, 1. — ² Ezech. x, 4. — ³ Zach. iii, 1. — ⁴ Luc. xxiii, 42.

(1) Cod. *tube*. — (2) Id. *penitum latronem*. — (3) Id. *nam*. — (4) Id. *ut crederi*. — (5) Id. *rogat*, et deinde *invocat*. — (6) Vide August. Enarrat. in Psal. lxxviii, Serm. 1, num. 8, necnon alias in Psal. cxlii, num. 9. — (7) Vide August. Serm. ccxxxii, num. 6, et Serm. cclxxxv, num. 2.

dere cernis, et caelorum regna meditaris? Numquidnam Scripturas legisti, ab iniquitate non cessans? Numquidnam per Prophetas audisti, homicidia exercens? Numquidnam audisti divinum sermonem, quando ad cædem quotidie (1) accumbebas? Unde eruditus es talia philosophari? De qua (2) pateris poenam, et Christi confiteris victoriam. Judæi crucifigunt, qui norunt Legem, et Prophetas legerunt, et tu horum ignarus, Deum vocas, quem conspicias condemnatum, et adoras crucifixum. Quis te erudit talia de eo dici, ut quem tibi in poena conspicias sociatum, venturum (3) confitearis in regno? Et ille: Non me, inquit, lex docuit, non Propheta mihi aliquid annuntiavit, sed ipse Dominus præsens, qui me respexit, cordis mei secreta dirupit. Vidi quidem crucifixum, sed terræ motum sensi, et propter parricidas Judæos elementa indignantia intellexi; sensi enim talia fieri, et cognovi Regem esse de caelis. Ego quidem me ipsum considerans, et in me mea facta perpendens, juste in me noveram mortis collatam sententiam, quam et præsens damnatio definivit; sed dum mei facinorissocium audivi dicentem: « Si Filius Dei es, descende de cruce, » et nos salvabis et te¹. » Consideravi instantis vocem maledicentem, et intellexi diabolum esse. Qui enim tempore tentationis dixerat Domino: « De pinna templi mitte te » deorsum²; » ipse dicebat: « Descende de crucis patibulo: » cui ergo, ut potui, contradixi (4); sed nec hoc ille, ut taceret (5), noverat, cui diabolus, ut diceret, suggerebat; nec mihi aliquando divinus sermo de Christo tradiderat, quem, ut defendere, nesciebam; sed ipse Dominus in medio nostri positus, qui « Inter

¹ Matth. xxvii, 40. — ² Luc. iv, 9.

(1) Cod. *quandiu*. — (2) Nempe *cruce*. — (3) Cod. *venturus*. — (4) Id. *ut potuit contradixit*. — (5) Id. *tacet*.

» iniquos est deputatus¹, » ut Judex justus audivit (1), ambos judicavit (2), de tribunali crucis sententiam protulit, in qua insultantem damnavit, et credentem liberavit.

VIII. Timeant ergo insultantes, exultent credentes. Jam enim (3) Christus veniet in sua claritate. Propterea et nos, fratres, in humilitate cordis Christum credamus passum, crucifixum, sepultum, et tertia die a mortuis resurrexisse. Confiteamur, ut cum Latrone credente Paradisum Domini Salvatoris ingredi mereamur.

SERMO LXI.

In diebus Paschalibus IV.

Hic sermo, quem mutuati sumus ex Bibl. Laurent., Plut. xxii, cod. xiii, fol. 37, eo magis sancto Augustino videtur tribuendus, quod sive in tractatibus circa Evangelium sancti Joannis, sive in aliis de Scriptura sermonibus, sive in libris de Consensu Evangelistarum, nulum reperimus ejus loci commentarium. Ponatur inter Augustinianos post sermonem primi supplementi xxxviii, cum numero in diebus Paschalibus xxxiiii.

SYNOPSIS.

I. Nullam inter sanctum Joannem et sanctum Lucam circa absentiam Thomæ discordantia. II. Dubitatio Thomæ nostræ

¹ Luc. xxii, 37.

(1) Vide August. Serm. cccxxvii, num. 2. — (2) Cod. *audit, judicat.* — (3) Id. *faciens veniens.*

fidei est confirmatio. III. Cur Christus vulnus cicatricis servavit? IV. Fides invisibilium. V. Conclusio.

I. « THOMAS unus de duodecim¹, » etc. Hic oritur quæstio quare dicit Joannes evangelista non fuisse tunc cum cæteris Discipulis Thomam, quando apparuit eis Dominus eo die quo a mortuis resurrexit, cum Lucas dicat (1), quod duo ex Discipulis Jesu revertentes de castello nomine Emmaüs, « Invenerunt undecim congregatos, et eos qui cum ipsis erant, et sanctas mulieres dicentes, quod surrexit Dominus, et apparuit Simoni. » Et illi duo coeperunt narrare quæ gesta erant in via, et quomodo cognoverunt eum in fractione panis. Dum hæc loquerentur, stetit Jesus in medio². » Hæc quæstio hoc modo solvitur: Quando illi duo reversi sunt, et invenerunt alios dicentes: « Surrexit Dominus, et apparuit Simoni; » et ipsi coeperunt dicere quod ipsis contigerat, et quomodo cognoverunt eum in fractione panis, dum hæc invicem loquerentur, forsitan Thomas exivit tunc foras, aliqua compulsus necessitate: egresso autem illo, statim Dominus apparuit inter Discipulos, et dicebant alii Discipuli: « Vidimus Dominum. Ille autem dixit eis: » Nisi videro in manibus ejus fixuram clavorum, non credam³. »

II. « Quærendum est quare Dominus voluit electum suum Discipulum dubitare de sua resurrectione. Non sine causa factum est hoc; propter nos peractum est, qui post ascensionem Domini venimus ad fidem. Plus enim profuit nobis dubitatio Thomæ, quam citissima fides Mariæ; quia dum legimus in Evangelistis palpationem Thomæ et agnitionem, nulla dubietas in cordibus nos-

¹ Joan. xx, 34. — ² Luc. xxiv, 33-36. — ³ Joan. xx, 25.

(1) Cod. *dicit.*

tris residet. Sicut voluit habere Discipulum dubitantem de sua resurrectione, et non in eadem dubitatione permanentem, sic voluit et matrem suam sponsum (1) habere temporalem, qui ad ejus coitum non pervenit; ut sicut beatus Joseph custos veracissimus, et testis in coelo fidelis existeret integerrimae virginitatis Mariae, ita beatus Thomas fidelis testis fieret de ejus resurrectione.

III. «Infer digitum tuum huc¹,» id est, palpa cicatrices vulnerum meorum. Hic solent Gentiles deridere Christianos dicentes: Si Deus vester, ut dicitis, cicatrices sui corporis non delevit, sed eas in coelo invexit, qua temeritate putatis, ut vestra corpora post mortem restauratus sit? Quibus respondendum est: Qui majora fecit, sicut diximus, minora facere distulit. Primo (2) ut fides Discipulorum et nostra informaretur ad salutem; secundo ut ascendens in coelum ostendat Deo Patri, qualia sustinuit pro nobis tormenta, et provocet eum ad misericordiam; veluti, si aliquis miles a rege directus fuerit (3) occidere hostes suos, et singulare certamen inierit, et ibi multas plagas susceperit, reversus autem cum triumpho fuerit (4), ait illi rex multas gratias, et committit illum medicis suis peritissimis ad sanandum, et interrogant illum medici: Vis ita a nobis sanari, ut cicatrices in corpore maneant? dicat: Ita volo, ut cum viderint me concives mei, agant mihi gratias. Similiter et Dominus Jesus Christus.

IV. «Et noli esse incredulus, sed fidelis².» Fides est credere quae non vidisti. Divinitas Filii Dei invisibilis est. Unde Joannes dicit: «Dominum nemo vidit unquam³.» Nam Moyses, amicus Dei, dum voluit Dominum videre,

¹ Joan. xx, 27. — ² Ibid. — ³ I Joan. iv, 12.

(1) Cod. sponsam. — (2) Id. primum. — (3) Id. suo. — (4) Deest fuerit in cod.

dixit: «Domine, si inveni gratiam in oculis tuis, ostende mihi te ipsum manifeste, ut videam te¹.» Meruit audire a Domino: «Non videbit me homo², ut vivere possit (1),» id est, non videbit (2) mortalis homo invisibilitatem meam. Dicit quidam Doctor, quod nec Angeli qui assistunt in conspectu Dei vident illius divinitatem, sed tantum quantum ad salutem pertinet illorum. Dicit ei Thomas: «Domine minus meus, et Deus meus³.» Beatus Thomas homo erat, et hominem Deum videbat: vidit hominem, et credidit verum esse Deum. «Beati qui non viderunt, et crediderunt⁴.» In hac sententia sumus nos gentiles expressi, qui non vidimus Jesum Christum Dominum incarnatum, nec passum, et tamen credimus eum verum Deum et verum hominem. Quare posuit tempus praeteritum pro futuro? Quia quae hominibus praeterita sunt, in Dei praesentia semper manent. Hoc more loquitur semper in sacra Scriptura.

V. «Multa quidem et alia signa fecit Jesus in conspectu Discipulorum suorum, quae non sunt scripta in libro hoc⁵.» Librum hunc possumus intelligere librum quatuor Evangeliorum. Quare non sunt scripta? Quoniam si fuissent, incredibilia viderentur esse hominibus, et humanus sensus capere non potuisset. «Haec autem scripta sunt, ut credatis, quia Jesus est Christus Filius Dei, et ut credentes vitam in nomine ipsius habeatis⁶.» Unusquisque homo qui rectam fidem habet, et ipsam fidem bonis operibus adornat, vitam habet? Quam vitam? Dominum Jesum Christum, qui dicit: «Ego sum via, veritas et vita⁷.» Ad quam vitae contemplationem Dominus nos faciat pervenire.

¹ Exod. xxxiii, 18. — ² Ibid. 20. — ³ Joan. xx, 28. — ⁴ Ibid. 29. — ⁵ Ibid. 30. — ⁶ Ibid. 31. — ⁷ Id. xiv, 6.

(1) Cod. male potest. — (2) Cod. male addit me.

SERMO LXII.

De Alleluia.

Hic sermo legitur in quatuor codd. Florentin., nempe 1^o Bibl. Laur., Plut. xvii. cod. xli, fol. 112; 3^o ibid. Plut. xxxiii sin., cod. iv, fol. 59 b; 4^o Bibl. Ædil., cod. cxxxviii, fol. 165; 4^o ibid. cod. cxlii, fol. 150 b. Dignus est sancto Augustino, cujus ubique nomen præfert. Locus ejus post præcedentem.

SYNOPSIS.

I. Tres vocis hebraicæ alleluia significationes. II. Prima, Cantate ei, qui est. III. Secunda, Benedic nos simul Deus in unum. IV. Tertia, Laudate Dominum.

I. Ad laudem Dei, atque ad confessionem veræ fidei invitatur nos sermo hebraicus, fratres charissimi, qui assidue sonat in Ecclesia, id est, Alleluia. Alleluia enim de hebræo (1) in latinum interpretatur, Cantate ei qui est, aut, Benedic nos Deus simul in unum, aut certe, Laudate Dominum (2), quod totum saluti ac fidei nostræ necessarium est.

II. Debemus ei cantare, qui est, quia aut nos, aut antecessores nostri dudum cantabant hiis, qui non erant,

(1) Cod. iv de Hebraico. — (2) Vide August. Serm. cccxlii, num. 8; ccciv, num. 5; cccvii, num. 1; cccxii, num. 29; et Enarrat. in Psal. cxlviii, num. 1.

id est, diis (1) gentium et simulacris idolorum; sed vane tunc cantabant, quia vana erant quæ colebant. Sed postquam venimus ad credulitatem, et (2) ad agnitionem divinam, cantare cœpimus ei qui est, id est, Deo omnipotenti, creatori (3) cœli et terræ, et ipsi factori nostro, qui (4) ita ait ad Moysen: « Sic dices filiis Israël: » Qui est misit me ad vos¹. » Est enim ille qui semper fuit et sine initio Deus, et qui permanet in æternum sine fine. Cui merito ac jure cantamus, quia quod sumus, quod vivimus (5), non nostræ virtutis est, nec nostræ potentiæ, sed ipsius dignationis est et pietatis. Huic ergo tali ac tanto Deo, qui semper fuit et est, cantare debemus quæ digna sunt, quæ ad laudem ejus majestatis conveniunt, quod æternus sit, quod omnipotens sit, quod immensus sit, quod creator sæculi (6), et mundi salvator sit, qui (7) tantam dilectionem habuit in hominibus, ut etiam Filium suum pro salute sæculi traderet, dicente ipso in Evangelio: « Sic, inquit, dilexit Deus mundum, ut Filium suum unigenitum daret; ut omnes qui credunt in eum » non pereant, sed habeant (8) vitam æternam². »

III. Interpretatur ergo Alleluia, Cantate ei qui est; interpretatur etiam, Laudate Dominum (9), sive, Benedic nos Deus simul in unum. Quæ interpretatio quam congrua fidei nostræ ac saluti sit, si consideremus, advertimus. Cum ergo dicimus Alleluia, Benedicat (10) nos Deus simul in unum, oramus. Si ergo simul sumus in

¹ Exod. iii, 14. — ² Joan. iii, 16.

(1) Sic cod. iv; cæteri male dii. — (2) Sic cod. iv; deest et in cæteris. — (3) Sic cod. iv; cæteri male creatorem. — (4) Sic cod. iv; cæteri male quia. — (5) Hæ voces quia quod sumus, quod vivimus, desunt in cunctis codd., excepto cod. iv. — (6) Cod. cxxxviii creator cœli et terræ, et; cæteri ut in textu. — (7) Sic cod. iv; cæteri quod. — (8) Sic cod. iv; cæteri habeat. — (9) Sic omnes codd., excepto cod. iv, qui habet Deum. — (10) Omnes codd. benedic.

unum per fidem, per pacem, per concordiam, per unanimitatem, digne Dominum laudare possumus, et (1) digni sumus ut benedici simul in unum a Domino mereamur. Hoc enim scriptum est: « Ecce quam bonum, » et quam jucundum habitare fratres in in unum¹. » Et iterum dicit: « Qui habitare facit unius moris in » domo². » Benedicimur (2) itaque a Domino, si (3) simul in unum inveniamur, id est, in unitate fidei manentes, in concordia pacis, in affectu dilectionis, secundum quod Apostolus hortatur, et admonet, dicens: « Obsecro autem vos, ut idipsum sapiatis omnes, et » non sint in vobis schismata (4), situs autem perfecti » in eodem sensu et in eadem scientia³. » Unde si discordia, si scissura, si dissensio in nobis sit, non sumus digni benedictione Dei, nec Deum digne laudare possumus (5), quamdiu in hac malitia sumus. Quomodo enim confidenter sermone paterno respondere Alleluia possumus, id est, Benedic nos Deus simul in unum, ut mereamur simul in unum benedici, et Deum digne laudare valeamus. Non convenit responsio ista Hæreticis, Alleluia (6), non Schismaticis, non omnibus adversariis unitati Ecclesiæ, quia non sunt (7) simul cum Ecclesia in unum. Hoc enim, et ipse Dominus in Evangelio manifestat dicens: « Qui non est mecum, contra me est; » qui autem non colligit mecum, spargit⁴. » Christi enim est colligere in unum, diaboli vero per diversa (8) dispergere. Qui enim unitatem Ecclesiæ diligit, Christum

¹ Psal. cxxxiii, 1. — ² Id. lxxvii, 7. — ³ 1 Cor. i, 10.

(1) Sic cod. iv; cæteri male *ut*. — (2) Sic cod. iv; cæteri male *benedicimus*. — (3) Deest *si* in omnibus codd., sed male. — (4) Cod. male *scismata*; et deinde *scismaticis*. — (5) Sic cod. iv; cæteri male *possimus*, et sic paulo post. — (6) Cod. iv *alleluia hæreticis*. — (7) Sic cod. cxliii; deest verbum *sunt* in cæteris. — (8) Sic cod. cxliii; cæteri male *per diversas*.

sequitur; qui vero dispersione (1) delectatur, diabolum sequitur, quia (2) auctor dispersionis diabolus est; et ideo dictum (3) a Salomone legimus: « Tempus dispergendi et tempus colligendi¹. » Fuit dudum tempus, quo nos diabolus per diversa dispersit; sed veniet iterum tempus quo nos Christus colliget in unum. De qua re fugere et vitare debemus discordiam, cujus diabolum auctorem esse (4) cognoscimus; sequi vero pacem et unitatem Ecclesiæ, ut digne meritoque Alleluia respondere possimus, id est, Laudate Dominum, sive, Benedic nos Deus simul in unum.

IV. Vide quanta gratia interpretatio ista sit. Alleluia, singulariter respondemus, et communem benedictionem expetimus, ut singuli benedicamur in unum. Unum enim corpus Ecclesiæ sumus, et ideo omnes una voce, una mente, id est, una concordia, una fide, una spe, una charitate Deum laudare oportet; dignaturque Deus laudari (5) a justis, non dignatur ab impiis et peccatoribus; dignatur laudari a Catholicis, non dignatur ab Hæreticis; dignatur a fidelibus, non dignatur ab infidelibus. Quapropter ita agere, ita conversari (6) debemus, ut digni ad laudandum Dominum habeamur (7), et conveniat dictum illud (8) propheticum: « Laudate, pueri, » Dominum, laudate nomen Domini². » Quod (9) jure ac merito facimus, si voluntati ac præceptis ejus fideliter in omnibus pareamus, præstante ipso Domino nostro Jesu Christo, cui (10) sit gloria et honor in sæcula sæculorum. Amen.

¹ Eccl. iii, 5. — ² Psal. cxii, 1.

(1) Sic cod. iv; cæteri male *dispersionem*. — (2) Sic cod. cxxxviii; cæteri male *qui*. — (3) Sic cod. iv et cxliii; cæteri male *lectum*. — (4) Sic cod. iv; cæteri male *auctor est*. — (5) Sic codd. iv et cxliii; cæteri *laudare*, sicque deinceps. — (6) Sic cod. iv; cæteri male *conversare*. — (7) Sic cod. iv; cæteri male *habeamus*. — (8) Sic cod. iv; cæteri male *illum*. — (9) Sic cod. iv; cæteri male *quo*. — (10) Sic cod. iv; cæteri *cujus*.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

APPENDIX

SERMONUM INEDITORUM

SANCTI AURELII

AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

CLASSIS I.

SERMONES

DE SCRIPTURA.

SERMO I.

De Creatione et Lapsu.

Sermo sequens ex Cod. Cass. xii, fol., 82, extractus, inter nonnulla quæ sanctum Augustinum imitatione sapiunt, tot alia, quæ rhetorem evidenter produnt complectitur, ut illum nullo modo beati Doctoris sætum esse possit rationabiliter defendi. Hinc in Appendicem rejiciendum esse credidimus, ubi numerum obtinebit inter sermones de Scriptura 1.

SYNOPSIS.

I. Mundi creatio et hominis. II. Hominis lapsus. III. Diaboli invidia. IV. Femina damnat et salvat.

I. LITTERARUM certamina (1) mundi constitutionem humano generi testari videntur, dicentium (2): «In principio fecit Deus cælum et terram¹.» O artifex, qui primo tectum, quam fundamentum extendens, cæli cortinam, latumque orbem velari præcepit! Cum Deus, opifex rerum, mundi fabricam totam, uno artifice sunderet verbo, atque onus viscerum gravido sermone parturiens indigestis sensibus eructaret, et intra palatium divini cordis adolescerent cuncta, vel in hospitio sacrarum faucium errabat totus orbis intra januam vocis, et in cubiculo sacri pectoris elementa dormiebant. Loquitur Deus, et cuncta sunt; fabulatur, et procedunt. Nam cum universam fabricam imperando perficeret, cælum pependit, terra (3) jacuit, mare confluit (4); deinde factus est homo similis Deo, cui amabiliter suam imaginem propinavit. Roboratur corpore, pingitur specie, impletur spiritu, vestitur aspectu, constituitur dominus orbis, et mundi possessor introducitur; mox regnat, sed quia nulla est felicitas quæ non habeat inimicum, sic oblectantis diaboli seductus est blandimentis, ut ante disceret perdere, quam habere.

II. O misera simplicitas innocentis! Dum respicit diabolum fabulantem, sic oblitus est Conditozem. Quas sedes aut neglexit, aut noluit, aut amisit! Perdidit miser Paradisum, cui jam debebatur et cælum: Paradisum dico, fratres, ubi fluminum pigra velocitas amæno quodam lapsu discurrens, delicatis nemorum funditur spatiis; luxu-

¹ Gen. 1, 1.

(1) Forte *monumenta*. — (2) Cod. *dicentes*. — (3) Cod. *male terram*. — (4) *Ibid.* *confulsit*.

riatur unda per sulcos; erraticis cursibus fugitiva permolles inebrians herbas, propinat floribus ubertatem; non tumens vortice lapsus inflata (1), nec transfluvii fragoribus unda crispatur: et cum illic iudicium superet oculorum velocitas, tamen non movetur in lapsu. Illic ver temporibus amænatur, dies aspirat, et amicis flatibus temperies maritales pingues auras gravidat et imprægoat. Luxuriantur in frondibus luxu flexibili fecunditas pronuba, ac virginei cortices gemmis rumpentibus vulnerantur. Non subornat et adulterat ramos fugitiva conceptio, nec proni fœtus adulterant uterum novercalem; sed cum aditus genitales irrumpunt, cognatæ sulcantur cicatrices. Illic maritalis aura violat flores, et amœnitas gravida rore tepido meditat. Illic semper copia est, ubi quod cupias, non est; cum nihil desit, omnia cupiuntur. Nata præsumunt, innata prægnantur, et quidquid nascitur plus est, et vetus est nihil. Paradisi copia non habet terminum; illic et mercatur et cælum.

III. Sed cum hæc novum dominum rudis possessio salutaret, serpentinus livor momordit invidia, et cum apertius nocere non posset, celavit facinus in amore: «Eritis», inquit, sicut dii, scientes bonum et malum².» O ingeniosa deceptio atque artifex homicidium; nam cum inter (2) amœna palatia domosque purpureas ludentem caneret ac deambulantem, ubi per frondeos porticus viridesque parietes nativa constructio suboleverat, et inter spatia virentium columnarum pendens umbrosa inflata amœnitas, ubi artifices rami frondesque flexibiles naturales cameras explicaverant, vidit, inquam, sedoxit, decepit, occidit. O muneratio deceptrix, et præmium funerale! et quod Deus dederat, perdidit, neque quod promittebat diabolus accepit. Introduxit hostem sæculi in divina palatia debilis in-

¹ Gen. III, 5.

(1) Cod. *inflati*; qui potest capere capiat. — (2) Deest in cod. vox *inter*, quam requirit sensus.

quillinus, et in domiciliis cœlestibus barbari... (1) suscepit. Prædatur pomarium (2), possessor invaditur. Novum corruptelæ genus, nova proditiōis infamia! Dum seponitur pignus, remansit creditor nudus. Quibus ille artificiiis decipit insontes, quos simplici subtilitate prostravit! Nunc caput occidere, nunc jactare cervices, nunc inflatum pectus erigere, nunc obvolatis artibus complicare, atque rotatis cursibus sua colla innectens, veneno frangere (5). Errabat in corde latronis simplicitas aliena, et ex ore venefico distillabat dulcedo mortifera.

IV. Pascitur de interitu viri cum sc̄mina subarans (4) inferos, seponit mortem. Tale præmium dederat conjugī, unde et maritus possit occidi. O summum malum atque acutissimum diaboli telum, mulier! Quæ sit sc̄mina, fratres, agnoscite, vel qualis sit audite. Muscipulum est animæ, latrocinium vitæ, suavis mors et dulcis interitus, malum libens, et sapida jugulatio: sc̄mina munerat inferos, et spoliat cœlos. Quanta calamitas rerum! Quomodo (5) non deciperet mundum, quæ peccare fecit et cœlum. Viscerium serpentis est sc̄mina: inde diabolus aucupatur. Execranda est mulier ista, dum decipit. O iterum recolenda, dum salvat: plus enim dedit gratiæ, quam doloris. Quod enim ipsa vulneraverat, ipsa iterum sanat. Licet Eva genuit mortem, sed tamen Maria peperit Salvatorem.

(1) Hic in cod. habetur vox, quæ non legi potest, nec intelligi. —

(2) Vide Serm. viii in Psal. cxviii, n. 1, et Enarrat. in Psal. xxxix, num. 4.

— (3) Cod. *frangebat*, minus bene. — (4) Cod. male *subarrant*. — (5) Cod. male *quando*, et paulo post *qui*.

SERMO II.

Quomodo Christus descendens de monte, leprosum ac servum centurionis sanavit. Matth. viii, 1-13.

Cod. x, Bibl. Ædil., ex eujus fol. 9 educitur hic sermo, longam complectitur seriem sermonum, qui nomen habent sancti Augustini, et sæpius sententiarum gravitate legenti placent. Sed beato Doctori nullatenus possunt tribui, cum evidentes habeant characteres, quibus recentiores ejusdemque auctoris fœtus demonstrantur: 1° in quibusdam citatur ipsemet Augustinus, ut videre est inter alia loca in sermone xxxi de Quadragesima infra, ubi vocatur ille organum Trinitatis et sanctitatis norma; 2° in eodem sermone auctor se Sigiberti compatriotam esse testatur, qui nullus alius videtur esse quam Sigibertus Gemblacensis, anno 1112 in suo monasterio defunctus; 3° locutiones habet nullo modo Augustinianas, et quæ ætatem recentiorum sapiunt, quales sunt numquid pro numquid non, sibi pro ipsi, guerra pro bello, etc.; 4° insurgit aliquando contra quedam vitia, tempore sancti Augustini non sæpe memorata, verbi gratia contra Simoniacam labem; 5° laudat scriptores Augustino multo recentiores, et præsertim in sermone de sancto Andrea memorat Avicennam medicum, qui non nisi anno 1037 mortuus est. Hinc Bandinius in suo Suppl. 1, coll. 25, cod. x, § 1, eos merito sancto Augustino abjudicat. Cum autem plura habeant, quæ doctrine ecclesiasticæ possint inservire, et aliunde nusquam stampati appareant, causæ religionis inservire credimus, illos in publicum emittendo.

Quod attinet autem ad sermonem præsentem, plura sunt quæ aliunde me deterrerent, quin hunc sancto Augustino tribuam, maxime autem quod multa appareant quæ cum Evangelio non satis concordant, qualia sunt illa ubi Regulum Syrum fuisse asserit, et pro filia postulasse, cum revera postulaverit pro filio, imo et Centurionem pro Christo fuisse lapidatum. Quanquam hæc fortasse possint amanuensium erroribus tribui, cum in pluribus codex desiciat. Locus ejus in Appendice post sermonem appendicis Maurinensis LXIX.

SYNOPSIS.

I. Leprosi fides. II. A Christo tangitur, ut discamus, pauperes honorare. III. Centurionis in servum misericordia. IV. Venit juxta Matthæum, misit juxta Lucam. V. Christus vadit ad pauperem, non ad divitem. VI. Leprosi et centurionis comparatio. VII. Fidem Centurionis miratur Christus. VIII. Conclusio per moralem adhortationem.

I. FRATRES dilectissimi, quando Christus voluit habitare inter homines, potentiam suæ virtutis ostendit, et in factis mysticis nostram credulitatem informavit: paucis Discipulis Dominus prædicaverat, necdum turbæ ad eum ascenderant, sed descendens de monte secutæ sunt eum turbæ multæ, vel ut (1) saturarentur, vel ut sanarentur, vel ut calumniarent. « Et descendens de monte infra turbas, et » ecce leprosus veniens clamando adoravit eum, dicens: » Domine, si vis, potes me mudare¹. » O quanta est, fratres, fides leprosi! audierat enim, « Quod virtus de illo » exibat et sanabat omnes²; » audierat, quod « Omnia fa- » cere poterat in cælo, et in terra, et in omnibus abyssis³; » audierat, quod, per Elisæum, Naamæn principem ipse Deus

¹ Matth. vii, 1, 2. — ² Luc. vi, 19. — ³ Psal. cxxxiv, 6.

(1) Cod. ut vel.

SERMO II, QUOMODO CHRISTUS DESCENDENS, ETC. 317
a lepra mundaverat⁴, quia sola voluntate omnia Deus fecit; ideo dicebat: « Domine, si vis, potes me mundare; » non oportet jubere, sed velle; quia in divinis non differt esse et posse; voluntatem enim tuam sequitur potestas; ergo, « Si vis, potes me mundare. » Videns utique Salvator fidem clamantis et voluntatem deprecantis, ait: Cum petas meam voluntatem, et ores eam adimplere, « Volo⁵, » quia fidem et spem in te regnare video; ideo, Volo et jubeo; manum etiam appono; et ait Dominus alta voce: « Mundare². » Cum ait Salvator, « Volo, » se velle ostendit; cum autem ait: « Mundare, » imperando præcepit: cum extendit manum et tetigit eum, ostendit quia manum apposuit.

II. O Salvator, quare Leprosum tetigisti? numquid non immundus erat? numquid sola voce eum mundare non (1) poteras? Cur ergo, o Salvator, hoc fecisti, nisi ut superbiam meam ostenderes? Ideo non abhorruit carnem leprosi tractare, qui nec etiam inter bovem et asinum abhorruit reclinare. Quid ergo, o dives, qui pauperes fugis? cur infirmos despicias, cum Salvator leprosum tangere gratiose dignatur? Cogitate ergo, fratres, quod Angelorum Dominus, cælorum Rex descendit in mundum, ut leprosum tangeret; ac si diceret Dominus: Ecce tangere veni per humilitatem, qui vobis divitibus sordet per superbiam. Non ergo, fratres, sit vile servo quod facit imperator. « Qui » enim despicit pauperem, exprobrat factori ejus³, » et sequitur contextus (2): « Mundata est lepra ejus, et ivit magnificans Deum. »

III. Quem centurio aspiciens, et eum mundatum videns, mox venit ad Jesum rogans et dicens: « Domine, puer meus » jacet in domo paralyticus, et male torquetur; et ait Jesus: » Ego veniam, et curabo eum. Et ait Centurio: Domine, » non sum dignus, ut intres sub tectum meum⁴. » Gentilis

¹ 4 Reg. v. — ² Matth. viii, 3. — ³ Ibid. — ⁴ Prov. xiv, 31, et xvii, 5. — ⁵ Matth. viii, 5-7.

(1) Deest non in cod.; sed sensu requiritur. — (2) Cod. male contextum.

quippe erat iste Centurio, centum etiam milites sub se habens; nullam etiam legem habebat, quæ ei condolare infirmo præciperet; et tamen dolet, non de filio, quia servus erat, non de milite, sed de servo. O christiane princeps, erubescere. Nam si vides servos infirmari, despicias, et tamen legem habes ut diligas, et expellis eos, ut canes de domibus tuis; et tamen omnino credis audire a Domino: «Infirmus fui, et non (1) visitasti me¹.»

IV. Ecce enim gentilis quam magnam curam habet de servo, quia misit seniores ad medicum animarum. Unde hec, fratres, nisi quia gentilis et alienigena erat? Ideo, fratres, ad eum ausus non fuit accedere corpore, ut ait Lucas², sed fide tantum, rogans per seniores, ut sanaret servum ejus. Jesus autem ibat cum illis. Cum autem Jesus non longe esset a domo, misit ad eum Centurio amicos dicens: «Domine, noli vexari, noli accedere amplius; non enim sum dignus ut intres sub tectum meum, sed tantum die verbo et sanabitur puer meus³; et tamen rogaverat ut veniret. Sed hoc non dicebat de adventu corporis, sed de accessu commiserationis; et seniores intellexerant forsitan de accessu corporis. Rogaverunt etiam eum Judæi dicentes: «Dignum est, ut illi hoc (2) præstes; diligit enim gentem nostram, et synagogam nobis (5) ædificat⁴.» Notate verba istius Gentilis; intimaverat enim tres passiones servi: primam, quia jacebat; secundam, quia paralyticus; tertiam, quia male torquebatur: puer ergo jacebat in domo. Et quare hunc non attulisti, o Centurio, sicut et alii qui paralyticum in lecto attulerunt? Respondere potest, quia, Tantam fidem in Christo (4) habebam, quod omnia credebam, quod essent nuda et aperta sibi, et ipsum per potentiam ubique præsentem (5) esse non dubitavi. Itaque, fratres, mittit dicendo, quod puer in domo jacet, ac si diceret: Non oportet ut ad te efferam.

¹ Matth. xxvi, 35-39. — ² Luc. vii, 3. — ³ Ibid. 6. — ⁴ Ibid. 4, 5.

(1) Negatio videtur abundare. — (2) Cod. male *eum*. — (3) Legendum potius *ædificavit*. — (4) Cod. male addit *non*. — (5) Id. male *præsens*.

V. Cur ergo Dominus ait: «Veniam et curabo eum¹;» cum non petat adventum ejus. Regulus quidam erat, cujus filius infirmabatur Capharnaüm, qui Jesum rogabat, ut descenderet et sanaret filium ejus; et ait Dominus: «Vade, filius tuus vivit².» Ad servum autem non petentem Salvatoris adventum, voluit venire; ad filium regis persuadentis noluit Salvator descendere. Quare hoc, fratres? Quia «Non est personarum acceptio apud Deum³.» Nos honoramus divitias, et divites, dum moriuntur, quorum animæ forsitan in inferno jam cruciantur: honorare volumus eorum corpora ultra modum; ad eos etiam infirmantes sine fine concurrimus, sed ad pauperes ire abhorremus. Ecce Rex ad servum Centurionis non dissentit ire, sed ad filium regis ire contemnit. Quare hoc? nisi quia divites omnia de jure bona juste eis habere apparet superbia divitiarum inflati (1). Venerat tamen salvare tam divites, quam pauperes. Pauper etiam Christus fuit, et pauperes dilexit, ut et nos pauperes et paupertatem amemus. Voluit ergo Dominus ire ad servum, sed Centurio clamat ne accedat, quia non æstimat se dignum, Christum in domo recipere, tum quia Gentilis, tum quia alienigena, tum quia miles et sanguinem proximi effuderat, tum quia concubinas tenuerat, tum quia cunctis bonis privatim se præsenarat; ideo bene dicebat: «Non sum dignus.» Et ecce, fratres, dicendo, «Non sum dignus,» dignus efficitur. Discite, fratres, a Centurione, dum corpus domiicum recipere debetis, dicere corde et verbo: «Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed tantum die verbo, et sanabitur puer meus (2).»

VI. Comparemus ergo utrumque simul, o fratres, Centurionem et Leprosum. Videamus, cum utriusque fides magna

¹ Matth. vii, 7. — ² Joan. iv, 50. — ³ Rom. ii, 11.

(1) Sic cod, quem corrigere non præsumpsimus. Forte legendum: *Quare hoc? quia divitem. Omnia divitibus bona juste habere apparet superbia divitiarum inflatis.* — (2) Forte *anima mea.*

esset, quæ major fuisset. Ait enim Leprosus : « Domine, si vis, potes me mundare. » Et Centurio ait : « Domine, dic tantum verbo, et sanabitur puer meus. » Orat Leprosus voluntatem, et ille jussionem. Subtilius considerat divinam potentiam, qui sola voluntate credit esse potestatem; majorem fidem habet qui non solum confidit in jussione vel visione, sed in sola voluntate; et tamen magna est fides Centurionis et mirabilis; ait enim : Credo quod verbo tuo poteris sanare. « Ego enim, inquit, sum homo habens sub me milites, et dico huic : Vade et vadit, Veni et venit¹, » et mihi homines obediunt, qui sum homo; tu vero, qui Deus es, multo magis. Angeli et natura tibi solo verbo obediunt; omnia enim potes; ideo dic, et fiet.

VII. « Et audiens hoc, Jesus miratus est; hoc est, mirari visus est; et sequentibus se ait : Non inveni tantam fidem in Israël². » Judaicus enim populus me facere vidit miracula, et ait : « In Beelzebub ejicit dæmonia³; » princeps etiam Syrus (1) ille, Domino (2) petens sanitatem pro filia (4), non dixit : « Dic verbo, » sed ait : « Veni velociter, » antequam filia moriatur⁴. » Doctor Israël de fidei (3) sacramenti audiens, ait : « Quomodo potest hoc fieri, ut quis nascatur denuo⁵? » Maria et Martha Domino dixerunt : « Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus⁶; » quasi non absens potuisset (4) sanare eum, sed tantum si fuisset præsens; ideo ait Dominus : « Non inveni tantam fidem in Israël; ideo fiat tibi sicut credidisti; et sanatus est puer in illa hora⁷; » primo anima, postea corpore. Et ecce Centurio Deum magnificando, dimissa mundana militia, recurrit ad Jesum osculando pedes Jesu in foro et magnificando Jesum; et sic post Domini et Stephani mor-

¹ Matth. viii, 9, et Luc. vii, 8. — ² Matth. viii, 10, et Luc. vii, 9. — ³ Matth. xii, 24. — ⁴ Joan. iv, 49. — ⁵ Id. iii, 3, 4. — ⁶ Id. xi, 21-32. — ⁷ Matth. viii, 13.

(1) Non legitur in Evangelio illum fuisse Syrum. — (2) Cod. habet nomine, sed male. — (3) In Evangelio mentio est de filio, non de filia. Forte per amanuensis errorem. — (4) Cod. male fide. — (5) Cod. minus bene potuisset... fuisses.

SERMO II, QUOMODO CHRISTUS DESCENDENS, ETC. 321
tem, efficitur martyr gloriosus, et velut alter Stephanus, pro Christi nomine lapidatur (1).

VIII. Et postquam voluit inter homines conversari, turbæ multæ secutæ sunt eum¹, quia vestigia Domini mutata sunt (2). Veniat ergo si quis leprosus est in turba fidelium. Lepra enim, fratres, quid aliud quam peccata mortalia significat, quibus anima nostra maculata efficitur? Si ergo aliquis vestrum leprosum se esse discernat, ad Medicum sine mora recurrat, et dicat : « Domine, si vis, potes me mundare². » Præceptum enim erat in Lege antiqua, ut si aliquis leprosus esset, poneretur extra castra, et si sanatus esset ab aliquo Propheta, cum Deo duce, ostenderet se sacerdoti. Numquid et non (3) sic hodie, fratres, anima peccatorum rea (4) extra Ecclesiam ponitur, et per sacerdotem se ipsam peccatricem ostendens, in Ecclesia recipitur sana? Invitat etiam nos Dominus ad humilitatem, cum servum Centurionis visitare cupit. Non ergo pauperes despiciamus, quia inter pauperes Dominus honoratur. Facite ergo vobis, o divites, tales amicos; suscipite pauperes, « Ut recipiant vos in æterna tabernacula³, » adjuvante Domino nostro in sæcula sæculorum. Amen.

¹ Matth. viii, 1. — ² Ibid. 2. — ³ Luc. xvi, 9.

(1) Non memini me legisse apud antiquos Centurionem pro Christo fuisse lapidatum. — (2) Sic cod. paulo obscurius. Videtur hic scriptor ad priora redire, et loqui de Christo, non de Centurione. Unde hoc ad lineam posui mus. — (3) Deest negatio in codice, sed sensu exigitur. — (4) Cod. r. vs... se ipsum peccatorem... sanus.

SERMO III.

De Verbis Evangelii secundum Matthæum : *Cum intrasset Jesus Jerosolymam, commota est universa civitas dicens : Quis est hic? Populi autem dicebant : Hic est Jesus propheta a Nazareth Galilææ. Et intravit Jesus in templum Dei, et ejecit omnes vendentes et ementes de templo, etc. Matth. XXI, 10-12.*

Duo codices hunc sermonem representant in Bibl. Laurent., nempe : 1° Plut. XVII, cod. xxxvi, fol. 66 b ; 2° Plut. XXI, cod. x, fol. 115. Prior nomen sancti Augustini præfert; posterior autem venerabilis Bedæ presbyteri; propter quam codicum divergentiam non ausimus illum sancto Augustino ascribere, licet eo minime sit indignus; maxime cum in simoniacos invehatur, quod magis congruit sæculo in quo Beda vivebat, quam sancti Doctoris temporibus. Locus ejus in appendice post sermonem appendicis Maurinensis LXXIII.

SYNOPSIS.

I. Contra vendentes res sacras aut eas ementes. II. Cor nostrum, sancti Spiritus templum, mundandum accuratius. III. Pia exhortatio ad virtutem.

I. Cum ingressus fuisset in templo Judæorum Dominus, et Salvator noster, et vidisset illic negotiationem illicitam exerceri, id est, vendentes oves et boves, atque colum-

bas, et nummularios sedentes, id est, omnia animalia quæ opus fuerunt ad sacrificandum in templo Domini (1), fecit flagellum de funiculis, et tantam multitudinem hominum ejecit de templo, dicens : « Scriptum est : Domus mea domus orationis vocabitur; vos autem fecistis eam speluncam latronum¹. » Templum enim Dei spelunca facta latronum, qui lucra terrena et illicita, non etiam spiritualia in animarum salutem sectantur (2); cultusque ejusdem religionis (3) eo modo non tam cultus Dei est, quam iniquæ negotiationis occasio. Nam quotidie ingreditur Jesus in templum suum, id est, in sanctam Ecclesiam, et ejecit omnes vendentes gratiam Dei de Ecclesia, episcopos (4), presbyteros, diaconos, omnesque ecclesiasticos, necnon et laicos; quia unius criminis habentur pariter Dei dona vendentes et ementes; quia scriptum est : « Gratis accepistis, gratis date². » Cathedras quoque columbas vendentium evertit, ut honor quoque sacerdotalis auferri ab eis doceret, qui pro terrena mercede opus Dei faciendum existimant.

II. Quod (5) igitur de ecclesiasticis diximus, hoc unusquisque de se intelligat. Dicit enim Apostolus : « Vos estis templum Dei vivum, et Spiritus sanctus habitat in vobis³. » Non sit in domo pectoris tui (6) negotiatio illicita. Nil boni quod facimus vel facere possumus, adjuvante Domino, appetitu jactantiæ faciamus, non terreni lucri concupiscentia, non malarum cupiditate rerum, ne ingrediatur Jesus iratus et rigidus, et non aliter emendet templum suum, nisi flagello adhibito, id est, correptione gravissima. De spelunca latronum, id est, de habitaculo dæmonum per visum iniquæ cupiditatis (7), et de domo negotiationis, id est, de corde terreni lucri inhiante, suæ faciat domum habitationis. Unde quia paucorum est tam solida fortitudo, ut nulla

¹ Matth. XXI, 13. — ² Id. x, 8. — ³ 2 Cor. vi, 16.

(1) Codd. addunt *et*, quod videtur abundare. — (2) Cod. x *sectatur*. — (3) Id. *regionis*. — (4) Id. addit *et*. — (5) Codd. *quid*. — (6) Deest vox *tui* in cod. x. — (7) Sic cod. Forte *per visum*. Hæc difficile intelliguntur.

perturbatione (1) quatiantur delicti, sanandis vulneribus quibus humana infirmitas sauciatur diligens est (2) adhibenda curatio. Unde dicit Scriptura : « Quis enim gloriatur » castum se habere cor, aut mundum se esse a peccato ¹. » Omnes sibi intelligant delictorum indulgentiam, et reparationis suæ necessariam sibi esse medicinam. Nemo ergo est tanta firmitate (3) suffultus, ut de justificatione sua debeat esse securus. Utamur igitur, dilectissimi, saluberrimi temporis venerabilibus institutis, et sollicitiori cura cordis nostri specula tergamus. Quantumlibet enim caste et sobrie mortalis hæc vita docatur, quodam tamen pulvere terrenæ conversationis aspergitur; et nitor mentium ad Dei imaginem conditarum non ita a fumo totius vanitatis alienus est, ut nulla possit sorde fuscari, et non semper indigeat expoliri. Quod si etiam cautissimis animis necessarium est, quanto amplius est iis expetendum, qui tota negligentius transierint (4); quos charitate debita commonemus, ut confugiamus omnes ad præsentem ubique misericordiam Dei, et digna se confessione, cum observantia mandatorum Dei cunctorum, corda (5) sanctificent.

III. Mitescat sævitia; mansuescat iracundia; remittant sibi omnes culpas invicem suas, ne exactor sit vindictæ, qui petitor est veniæ. Dicentes enim : « Dimitte nobis debita » nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris, » durissimis nos vinculis colligamus, nisi quod prostitemur, impleamus. Clementes autem et mites animi (6) largitas decet. Nihil enim est dignius quam (7) ut homo sui sit auctoris imitator, et secundum modum propriæ facultatis divini sit operis executor. Nam cum aluntur esurientes, vestiuntur nudi, soventur infirmi, nonne auxilium Dei ma-

¹ Prov. xx, 9.

(1) Sic cod. x; desunt in cod. xxxvi hæc verba : *Ut nulla perturbatione.* — (2) Ambo codd. male *se.* — (3) Cod. x male *tanta infirmitate.* — (4) *Id transierunt.* — (5) Cod. x male *si corda sanctificent;* qui et pessime paulo post *mitescant... mansuescant.* — (6) Codd. male *animo.* — (7) *Iid. dignus quia.*

SERMO IV, QUOMODO JESUS EJECIT DÆMONIA. 325
nus explet ministri (1), et benignitas servi munus est Domini. Et merito Deo gratiæ referuntur de pietatis officiis, cujus opera videntur in famulis. Propter quod ipse Dominus Discipulis suis ait : « Sic luceat lumen vestrum coram » hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent » Patrem vestrum qui in cœlis est ¹; » quod ipse præstare dignetur, qui vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO IV.

Quomodo Jesus ejecit dæmonia. Luc. xi, 14-28.

Idem dicendum de hoc sermone ac de omnibus qui educuntur ex Bibl. Ædil., cod. x, ubi hic legitur fol. 15 b. Ponatur in appendice post sermonem appendicis Maurinensis LXXXV.

SYNOPSIS.

I. Quid sit Beelzebub, et de eo Salvatoris responsio. II. Obsessus a diabolo est peccator. III. Adhortatio ad recurrendum Deo.

I. Sicut in mane audivimus, fratres, quod Dominus hodierna die multa Judæis ostendit : primo obsessus a diabolo ², qui ante obsessionem mutus erat et cæcus, liberatur : et tria fecit in uno, diabolum expulsit, muto loquelam et cæco visum donavit; quid igitur mirum, si « Miratæ » sunt turbæ ³? » Sed quia hoc miraculum negare cœperunt, ideo murmurare cœperunt, dicentes : « In Beelzebub principem dæmoniorum ejecit dæmonia ⁴. » Hic autem ortum

¹ Matth. v, 16. — ² Luc. xi, 14, et Matth. xii, 22. — ³ Luc. xi, 14. — ⁴ *Ibid.* 15.

(1) Codd. male *ministris.*

perturbatione (1) quatiantur delicti, sanandis vulneribus quibus humana infirmitas sauciatur diligens est (2) adhibenda curatio. Unde dicit Scriptura: « Quis enim gloriatur » castum se habere cor, aut mundum se esse a peccato¹. » Omnes sibi intelligant delictorum indulgentiam, et reparationis suæ necessariam sibi esse medicinam. Nemo ergo est tanta firmitate (3) suffultus, ut de justificatione sua debeat esse securus. Utamur igitur, dilectissimi, saluberrimi temporis venerabilibus institutis, et sollicitiori cura cordis nostri specula tergamus. Quantumlibet enim caste et sobrie mortalis hæc vita docatur, quodam tamen pulvere terrenæ conversationis aspergitur; et nitor mentium ad Dei imaginem conditarum non ita a fumo totius vanitatis alienus est, ut nulla possit sorde fuscari, et non semper indigeat expoliri. Quod si etiam cautissimis animis necessarium est, quanto amplius est iis expetendum, qui tota negligentius transierint (4); quos charitate debita commonemus, ut confugiamus omnes ad præsentem ubique misericordiam Dei, et digna se confessione, cum observantia mandatorum Dei cunctorum, corda (5) sanctificent.

III. Mitescat sævitia; mansuescat iracundia; remittant sibi omnes culpas invicem suas, ne exactor sit vindictæ, qui petitor est veniæ. Dicentes enim: « Dimitte nobis debita » nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris, » durissimis nos vinculis colligamus, nisi quod prostitemur, impleamus. Clementes autem et mites animi (6) largitas decet. Nihil enim est dignius quam (7) ut homo sui sit auctoris imitator, et secundum modum propriæ facultatis divini sit operis executor. Nam cum aluntur esurientes, vestiuntur nudi, soventur infirmi, nonne auxilium Dei ma-

¹ Prov. xx, 9.

(1) Sic cod. x; desunt in cod. xxxvi hæc verba: *Ut nulla perturbatione.* — (2) Ambo codd. male *se.* — (3) Cod. x male *tanta infirmitate.* — (4) *Id transierunt.* — (5) Cod. x male *si corda sanctificent;* qui et pessime paulo post *mitescant... mansuescant.* — (6) Codd. male *animo.* — (7) *Iid. dignus quia.*

SERMO IV, QUOMODO JESUS EJECIT DÆMONIA. 325
nus explet ministri (1), et benignitas servi munus est Domini. Et merito Deo gratiæ referuntur de pietatis officiis, cujus opera videntur in famulis. Propter quod ipse Dominus Discipulis suis ait: « Sic luceat lumen vestrum coram » hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent » Patrem vestrum qui in cœlis est¹; » quod ipse præstare dignetur, qui vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO IV.

Quomodo Jesus ejecit dæmonia. Luc. xi, 14-28.

Idem dicendum de hoc sermone ac de omnibus qui educuntur ex Bibl. Edil., cod. x, ubi hic legitur fol. 15 b. Ponatur in appendice post sermonem appendicis Maurinensis LXXXV.

SYNOPSIS.

I. Quid sit Beelzebub, et de eo Salvatoris responsio. II. Obsessus a diabolo est peccator. III. Adhortatio ad recurrendum Deo.

I. Sicut in mane audivimus, fratres, quod Dominus hodierna die multa Judæis ostendit: primo obsessus a diabolo², qui ante obsessionem mutus erat et cæcus, liberatur: et tria fecit in uno, diabolum expulsit, muto loquelam et cæco visum donavit; quid igitur mirum, si « Miratæ » sunt turbæ³? » Sed quia hoc miraculum negare cœperunt, ideo murmurare cœperunt, dicentes: « In Beelzebub principem dæmoniorum ejecit dæmonia⁴. » Hic autem ortum

¹ Matth. v, 16. — ² Luc. xi, 14, et Matth. xii, 22. — ³ Luc. xi, 14. — ⁴ *Ibid.* 15.

(1) Codd. male *ministris.*

habuit a Belo, patre Nini, qui Ninivem civitatem magnam condidit, et suo nomine denominavit; qui etiam valde diligens patrem suum, et de morte ejus valde dolens, fecit fieri auream statuam patris similitudinem exprimentem, quam in tanta reverentia habuit, ut quicumque mala fecisset, et ad imaginem patris confugisset, totum sibi dimitteretur. Omnes vero alii, quorum patres moriebantur, statuam fieri jubebant et adorari, et sic idololatria a Belo pullulavit (1). Itaque Moabitæ Beelphegor et Beelzebub ut deos adorabant; nam Beelzebub princeps erat omnium idolorum, eo quod diabolus in illa statua intrans, multas responsiones dabat. Judæi vero famam Beelzebub audientes, eo quod prope Palæstinos essent qui Beelzebub adorabant tanquam deum, deridendo Salvatorem, dixerunt ejicere eum dæmonia in Beelzebub principe dæmoniorum. Et ait Salvator: « Filii vestri » exorcistæ, qui in templo locuti sunt, « in quem ejiciunt? » Numquid in Beelzebub? absit. Numquid ergo et ego in nomine Patris mei, sicut et ipsi, ejicere non (2) possum? Nam per Prophetam habetis, quod « Omne regnum in se divisum desolabitur². » Ergo et infernus desolabitur, si unus expellit inde alium, quod non concessissent Judæi, scilicet quod infernus non durasset.

II. Sed quia de expositione Evangelii satis in mane audistis, et quomodo Salvator miraculum fecit, quomodo turba mirari cœpit, quomodo Pharisæi blasphemaverunt, quomodo quidam eum tentaverunt, quomodo eos reprehendit; his expletis, mulier quædam de turba, fiducia Salvatoris armata clamavit: « Beatus venter qui te portavit³! » Et ait Dominus: « Non tantum beata est illa scæmina quæ me portavit, sed valde beatus est qui præcepta Dei opere adimplevit⁴. » Sed modo quis sit iste, qui obsessus est a

¹ Luc. xi, 19. — ² Ibid. 17. — ³ Ibid. 27. — ⁴ Ibid. 28.

(1) Cod. *pupulavit*. — (2) Deest *non*, juxta hujus codicis consuetudinem, qui semper tollit *non* post *numquid*.

diabolo, audire propter nos debemus. Cæcus enim iste est ipse miser peccator, qui vere obsessus est a diabolo, quem etiam tenet mutum, ne confiteatur; tenet surdum, ne Dei verbum audiat; tenet cæcum, ne lumen cœli videat. Aliqui enim facti sunt muti, quia timent confiteri peccata. O insensatæ gentes, abluī verecundamini, sed inquinari non erubescitis. Tales etiam consueverunt Sarraboitæ hypocritæ, qui dicebantur boni, sanctique a cunctis sacerdotibus reputabantur. Quomodo ergo confiteber? O hypocrita, venies (1), et ligatus duceris ante tribunal Judicis, et tunc abscondere non poteris, quæ modo abscondere hominibus cupis. Non ergo terreamini, fratres mei, confiteri: nemo tam sanctus qui vivendo pœnitentia et confessione non indigeat. Non igitur timere debemus hostem fortem, quia Principem fortiorem habemus; ipse enim est Princeps noster, Legifer noster, fratres (2), Deus noster, Advocatus noster apud Patrem.

III. Aperiamus igitur ei, o fratres, aures cordis et corporis, et oculos mentis, ne obsessi amplius simus a diabolo, qui hominem ante obsessum tenebat. Recurramus ad Medicum animarum, « Quoniam ipsi cura est de nobis¹, » recurramus ad ipsum, ne amplius surdi, muti et cæci remaneamus, ne subito præoccupati quæramus spatium pœnitentiæ, et invenire non possimus. Adjuvet nos ipse Christus, sine cujus voluntate et gratia resistere non valemus; adjuvet nos ipse ad aperiendum sibi corda nostra, « Ut cum (3) venerit, confestim ei aperiamus²; » quod faciat ipse, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

¹ 1 Petr. v, 7. — ² Luc. xii, 36.

(1) Cod. *veneris... duceris*. — (2) Forte *frater noster*. — (3) Cod. *male dum*.

SERMO V.

Quomodo Salvator mundi satiavit quinque millia
hominum de quinque panibus et duobus piscibus.
Joan. vi, 5-13.

*Sermo iste sicut et præcedentes educitur ex Bibl. Ædil.,
cod. x, fol. 14 b, et propter easdem rationes rejicitur in
appendicem, ubi locum habeat post sermonem appendicis
Maurinensis xciv.*

SYNOPSIS.

I. In hoc miraculo docet nos Christus misericordiam et perseverantiam. II. Prælibantur quædam miraculi circumstantiæ. III. De misericordia. IV. De perseverantia. V. Christi convivii humilitas. VI. Quinque panum et duorum piscium mysticæ interpretationes. VII. Ad hos panes manducandos, elevandi sursum oculi. VIII. Non manducandi diaboli panes, nec ejusdem duo pisces, sed panis Christi hordeaceus. IX. Quis sit puer, qui habet panes et pisces, et ad quem recurrere debemus.

I. AUDISTIS, fratres charissimi, quomodo Salvator de quinque panibus et duobus piscibus quinque millia hominum satiavit. Dies enim hæc boni nuntii est, quia satiati Deum laudant, sed si non fuissent satiati, murmurassent. In hoc enim sancto Evangelio, fratres charissimi, Salvator ad misericordiam et perseverantiam nos invitat. Dum enim

SERMO V, QUOMODO SALVATOR MUNDI, ETC. 329

ait Discipulis (1): « Misereor super turbam¹, » nos misereri docet; dum ait: « Si dimisero eos sic, deficient in via², » exemplum præbet perseverantiæ. Ne ergo deficient in via, pasci debent sacra admonitione.

II. « Quidam enim de longe venerunt³. » Isti (2) qui levioribus culpis solummodo gravantur, et ad Deum convertuntur, de proximo veniunt. Qui vero post perpetrata flagitia, de longinquo venire dicuntur. Et responderunt Discipuli: « Quis poterit istos saturare in solitudine panibus⁴? » Deficiente victu et humano ingenio, respondit incarnata Veritas: « Quot panes habetis⁵? » Et ait ad Discipulum qui de partibus illis erat: « Unde ememus panes⁶? » Et ait Andreas: « Est puer unus habens quinque panes hordeaceos et duos pisces, sed quid inter tantos⁷? » Hæc enim responsio et interrogatio superflua esse videtur; non enim responsione indigebat, quia sua potestate omnia condidit, omnia continet in pugillo. Deum igitur interrogasse Discipulos arbitror, ut appareret necessitas ex hac responsione, et ex miraculo, quæ latebat, divinitas. « Et accipiens panes gratias agens⁸, » benedixit, sed non ideo gratias egit, ut impetraret, sed ut nobis formam impetrandi præberet. « Et manducaverunt, et satiati sunt⁹. » Exivit Dominus colligere fragmenta, ne perirent.

III. His, fratres, prætermisissis, de misericordia et perseverantia, aliqua propter nos dicamus. Ait enim Salvator: « Estote misericordes¹⁰; » quasi dicat Salvator: Cupis esse filius Patris mei? vis habere hæreditatem ejus? Esto misericors. Sine (3) habitu monacali, sine grammatica, sine philosophia, sine cæteris artibus salvari optime possumus;

¹ Marc. viii, 2. — ² Ibid. 3. — ³ Ibid. — ⁴ Ibid. 4. — ⁵ Ibid. 5. — ⁶ Joan. vi, 5. — ⁷ Ibid. 9. — ⁸ Ibid. 11. — ⁹ Marc. viii, 8. — ¹⁰ Luc. vi, 36.

(1) Hic omnia confundit concionator, ponens modo ea quæ dicuntur in Marco, de septem panibus, modo quæ in Joanne de quinque, et duobus piscibus. Duo sunt facta distincta, quæ male quasi ad unum revocantur. —

(2) Cod. male addit *sunt*. — (3) Cod. male *si non*, et sic deinceps.

sed absque misericordia Paradisum adhuc nullum intrasse perlegimus. Hanc Deus requiret ab omni homine, a divite quidem, opere et voluntate, a paupere, saltem voluntate, quia opere adimplere non potest. Bonum est jejunare, sed longe melius misereri, sicut patet de illo discipulo Antonii qui valde compatiebatur monachis infirmantibus, quibus etiam omnibus serviebat, prout poterat, sed quia non jejunabat, ut alii, ideo mundanus quodam modo reputabatur. Accidit autem, quod monachus misericors moritur, et cunctis videntibus ab Angelis elevatur: moritur et socius, qui jejunando valde anxiebatur, nec etiam cunctis videntibus elevatur. Orans sanctus senex Antonius (1) audivit: «Misericordiam volo super omnia sacrificia¹.» Ecce ergo quomodo misericordia est virtutum mater; ecce quomodo regina Paradisi esse perhibetur. Sed misericordia multis modis frangitur, et multis modis committitur. Frangitur enim misericordia iudicando proximum, odinando, decipiendo ipsum. Etiam non corrigere nihil est aliud quam contra Dei misericordiam agere. «Recte enim iudicate, filii hominum².» Sed scire, fratres, debetis, quod aliud est iudicium odii, aliud iudicium timoris, aliud iudicium amoris vel charitatis, aliud est iudicium veritatis. Iudicium odii fuit Judæorum, quando dixerunt: «Legem habemus, et secundum legem debet mori³.» Iudicium timoris fuit eorundem, quando dixerunt: «Si dimiserimus eum sic, venient Romani et tollent locum nostrum et gentem⁴.» Iudicium amoris et charitatis (2) fuit in David, quando filium, qui peccaverat, excusabat, et excusando dicebat: «Parcite filio meo Absalom⁵.» Iudicium veritatis fuit in Salomone, de meretricibus duabus, etiam in Salvatore dum dixit: «Qui sine peccato est,

¹ Matth. xii, 7. — ² Psal. lvi, 2. — ³ Joan. xix, 7. — ⁴ Id. xi, 48. — ⁵ 2 Reg. xviii, 5.

(1) Cod. *orante sancto sene Antonio audivit*, per manifestum erratum, nisi mavis addere *turba audivit*. — (2) Cod. *male carnis*.

» primus (1) in eam mittat lapidem¹.» His tribus omnino exclusis, si vere misericordes esse volumus, quantum capiamus, quod est iudicium veritatis. Sed quia aliquando iudicatur de occultis, aliquando de apertis, ideo ait Pater cœlestis: Nolite iudicare de occultis, quia solius Dei est, sed de apertis ait: «Recte iudicate,» vos qui estis «Filii hominum.» Igitur, fratres mei, misericordia etiam est vestire nudos, visitare infirmos, mortuos sepelire, errantes revocare, sed etiam longe est perfectius ei (2) dimittere, a quo læsus es. Hæc est illa magna misericordia, quæ excedit omnem aliam; hæc est illa summa eleemosyna quam tibi ipsi facis. Civis cœlorum efficitur per hanc eleemosynam Paulus (3): nam si Stephanus Paulo non peperisset, et pro eo non orasset, Ecclesia Paulum non habuisset.

IV. Sed hoc incipere bonum, modicum est, nisi perseveremus in bono. Ideo ait Dominus: «Si dimisero eos, deficient in via²,» quia subtracta Dei gratia, perseverare in bono nullatenus possumus.

V. Attendamus etiam, fratres, quod in hoc Christi convivio fuit magna humilitas, quia non vasorum argenteorum vel aureorum curiositas, non est copiositas ciborum, sed summa moderantia. Oh! quam Deo grata et Angelorum soror est ferculorum paucitas! solus enim panis hordeaceus legitur ibi fuisse, cum uno tantum pulmento; et nos miseri Ecclesiarum pastores de multis et variis adhuc contentamur (4). Vinum etiam ibidem fuisse non credimus, quia in deserto vinum non erat. Nec de vino, sicut de pane facere miraculum voluit; et nos miseri in nostris conviviis non solum vina optima sumimus et potamus, sed eo inebriati potiora (5) habere sæpe procuramus.

¹ Joan. viii, 7. — ² Marc. viii, 3.

(1) Cod. *male primo*. — (2) Cod. *longius et perfectius est*. — (3) Cod. *male efficeris... paulum*. Nisi aliter legas *qua civis cœlorum efficeris*. Per hanc eleemosinam Paulus est conversus; aut aliquid simile. — (4) Cod. *male tentamur*. — (5) Cod. *ea inebriata speciebus*.

VI. Sed si panem Salvatoris, fratres, sumere cupimus, sublevemus oculos ad Jesum, ut suos quinque panes comedere nos dignos faciat: asperitatem enim in se habent exterius, sed interius omni suavitate sunt pleni. Isti enim sunt quinque panes, quorum primus est cognitio sui, secundus est pudor commissi, tertius est dolor omissi, quartus est timor iudicii, quintus est horror inferni. Isti enim sunt quinque panes, quos frangere et comedere debemus. Duo pisces sunt fides et spes, quæ quinque panes comedere sapide faciunt. Quis enim, fratres, illos panes comederet, nisi de venia et de gloria speraret? et quomodo speraret, nisi Deum benignum crederet? vel isti quinque panes sunt dolor contritionis, pudor confessionis, ciborum abstinencia, vigilia et disciplina. Duo pisces sunt elemosyna et oratio, vel quinque panes sunt tribulationes, quorum primus est infirmitas a Deo illata, contumelia proximi, injuria facta viro sancto, et cordis angustia (1). Isti enim sunt panes tribulationis, qui animam reficiunt: istos panes gustavit sanctus Lot (2), dum vallatus fuit a Sodomitis in domo¹. Hos manducavit Joseph in carcere constitutus; hos gustavit Daniel in lacu leonum; hos manducavit Zacharias inter templum et altare. Omnes enim illi quos in excelsis credimus triumphare, panem doloris et aquam afflictionis sæpe gustasse nullatenus dubitamus.

VII. Hos igitur panes si cupimus manducare, oculos ad cælum levemus, exemplo Domini Salvatoris armati, quem sæpe oculos ad cælum levasse perlegimus. Sublevavit enim oculos ad cælum, quando satiari voluit quinque millia hominum ex quinque panibus. Sublevavit oculos Jesus turbam refecturus; et tu leva oculos, beneficium pauperi daturus. Sublevavit oculos Jesus Patrem rogaturus; dicens: «Pater, clarifica Filium tuum²;» et tu leva oculos,

¹ Gen. xix, 4. — ² Joan. xvii, 1.

(1) Hic quatuor tantum indicantur tribulationes, et quinta non indigitur, errore sane amanuensis. — (2) Cod. inepte Abraham.

Deum oraturus. Elevavit Jesus legisperito responsum daturus¹, ut tu Deo petas quid in vita sis postulaturus. Elevavit oculos Jesus Discipulos docturus: «Beati pauperes spiritu²,» ut tu populum docturus, oculos elevas ad Deum; cognoscens quia «Omnis potestas a Domino Deo est.³» Elevavit Jesus oculos sanaturus surdum et mutum, quia «Suspiciens in cælum ingemuit⁴,» ut etiam et tu ingemiscas peccata populi, et surdum ad Dei verbum conducas. Ideo Deus et Salvator ingemuit, insinuans quanta est difficultas surdum ad auditum, et mutum ad confessionem conducere. Elevavit Jesus oculos, dum Lazarum resuscitavit⁵, ut et nos semper oculos elevemus pro mortuis in peccatis. O fratres! quam magna difficultas est in conversione peccatoris, qui in peccatis et in consuetudine peccati mortuus est! Habet enim supra se lapidem obstinationis. Exemplo enim Salvatoris tui, dum aliquid facturum es, quod multum habet difficultatis, licet nec multum, nec modicum sine Dei gratia valeas (1) aliquid boni etiam cogitare; tamen in correptione peccatoris, quod est maximæ difficultatis, eleva ad Deum oculos cordis. Cum omnino ignoremus quid agere debeamus, vel per quem modum cor ipsius peccatoris scindere possimus, hoc solum habemus refugium, ut oculos levemus ad Dominum. Frequenter ergo, fratres, levemus ad cælum oculos; patria enim nostra est (2), ad quam tendimus, ad quam suspiramus, ad quam refugimus, pro qua militamus: «Non igitur habemus hic civitatem manentem, sed hanc futuram inquirimus⁶.» Locus enim noster, ad quem facti sumus, in quo (3) Patrem nostrum videbimus, sine labore amabimus, sine fictione fruemur omni gaudio et delectatione.

VIII. Sed si ad hanc recte intrare cupimus, fratres,

¹ Luc. x, 30. — ² Id. vi, 20. — ³ Rom. xiii, 1. — ⁴ Marc. vii, 32. — ⁵ Joan. xi, 41. — ⁶ Hebr. xiii, 14.

(1) Cod. vales. — (2) Deest in cod. vox est. — (3) Cod. in quem. Forto addendum est post noster.

custodiamus, ne quinque panes et duos pisces diaboli comedamus. Qui sunt diaboli panes et pisces, nisi septem vitia mortalia, quæ dulcia sunt in principio, sed amarissima et mortalia sunt in fine? O fratres, o fideles christiani, Christi sanguine pretioso redempti, gustate et manducate de Christi pane hordeaceo. Licet enim amarus sit et asperus in principio, dulcissimus et suavis erit in fine. Nam de turba et de familia Dei estis; Deum in fide secuti estis, fatigati estis, famelici estis, et si dimiserit vos Dominus sic, deficietis in via. Compatitur nobis Pater cœlestis, cum duxit nos ad se; Pater cœlestis cupit nos reficere, ut per viam non deficiamus: ecce facit nos discumbere, facit nos quiescere in mensa Ecclesiæ, cupit nos saturare pœnitentiæ, ut non deficiamus.

IX. Eia, eia, fratres mei, est puer unus qui habet quinque panes et duos pisces. Quis est iste puer, nisi Dei sacerdos qui omni puritate debet esse decoratus? Ipse enim habet quinque plagas Christi in canistro cordis sui: petas igitur ei quinque panes et duos pisces, quibus possis sustentari, ne deficias in via. Duo enim pisces fides et spes sunt. Pergite, fratres, ad hunc puerum; discite quomodo quinque panes frangere debeatis et duos pisces; discite quomodo frangendi, quomodo manducandi, quantum et quoties sint sumendi, ut recipi possitis in æterna tabernacula. Amen.

SERMO VI.

Quomodo Christus se abscondit et exivit de templo.
Joan. VIII, 48-59.

Sit, ut præcedentes, in appendice iste sermo, quem nobis iterum suppeditavit Bibl. Ædil. cod. x, fol. 15 b. Locus ejus post præcedentem.

SYNOPSIS.

I. Christus Samaritanus et dæmoniacus appellatus, secundum negat, non primum. II. Abscondens se Christus, nos docet mansuetudinem. III. Christi exemplum maxime pastoribus imitandum.

I. HODIE, fratres, sicut audistis, Salvator noster, « Qui » peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus¹, » peccator appellatur, dæmoniacus dicitur et Samaritanus². Ambiguus enim et incertus, et Legis adversarius, calumniator et fractor sanctæ Legis dicebatur, quia Samaritani etiam sic a Judæis reputabantur. Steterat enim jam Salvator in Samaria, et mulierem habentem viros quinque ad se traxerat³. Miracula multa ibidem fecerat, et ab eisdem dilectus erat; eum (1) filium Dei esse dicebant. Ideo Judæi indignati Christum prævaricatorem Legis appellabant, dum dicunt: « Samaritanus es et dæmonium habes; » quod tamen non negavit se esse Samaritanum custodem, sed

¹ 1 Peir. II, 22. — ² Joan. VIII, 48. — ³ Id. IV.

(1) Cod. cum. Forte quem.

custodiamus, ne quinque panes et duos pisces diaboli comedamus. Qui sunt diaboli panes et pisces, nisi septem vitia mortalia, quæ dulcia sunt in principio, sed amarissima et mortalia sunt in fine? O fratres, o fideles christiani, Christi sanguine pretioso redempti, gustate et manducate de Christi pane hordeaceo. Licet enim amarus sit et asperus in principio, dulcissimus et suavis erit in fine. Nam de turba et de familia Dei estis; Deum in fide secuti estis, fatigati estis, famelici estis, et si dimiserit vos Dominus sic, deficietis in via. Compatitur nobis Pater cœlestis, cum duxit nos ad se; Pater cœlestis cupit nos reficere, ut per viam non deficiamus: ecce facit nos discumbere, facit nos quiescere in mensa Ecclesiæ, cupit nos saturare pœnitentiæ, ut non deficiamus.

IX. Eia, eia, fratres mei, est puer unus qui habet quinque panes et duos pisces. Quis est iste puer, nisi Dei sacerdos qui omni puritate debet esse decoratus? Ipse enim habet quinque plagas Christi in canistro cordis sui: petas igitur ei quinque panes et duos pisces, quibus possis sustentari, ne deficias in via. Duo enim pisces fides et spes sunt. Pergite, fratres, ad hunc puerum; discite quomodo quinque panes frangere debeatis et duos pisces; discite quomodo frangendi, quomodo manducandi, quantum et quoties sint sumendi, ut recipi possitis in æterna tabernacula. Amen.

SERMO VI.

Quomodo Christus se abscondit et exivit de templo.
Joan. VIII, 48-59.

Sit, ut præcedentes, in appendice iste sermo, quem nobis iterum suppeditavit Bibl. Ædil. cod. x, fol. 15 b. Locus ejus post præcedentem.

SYNOPSIS.

I. Christus Samaritanus et dæmoniacus appellatus, secundum negat, non primum. II. Abscondens se Christus, nos docet mansuetudinem. III. Christi exemplum maxime pastoribus imitandum.

I. HODIE, fratres, sicut audistis, Salvator noster, « Qui » peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus¹, » peccator appellatur, dæmoniacus dicitur et Samaritanus². Ambiguus enim et incertus, et Legis adversarius, calumniator et fractor sanctæ Legis dicebatur, quia Samaritani etiam sic a Judæis reputabantur. Steterat enim jam Salvator in Samaria, et mulierem habentem viros quinque ad se traxerat³. Miracula multa ibidem fecerat, et ab eisdem dilectus erat; eum (1) filium Dei esse dicebant. Ideo Judæi indignati Christum prævaricatorem Legis appellabant, dum dicunt: « Samaritanus es et dæmonium habes; » quod tamen non negavit se esse Samaritanum custodem, sed

¹ 1 Peir. II, 22. — ² Joan. VIII, 48. — ³ Id. IV.

(1) Cod. cum. Forte quem.

bene non habere dæmonium, cum ait: « Ego dæmonium non habeo¹, » sed vos habetis dæmonium, quia filii diaboli estis², non natura, sed opere. Non igitur erant Judæi amici Dei, sed inimici Dei et veritatis. Ideo dicebat Salvator: « Qui ex Deo est, verba Dei audit³; » et quæ sunt verba Dei, nisi verba veritatis? Ille enim veraciter verba Dei audit, qui auribus corporis audiendo, opere adimplet. Ipsi vero nec opere, nec aure verba Dei audire cupiebant, quia veritatem audiendo, « Tulerunt Judæi lapides, ut lapidarent eum⁴, » tanquam blasphematorem Dei. Ideo solita Judæi crudelitate ad lapides currunt, et quem intelligere non poterant, lapidare querebant. Ideo eum (1) hoc genere mortis volebant occidere, quia videbatur eis blasphemare, attribuendo sibi verbum, quod ad Deum videbatur pertinere. Ideo Salvator benignus et humilis clausit oculos Judæorum, et abstulit eorum potentiam, « Et sic exivit de templo, et abscondit se⁵, » pergens ad desertum Ephrem (2). Abscondit igitur se Jesus, tanquam qui quidem magnus non erat, ut eos continuo terra descendente faceret absorberi. Attendant igitur Christiani, exemplum Salvatoris prospiciant, et teneant in æternum, ut dum tribulamur verbo vel facto, etiam si resistere possumus (3), iram et furorem superbientem declinemus.

III. Proponitur enim nobis hodie Salvatoris nostri bonitas et exemplum, quod imitari debemus, et Judæorum perversitas quam detestari debemus. Pastoribus (4) enim qui oves instruere debent, summe necesse est vitæ irreprehensibilitas. « Oportet talem esse irreprehensibilem, modestum, castum, benignum et mansuetum, ne ipsi dicatur: « Medice, cura te ipsum⁶. » Irreprehensibiliter ergo Pastores vivere debent, ut aperta facie dicere possint cum

¹ Joan. viii, 48. — ² Ibid. 49. — ³ Ibid. 44. — ⁴ Ibid. 47. — ⁵ Ibid. 59. — ⁶ Ibid. — ⁷ 1 Tim. iii, 2. — ⁸ Luc. iv, 23.

(1) Cod. iterum cum pro eum. — (2) Cod. scribit Effren. — (3) Id. possumus. — (4) Id. pastores... summe eis.

SERMO VI, QUOMODO CHRISTUS SE ABSCONDIT, ETC. 337
facie dicere possint cum Salvatore, saltem de peccatis gravioribus: « Quis ex vobis arguet me de peccato¹? » Cura ergo primum te ipsum, antequam ascendas cathedram Moysis, « Cura te ipsum exhibere operarium irreprehensibilem, recte tractantem verbum veritatis², » et opera charitatis. Verbum non recte tractat, qui, quod verbis ædificat, facto exstruere non curat. Numquid sordida manus, et luto sœtido plena, lavare poterit faciem? Puritas (1) igitur vitæ et veritas doctrinæ pastori summe necessaria sunt, sine quibus regere bene non potest. Unde valde timendum est regimen eorum, qui non habent vitæ puritatem. Numquid se etiam juvare possunt? Quomodo igitur alios? Talibus etiam Pastoribus humilitas summe necessaria est. Ecce enim, fratres mei, Salvatoris nostri exemplum, qui Dei Patris gloriam quærebat, et propriam carnis voluntatem despiciebat. Ait enim Salvator: « Ego non quæro gloriam meam³; » summe est enim necessaria humilitas rectori, ut alios instruendo, non solum sit in eo doctrinæ veritas, sed etiam intentionis puritas, ut in cunctis quærat gloriam Dei. Quærat igitur pastor gloriam Dei, primo bene vivens, ut ipsum videntes bonis ornatum, et tanquam in speculum inspicientes, dicant admirantes: Ecce homo qui vere gloriam Dei quærit. Quærat ergo pastor gloriam Dei; prædicando, discurrendo gloriam Dei enarret. Tunc enim gloriose Deo gloriam tribuit. Tunc gloriam Dei summe quærit, cum circa correptionem delinquentium proficit cum Dei dilectione et odio vitiorum. Talis gloriam suam non quærit; aliter (2) velut aër corruptus corrumpit corporum sanitatem. Oportet etiam et pastorem esse mansuetum, ut verba non curet, nec vulnera timeat; sed percussus in maxillam, præbeat et (3) aliam⁴.

¹ Joan. viii, 46. — ² 2 Tim. ii, 15. — ³ Joan. viii, 50. — ⁴ Matth. v, 39.

(1) Cod. male veritas, et ita inferius vitæ veritatem. — (2) Cod. absque sensu talisque forte aliquid deest, verbi gratia qui autem quærit, etc. — (3) Cod. sibi, absque sensu.

primo corde et postea corpore. Mitis est enim Salvator, qui rancore vel ira non movebatur, cum dæmoniacus diceretur. Tales enim sic Salvatorem imitantes, a perfidis Christianis se (1) abscondentes, exeunt de templo corporis sui, et abscondunt se in cœlis, quoniam verba Dei audierunt, et sermonem ejus servaverunt; ideo « Mortem non gustabunt in æternum », de quorum numero per gratiam faciat nos ipse Christus Filius Dei vivi. Amen.

SERMO VII.

Quomodo Christus flevit super Lazarum.

Joan. xi, 35.

Idem dicendum de hoc sermone ac de præcedentibus, cum extrahatur ex eodem cod. x, Bibl. Edil. fol. 16. Pauca dicuntur de Lazaro, et melior foret titulus, si diceretur: Quomodo Christus flevit super Jerusalem. Luc. xix, 41-46. Locus ejus post sermonem appendicis Maurinensis xcvi.

SYNOPSIS.

I. Christus, qui flevit super Jerusalem, flet super peccatorem. II. Flevit et super Judam proditorem. III. Fletibus insistendum, ut mala Jerusalem vitentur. IV. Qui sint, quos vendentes et ementes Christus eiecit e templo. V. Mundanda corda, quæ sunt templa Spiritus sancti.

I. TRIGINTA tribus annis et amplius, fratres charissimi, Salvator noster cum hominibus conversatus est, et in terris

¹ Joan. viii, 52.

(1) Deest se in cod.

visus est, non desistens cæcos illuminare, mortuos suscitare, infirmos sanare, et ad mortem jam pergens, nostra vulnera non neglexit. Dæmones expellere non pigrescit, virtutes informat, vitia extirpat, et peccatores ad misericordiam continuo revocat. Sed quia « Multi sunt vocati, et pauci sunt electi »; quibus ipse dicturus est in extremis: « Vocavi et renuistis, extendi manus, et non fuit qui aspi- ceret »; talibus obstinatis flendo compatitur, quia « Videns civitatem flevit super illam, dicens: Si cognovisses, et tu flevisse. Flevit assidue, dum civitati appropinqua- bat (1). Tunc super te (2) flet, dum tibi misereri optat; tunc super te flet, cum te videt et prospicit; tunc super te (3) flet, dum tibi appropinquare dignatur; tunc super te flet, dum te flagellat, ut corrigat. Sic enim flevit super Lazarum peccatorem mortuum; sic enim flevit super Job, ut meritis augetur patientiæ; sic flevit super Tobiam et Paulum, ut infirmiores in sanctis virtutibus persisterent; sic flevit super Mariam sororem Moysis, dum percussit eam lepra, quia de fratre suo Moyse nequiter murmuraverat; sic flet super omnes amicos, dum in præsentem eos torquet, ut ad patriam eos deducat.

II. Super Discipulum etiam flevit proditorem, quia non potuit eum corrigere, et quia noluit benedictionem, flevit super ejus æternam damnationem (4). Ideo flevit misericordiarum Pater, flevit Discipuli damnationem, flevit et longe fortius Discipuli obstinationem, quia obstinatus in malo clamavit et dixit: « Peccavi tradens sanguinem justum »; cognovit peccatum, et tanquam desperatus, non confidens de Dei et Magistri misericordia, « Laqueo se suspendit ». Flevit ergo Dominus Discipuli damnationem, non carnis passionem, dum ait: « Tristis est anima mea

¹ Matth. xx, 16. — ² Prov. i, 24. — ³ Luc. xix, 42. — ⁴ Matth. xxvii, 4. — ⁵ Ibid. 5.

(1) Cod. appropinquat. — (2) Cod. enim. — (3) Cod. enim. — (4) Cod. super eum æterna damnatione.

» usque ad mortem¹. » Hoc est quod flevit, hoc est quod usque ad mortem doluit. Flere dignatur (1) super te Christus in mundo, ut et tu rideas in futuro Flere ergo, fratres, non desistamus in præsentī, ut rideamus cum Christo in futuro; « Melius est enim ira quam risus², » et « Ire ad domum luctus, quam ad domum convivii³. » Sed dicet quis: Numquid Dominus facere non (2) poterat, quod tantum ac talem Discipulum non amitteret? Ex quo enim tantum eum flevit, tantum super eum doluit, toties in cœna Christus prædixit (5): « Qui intingit mecum⁴, » et « Quod facis, fac citius⁵? » Videtur enim quod non potuerit eum revocare a malo. Numquid et ipse non Deus est? Numquid non omnia potest? Numquid omnia bona non vult? O fratres mei, omnia bona vult, et nullum malum fieri permittit, nisi ex illo malo optimum prosequatur bonum, licet nobis absconditum sit, sed Deo soli cognitum. Omnia enim potest, sed contra voluntatem tuam te salvum facere non potest. Ecce in cœlo sedet, qui suo exemplo flere nos admonet.

III. Si igitur ad ipsum pervenire volumus, dum licet, lacrymis insistamus; quia cor nostrum siccum est, nisi lacrymis ipsum irrigemus. O civitas Christi sanguine dedicata, emitte lacrymas cordis et corporis. Ecce « Salvator tibi veniens, » sedens mansuetus super asinam⁶, » flere non desinit, et, si cognosceres quæ ventura sunt in te, forsitan doleres et fleres super te, eo quod « Venient dies in te, et circumdabunt te inimici tui vallo, et ad terram prosternent te; » eo quod non cognoveris tempus visitationis tuæ⁷. Factum hoc audivimus a Romanis principibus, eo quod non remansit lapis super lapidem. Facta est igitur subversio urbis, sicut vere prophetavit. Timendum valde est et tremendum in illa subversione designatum esse periculum mentis nos-

¹ Matth. xxvi, 38. — ² Eccle. vii, 4. — ³ Ibid. 3. — ⁴ Matth. xxvi, 23. — ⁵ Joan. xiii, 27. — ⁶ Matth. xxi, 5. — ⁷ Luc. xix, 43.

(1) Cod. male *dedignatur*. — (2) Deest vox *non* in cod. qui semper tollit negationem post *numquid*; et sic deinceps. — (3) Cod. *sibi dixit*.

træ et civitatis nostræ Jerusalem, quod male (1) viventibus iniquitas ac obstinatio parit. Sed quomodo, fratres, cavendum est, nisi ut peccata cognitione curentur, et confessione aboleantur? Voluntas enim nostra amaritudine pœnitentiæ suffocanda est. Amarus est enim gustus antidoti, sed salutare valde et vitale est, quod est faucibus insuave (2); et amaritudo in poculo displicibilis, sed restituenda per amaritudinem salus placet. Aspera est enim pœnitentiæ castigatio, sed levis efficitur, si modus culpæ et pœnæ inferni attendatur.

IV. Quod si facere volueris, o peccator, ingrediatur in te Salvator, quia « Ingressus civitatem, intravit templum, » id est, cor fidelium, et cœpit ejicere vendentes et ementes¹, id est, vitia venalia, quæ adhuc in ipso remanserant peccatore. Ingressus igitur Dominus civitatem, non ad forum tendit, non ad amicos primo divertit, non ad potum recurrit, non ad crapulas refugit; sed (3) regnum Dei primo quærit, ut nobis formam sanctæ religionis et exemplum exhibeat in æternum: vendentes et ementes de templo Dominus expellere festinat, quod tamen licitum erat emere et vendere in templo. Sed quid faciet Salvator de illis hypocritis, qui animas suas in templo quotidie vendere festinant? Tales sunt omnes illi qui Simoniam exercent (4) in templo, in confessione, vel in sacramento, dicentes se potestatem Dei habere, ubi nullam forsitan habent; tales sunt etiam, qui sacramenta donant et largiuntur pecunia præparata. Tales sunt omnes illi qui populo unum dicunt et aliud faciunt; tales sunt de templo expellendi, ne adulteria ibidem committant; tales peiores Judæis omnino credimus, fratres, quoniam Judæis, quæ apud (5) pro sacrificio erant, vendere bonum erat; sed populis Christianis prohibetur omnino.

¹ Luc. xix, 45.

(1) Cod. *malis*. — (2) Id. *suave*. — (3) Id. *sed ad*. — (4) Deest in cod. vox *exercent*. — (5) Cod. *acta*.

V. Sumus ergo, fratres, templum Dei. Consideremus quod tunc Dominus ad nos intrat, quando suæ inspirationi obedientiam adhibemus. Tunc enim vendentes et ementes ejicit, quando pravas et sordidas cogitationes, quibus vita æterna amittitur, et pœna et mors sine fine comparatur, misericordia sua abstergit, et mens quæ prius fuerat fossa latronum et vitiorum, mutatione dexteræ Excelsi, fit claustrum virtutum. Itaque, fratres, ecce jam Salvator advenit. Itaque munda templum tuum; colloca in ipsum misericordiam et veritatem oratione et lectione. Assiduis his cibis convalescit spiritus; ipse alitur cibus; ipse victor efficitur. Fructus ergo doctrinæ Dei est memoria peccatorum, pœnæ inferni, et mortis. Christi passio et desiderium æternæ gloriæ de memoria fidelium nunquam debent senescere, nunquam recedere; sed quando recessisse hæc cognoverimus, fratres, dicamus lamentantes: « Servi inutiles sumus¹. » Quod avertiat Deus, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

¹ Luc. xvii, 10.

SERMO VIII.

De Verbis Apostoli: *Estote imitatorès Dei, sicut filii charissimi, et ambulate in dilectione, sicut et Christus dilexit nos, et tradidit semetipsum oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis; (Ephes. v, 1, 2), sive quomodo debeamus Deum imitari.*

Sermo iste, qui utiliter perlegetur, non videtur sancto Augustino tribuendus, cujus tamen nomen habet præfixum in cod. x, Bibl. Ædil., fol. 20, unde extrahitur, tum quia codex ille dubitandi graves præbet ansas, ut supra diximus, tum quia scribendi genus differt ab Augustini stylo, tum quia evidens est opus superioris loquentis ad monachos, non episcopi loquentis ad populum. Hinc ponatur in appendice post sermonem appendicis Maurinensis cx.

SYNOPSIS.

I. Dei filii, Deum imitari debemus. II. Hunc imitamur, ambulando in dilectione. III. Dilectio duplex, Dei et proximi. IV. Primus ambulantium gradus est poenitentia, quæ non utilis est, nisi injurias condonantibus. V. Secundus est, vitare peccata, quod maxime fit per dilectionem. VI. Detractio maxime est dilectioni infensa. VII. Duo omnia perturbant, lingua et voluptas. VIII. Conclusio.

I. ADMONET nos Apostolus, fratres, ut sicut filii Dei (1) estis, a tanto Patre non separemini. Ille enim filius dignus

(1) Deest, vox *Dei* in cod.

V. Sumus ergo, fratres, templum Dei. Consideremus quod tunc Dominus ad nos intrat, quando suæ inspirationi obedientiam adhibemus. Tunc enim vendentes et ementes ejicit, quando pravas et sordidas cogitationes, quibus vita æterna amittitur, et pœna et mors sine fine comparatur, misericordia sua abstergit, et mens quæ prius fuerat fossa latronum et vitiorum, mutatione dexteræ Excelsi, fit claustrum virtutum. Itaque, fratres, ecce jam Salvator advenit. Itaque munda templum tuum; colloca in ipsum misericordiam et veritatem oratione et lectione. Assiduis his cibis convalescit spiritus; ipse alitur cibus; ipse victor efficitur. Fructus ergo doctrinæ Dei est memoria peccatorum, pœnæ inferni, et mortis. Christi passio et desiderium æternæ gloriæ de memoria fidelium nunquam debent senescere, nunquam recedere; sed quando recessisse hæc cognoverimus, fratres, dicamus lamentantes: « Servi inutiles sumus¹. » Quod avertiat Deus, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

¹ Luc. xvii, 10.

SERMO VIII.

De Verbis Apostoli: *Estote imitatorès Dei, sicut filii charissimi, et ambulate in dilectione, sicut et Christus dilexit nos, et tradidit semetipsum oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis; (Ephes. v, 1, 2), sive quomodo debeamus Deum imitari.*

Sermo iste, qui utiliter perlegetur, non videtur sancto Augustino tribuendus, cujus tamen nomen habet præfixum in cod. x, Bibl. Ædil., fol. 20, unde extrahitur, tum quia codex ille dubitandi graves præbet ansas, ut supra diximus, tum quia scribendi genus differt ab Augustini stylo, tum quia evidens est opus superioris loquentis ad monachos, non episcopi loquentis ad populum. Hinc ponatur in appendice post sermonem appendicis Maurinensis cx.

SYNOPSIS.

I. Dei filii, Deum imitari debemus. II. Hunc imitamur, ambulando in dilectione. III. Dilectio duplex, Dei et proximi. IV. Primus ambulantium gradus est poenitentia, quæ non utilis est, nisi injurias condonantibus. V. Secundus est, vitare peccata, quod maxime fit per dilectionem. VI. Detractio maxime est dilectioni infensa. VII. Duo omnia perturbant, lingua et voluptas. VIII. Conclusio.

I. ADMONET nos Apostolus, fratres, ut sicut filii Dei (1) estis, a tanto Patre non separemini. Ille enim filius dignus

(1) Deest, vox *Dei* in cod.

est patre, qui bono patri assimilatur. Unusquisque enim recognoscit se esse Christianum : si Christianum ergo et Christi filium. A quo enim Christiani dicuntur? Si autem Christianus filius Christi est, et Dei filius est. Cum autem Christiani omnes Dei filii estis, « Estote ergo imitatores » Dei, sicut filii charissimi¹. » Unde Jesus : « Videte qualem » charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei (1) nominemur » et simus². » Ergo « Qui dicit se in ipso manere, debet » sicut ambulavit (2) et ipse ambulare³. » Nunquam enim Christus ambulare cessavit; semper ambulavit. « Estote » ergo imitatores Dei, sicut filii charissimi. » Non tamen jubet nos Apostolus imitari Deum in divinitate, quia revera non possumus natura, sed participatione.

II. Non ergo jubet Apostolus Patrem Deum imitari in miraculis, nec ex nihilo aliquid facere. Sed quid? Tantum ambulare : « In novitate (3) vitæ ambulemus⁴, » non tantum ambulatione pedum, sed etiam manuum, non tantum gressibus corporis, sed mentis. Ascensuri, fratres, estis altum montem, et hic est cælestialis (4). Aliqui tamen ascendere differunt per annos centum, aliqui quinquaginta, aliqui quadraginta, aliqui triginta, aliqui viginti, aliqui decem, aliqui per diem, quia tanto tempore vivunt. Et quia forte viam ignoratis, vel forte per viam ambulare negligitis, ideo Apostolus nos per viam rectam ambulare docet, cum dicit : « Ambulate (5) in dilectione⁵. » Habeatis dilectionem, fratres, et secure transire poteritis viam, qua ad montem dirigitur. Ipsa enim habet duas alas, quibus homines ad montem volare possunt. Quæ sunt hæ duæ alæ, nisi dilectio Dei et proximi? His duabus alis ascendit Christus cælum : ipse enim Deum dilexit et proximum. Quid

¹ Ephes. v, 1. — ² Joan. iii, 1. — ³ I Joan. ii, 6. — ⁴ Rom. vi, 4. — ⁵ Ephes. v, 2.

(1) Deest in cod. vox *Dei*. — (2) Deest vox *ambulavit*. — (3) Cod. male in *voluntate*. — (4) Vox hæc indicare videtur auctorem ex Italia oriundum. In Italiana enim lingua remansit ista locutio usque adhuc *celestiale*. — (5) Cod. male *ambulatione*.

quid enim Christus in mundo faciebat, non sibi, sed Deo Patri attribuebat. Dicebat enim : « Et sermo (1), quem » audistis, non est meus, sed ejus, qui misit me, Patris¹; » et iterum : « Pater, fiat voluntas tua². Non sicut ego volo³. » De dilectione enim proximi patet, quando « Tradidit se- » metipsum pro nobis⁴. » Talem ergo, fratres charissimi, Patrem toto corde imitemur, qui prius viam dilectionis demonstravit, « Relinquens nobis exemplum, ut sequamur » vestigia ejus⁵. »

III. Diligamus ergo Deum et proximum, fratres, et tunc veram charitatem habebimus. Charitas enim est virtutum regina; omnes enim virtutes serviunt charitati. Si enim aliqua virtus est, quæ in charitate non fundetur, omnino desinit esse virtus. Et quoniam charitas est sublimior cunctis virtutibus, ipsa sola remanebit in futuro; licet enim Sancti in Patria fidem et spem semper remanendi habeant, in improprio (2) fidem et spem talem habebunt. Sola charitas, cæteris virtutibus pereuntibus, remanebit. Hæc sola virtus inter homines remanebit in futuro, quia et Deum, et se invicem, ut concives et filii ejusdem Patris, ardore nimio diligent. Diabolus igitur plus laborat odium mittere inter fratres, quam aliquod aliud vitium; quanto enim viderit plures in Christi fervore colligatos et confæderatos ad bellum, tanto minus frameam suæ nequitiae mittere poterit contra eos. Cum igitur, fratres, adversarius noster semper studeat nos perturbare et ad bella conducere, studeamus et nos tanta pace amare, ut ipsum sine dubio debellare possimus. Nam odio et discordia nascente, necessario filiae ejus nascuntur. Quæ sunt discordiæ filiae, nisi detractio, invidia, contentio et homicidium? Quod bene cognovit ille Theologus, qui dicebat : « Qui odit fratrem

¹ Joan. vii, 16. — ² Luc. xxii, 42. — ³ Matth. xxvi, 39. — ⁴ Ephes. v, 2. — ⁵ I Petr. ii, 21.

(1) Cod. *sermonem*. — (2) Vox dura, qua auctor videtur innuere, non proprie dictam fidem et spem sanctos in cælo habituros. Pro *talem*, forte legendum *tamen*.

» suum, in tenebris est, et in tenebris (1) ambulat et nescit quo vadat, quoniam tenebræ obcæcaverunt oculos ejus¹. » Et sic, fratres, exposuimus viam, qua ascenditur ad cælum. Modo videamus, quomodo in ea ambulemus. Ait enim: « Ambulate, dum lucem habetis, in dilectione². »

IV. Primus enim ingressus hominum ascendentium ad Deum est pœnitentia, et per eam veniam postulare: veniam postulare non potestis, nisi dilectionem Dei et proximi habeatis. Sicut enim veniam postulatis proximo contra eum peccantes, contra vos ipsos peccantibus (2) veniam postulate, vel præbeatis. Ait enim: « Nisi dimiseritis, non dimittetur vobis³. » Ecce quomodo est necessaria vobis dilectio. Sed dicetis: Iste abstulit res meas; intulit mihi injurias, interfecit mihi patrem; suffocavit mihi fratrem; minatur et me occidere. O fratres, forte est tales diligere, forte est tales recto corde amare, rectoque oculo aspicere: omnino credimus tibi. Sed quia forte est, quia durum est, non tamen impossibile. Licet multi hoc impossibile asserant, tamen omnino possibile est; omnino nobis necesse est. Nam si impossibile fuisset, Salvator quomodo inimicum diligere præcepisset? Impossibile tamen forte est, secundum nostrum modum corruptum vivendi; et quia forte est, ideo talibus magnum præmium promittitur. Cœlestis enim hæreditas datur; æterna pro transitoriis; perfectum pro insufficienti, maximum pro minimo dabitur. Reducite ergo vobis ad memoriam, quod fecerit ille Magnus Alexander, quantam contulit barbitonsori misericordiam volenti sibi venenum inferre. Numquid pati voluit, quod in aliquo læderetur? Numquid a regno eum expulit? Nequaquam legimus: sed pro malo bonum reddens, remisit eum ad patriam, eum omni arte privans, mi-

¹ 1 Joan. II. — ² Joan. XII, 35, et Ephes. V, 2. — ³ Matth. VI, 15.

(1) Desunt in cod. hæc verba: *et in tenebris*, evidenti amanuensis incuria.
— (2) Cod. *peccantes*.

litari dignitate ditatum. Quis fidelium hoc faceret (1) ex vobis? Ignoro; nisi, ut nostis, Hipponensis noster ille charissimus, qui prius voluit mori et occidi, quam malum pro malo reddere. Numquid et Ciceronius (2), philosophus magnus, licet Paganus, cum esset potens, non (3) fecit hoc idem? Numquid tamen ex hoc vitam æternam expectabat? Numquid in libris suis, non posuit quod mortuo corpore moriebatur et anima? Cur hoc ergo fiebat, nisi quia inimicis parcere optimum bonum sibi apparebat, et magnæ virtutis? Et nos miseri ad veniam inimicorum inclinari non possumus, quibus etiam regnum cœlorum promittitur. Oh! si debes aspicere Paganorum vitam et erubescere (4), imitare Patrem tuum, qui dixit: « Ignosce illis, Pater¹. » Omnia enim quæ facimus bona, quasi vana omnino sunt, nisi inimicis pepercerimus.

V. Post pœnitentiam vero necesse est vitare vitia; ideo summe necessaria est dilectio charitatis. Ipsa enim « Charitas non æmulatur²; » quoniam omni invidia caret; « Non agit perperam³, » quia malum pro malo reddere nunquam scivit; « Non inflatur⁴, » quia vermem et putredinem se esse cognoscit; « Non gaudet iniquitati⁵, » quia semper omnem iniquitatem odio habet. O sanctissima dilectio charitatis, o sponsa Dei, o amica Trinitatis, o Angelorum regina, o Paradisi via, o Patriarcharum anima, o Prophetarum domina, o Apostolorum victoria, o Martyrum constantia, o Confessorum fiducia, o Virginum et Viduarum hilaritas, o Monachorum et Eremitarum societas, o cunctorum Fidelium lumen, o Paganorum et Judæorum solatium, quam beata, quam pulchra, quam decora es! Nam qui te habent,

¹ Luc. XXIII, 34. — ² 1 Cor. XIII, 4. — ³ Ibid. — ⁴ Ibid. —

⁵ Ibid. 6.

(1) Cod. *facere*. — (2) Sic cod. Utrum loqui velit de magno Cicerone, dubitandi locus occurrit, cum Cicero animæ immortalitatem non in libris suis impugnaverit. — (3) Deest in cod. negatio, quæ deficit quoties ponitur *numquid*. — (4) Cod. *erubescite*.

te libenter astringunt, quoniam perfectionem et matrem omnium virtutum agnoscent. Numquid qui te habet, mori timet? Numquid homicidium facere vel cogitare potest? Numquid adulterium, numquid furtum committere? Numquid perjurium, numquid falsum testimonium, numquid rapinam? Numquid invidere, numquid litigare, numquid superbire, numquid per vicos et plateas discurrere, numquid blasphemare, numquid luxuriari, numquid per montes et Alpes volare, acquirendo quæ mundi sunt, numquid de montibus (*sic*) cælorum disputare? Omnino, fratres, dilectionem charitatis habentes, omnia hæc tanquam stercora conculcantes, Christum ducem habentes, ad Cælorum regna cum Angelis volant. Qui ergo diligit fratrem suum, manet in luce. Diligamus ergo omnes, tam Judæos, quam Paganos, odientes tamen eorum errores, ut mortem. Itaque, fratres, omnis vita bona in charitate fundata est. Tales enim talem vitam habentes, sive clerici, sive laici sint, opere et voluntate pauperes pascunt, nudos vestiunt, pauperes et hospites recipiunt, pedes lavant, infirmos visitant et incarceratos consolantur, ut possunt, saltem voluntate: hoc facientes charitativi dicendi sunt, quoniam eorum vita in charitate Dei et proximi fundata est.

V. Sed quoddam vitium hodie inter clericos et laicos summe regnat, quod nostram dilectionem, in quantum potest, extinguere studet. Quid est hoc, nisi detractio? Hæc est monachorum mors et confusio; hæc est Deo summe odibilis; per hoc regna combusta sunt, per hoc civitates sunt submersæ, per hoc monachorum ordines dispersi sunt, per hoc diabolus in clericis regnat, per hoc Christo cor (1) a Fidelibus clauditur et diabolo aperitur; hoc est seminatorium omnium vitiorum; hoc est discordiarum principium; hoc est framea diaboli, animarum mors et sæva perditio. Veniat ille Rex Salomon et confundat mur-

(1) Deest hæc vox in cod., quæ tamen est necessaria.

muratores, qui ait: « Susurro et bilinguis maledictus » erit¹. » Non solum in futuro, sed in præsentem, maledictio super tales veniet. Surgat Daniel eximius Prophetarum, et vindictam de murmurationibus Deo petat, et dicat: « Da illis secundum opera eorum, et secundum » nequitiam eorum retribue illis², » qui turbaverunt pacem habentes. Veniat ille Apostolus Dei Jacob et supplantet omnes murmuratores Israël: « O fratres, quam modicum » membrum est lingua³! » et tamen multos commovit, et plurimos sapientes conturbavit, et inebriavit eos, velut insensatos.

VII. Duo enim sunt in homine membra, per quæ innumera mala evenisse conspicimus. Illa enim sunt membra, quæ ossibus carent, et fortiora cunctis ossibus sunt; minora sunt, sed majora sæpe fecisse cernimus: vilissima sunt, et magnalia fecerunt; unum volat in capite, et alterum pendet in ventre; unum nequissimum, et alterum omni veneno plenissimum: « Minima membrorum sunt, et tamen alta » exaltant, et magnam sylvam incendunt⁴; » hæc enim sunt membra, quæ totum corpus et animam maculant. « Nullus enim linguam refrenare potest⁵; » sed alterum pane et aqua cum Dei ajutorio refrenari potest. « Si quis » enim putat se religiosum esse non refrenans linguam suam, » hujus vana est religio⁶. » Ideoque, fratres, ponendum est frenum linguæ, ne detrahat, ne accuset, ne maledicat. Nec solum custodiendum os, sed et aures, ne audiant accusationem, detractionem pariter, et murmurationem.

VIII. Timemus ergo, fratres, Apostoli sententiam, qui dicit: « Nec rapaces, nec maledicentes possidebunt regnum » Dei⁷. » Nulla enim res suavior apud omnes nationes, quam volens nobis Dominus demonstrare surrexit a cæna, et depositis vestimentis, lavit pedes Discipulorum, et ait; « Scitis quid fecerim vobis? quia si ego » Dominus et Magister lavi pedes vestros, » et dilexi vos;

¹ Eccli. xxviii, 15. — ² Psal. xxvii, 4. — ³ Jacob. iii, 5. — ⁴ Ibid. 6. — ⁵ Ibid. 8. — ⁶ Id. 1, 26. — ⁷ 1 Cor. vi, 10.

«ita et vos faciatis¹.» Surgamus ergo, fratres, et exemplum tanti Patris sequamur, deponentes iram et odium de cordibus nostris, condonantes pacem et dilectionem. «Deus autem pacis et dilectionis²;» maneat cum omnibus nobis, et pacem det nobis in terra, ut per eam possimus consequi æternam. Amen.

SERMO IX.

Quomodo Christus non rapinam arbitratus est se esse æqualem Deo. Philip. II, 6.

Hic sermo, qui rejicitur in appendicem ob easdem rationes ac alios omnes qui educuntur ex cod. x. Bibl. Ædil. in quo legitur fol. 16 b, titulum habet: Quomodo Christus non rapinam arbitratus est se esse æqualem Deo, de qua re minima quidem mentio fit in toto homiliæ decursu. Hinc melius diceretur de Passione. Sit tamen locus ejus in appendice post sermonem appendicis Maurinensis cxi.

SYNOPSIS.

I. Christus venit hominem salvaturus, et deludens diabolum. II. Christi sacrificium in cruce. III. In cruce cum Christo ascendamus. IV. Christi exinanitio. V. Judæorum subita erga Christum mutatio. VI. Precatio ad Christum.

I. Illud mirabile et sæculis inauditum, fratres charissimi, quod Deus Pater noster (1) consulens saluti, de Filio suo in fine sæculorum facturus erat, beatus Job per Spiritum sanctum intuens, desiderio flagrans ait: « Utinam

¹ Joan. XIII, 12-15. — ² 2 Cor. XIII, 11.

(1) Forte nostræ.

» appenderentur peccata mea, quibus iram merui, et calamitas quam patior in statera, quasi arena maris hæc » gravior appareret¹.» Discretionis intuitu tam originalia, quam actualia regnare peccata agnoscens, qui statera crucis utrasque deleter enormitates, humani generis miseris (1) finem imponendo, passionis dominicæ desiderabat adventum. Nec mirum; claudebatur enim tunc temporis cunctis cælum; nulli ad patriam patebat aditus vel via; justos pariter et injustos suscipiebat et deglutiebat infernus (2). Motus igitur misericordia Filius Dei, humani generis calamitatibus compatiens et condolens, ac bonis desideriis favens, ut antiqui serpentis artem falleret obumbratus, et diligentius miseris subveniret, de Virgine Maria, quomodo celaretur divinitas, mortale induit vestimentum. Dum medium silentium tenerent omnia, tunc Dominus de sinu Patris, de sede regali ad patibulum crucis descendit. Itaque carnis nube occulte indutus, locutus est pacem, donavit (3) gratiam, proposuit misericordiam, promisit veniam. Quod ut vidit dissensionis amator diabolus, ad libertatem pristinam hominem redire ingemiscens, apprehenso veritatis Magistro, ipsum per Discipulum Judæis tradidit, et crucis patibulo affixit. Sic tamen victus, sic » superatus die tertia superavit.

II. Oblata est igitur Deo Patri ad redemptionem nostram et ad vitiorum sepulturam hostia sufficiens. Immolatus est in reditu filii junioris vitulus saginatus², quia Christus occisus est. Dolet inde infernus, quia sanctis Patribus privatur; ingemiscunt Pagani pectora percutientes; tremunt Judæi signa, terræ motus, solis eclipsationem, mortuorum resuscitationem videntes; civium supernorum exultat et gaudet cætus in terra bonæ voluntatis, quoniam pax hominibus annuntiatur, dum immolatus fuit ille Sanc-

¹ Job. VI, 2. — ² Luc. XV, 23-30.

(1) Cod. *miseri*. — (2) Duplici sensu hic accipi debet vox ambigua *infernus*; nempe pro loco tormentorum, ubi cruciabantur injusti, et pro loco *expectationis*, ubi quiescebant justii. — (3) Cod. *donat*.

tus sanctorum : tunc sponte ascendet ad arborem crucis, in quo dulcedo nostræ salutis pependit. Hujus etiam ligni typo, ut legimus, ferrum quod erat in fundo, tempore Eli- sæi natavit¹. Impletum est itaque die Veneris, fratres, quod præfiguratum est, et juxta (1) quod Christus dixit in cruce pendens : « Consummatum est², » est (2) adimple- tum omne quod per ora Prophetarum divulgatum est. Clamavit enim post Adam moriens revocando ipsum ad Pa- triam. Gaudeat igitur chorus Fidelium, quia ad loca pristina jam revocatur Adam.

III. Hic libet, fratres charissimi, demorari, et infirmi- tatem nostram exhortari. Jam plumbo iniquitatis liquefacto, et velut aurum in fornace, confessione cæterisque medica- mentis et (3) purgamentis, obviam Christo florentes prope- remus, et nudi omni vitio et peccato, nudam Christi cru- cem ascendere studeamus. In ipsa namque pendet latitudo discretionis; latet in longitudine tunica talaris Joseph, perseverantiæ et sanctificationis. Quis igitur, fratres, ad hanc non accedet? Orare namque debemus, ut ad hanc crucem ascendere valeamus. Oratio namque est mentis ad Deum affectuosa intentio. Sine intermissione orare debe- mus³, ait Apostolus, id est, semper Deum in corde deside- rare debemus.

IV. « Hoc enim, fratres, sentite in vobis quod et in Christo Jesu⁴ » fuit; sentite non tantum verbo, sed facto, quia « Cum in forma Dei esset, formam servi accipiens in » similitudinem hominum factus⁵, » non Angelorum; non ut homo primus, non in similitudinem peccati carnis crea- tus fuit, « Sed habitu inventus ut homo⁶, » peccator repu- tatus, dæmoniacus existimatus, hominibus subditus, et in omni miseria (4) super omnes homines profundius se sub- mersit, ne diabolus magnum pietatis comprehenderet sa-

¹ 4 Reg. vi. — ² Joan. xix, 30. — ³ 1 Thess. v, 17. — ⁴ Philip. ii, 5. — ⁵ Ibid. 7. — ⁶ Ibid.

(1) Cod. absque sensu *prima*. — (2) Cod. *et*. — (3) Cod. non habet *et*. — (4) Forte in omnem miseriam.

cramentum. Formam igitur servi accepit, non superbiendo præsumpsit, ut diabolus, qui (1) Deo voluit æqualem esse; non ut homo et mulier, qui scire voluerunt ut Dii. O Na- zarene Jesu, quanta humilitate decoraris! Usque ad incar- nationem te sponte humiliasti, usque ad mortalitatis hu- manæ participationem, usque ad diaboli tentationem, usque ad populi derisionem, usque ad sputa, vincula, ala- pas, flagella et mortem, non aliam, nisi turpiorem, scilicet crucis. Ecce, fratres, habemus humilitatis exemplum, superbiæ medicamentum. Quid ergo superbis, o homo? o pellis inflata, morticina, quid inflaris? Ecce princeps tuus humilis est, et tu caput superbiæ es. Exinanivit ergo (2), non substantiam evacuans, nec honorem inclinans: exi- nanivit se Christus, quod nihil aliud est exinanire, nisi ab invisibilitate se visibilem demonstrare; invisibilis enim erat, sed se visibilem demonstravit, non in forma Dei, non in forma domini, non in forma Angeli; sed in forma servi. Nobis apparuit impotens, inscius, pauperrimus; impotens tam ad ambulandum, quam ad loquendum. Deinde esurivit et sitivit, sudavit et alios carnis labores propter nos susti- nuit annis triginta tribus: comedit et bibit, et peccatori- bus se conformavit, ut peccator reputaretur, vorax et po- tator vini, et publicanorum amicus. Ecce quomodo se exinanivit: ecce quomodo se humiliavit. Hoc enim sentite in vobis⁴, quod et Christus Jesus (5) sensit in se. Quid enim sensit, nisi quia humiliavit se? Quid enim sensit in se, nisi charitatem infinitam, dum propter nos permisit se occidi? Quid enim sensit, nisi obedientiam summam, quia « Factus est obediens usque ad mortem²? » Hoc enim sen- tire debemus in vobis, si vera capitis membra esse opta- mus.

V. Hodie denique, fratres, Salvator morti appropin-

¹ Philip. ii, 5. — ² Ibid. 8.

(1) Cod. male *quia*. — (2) Videtur deesse *se*. — (3) Cod. in *Christo Jesu*, et antea *scitote*, pro *sentite*.

quans, honorifice a cunctis suscipitur, sed paucis diebus interpositis, ab eodem populo crucifigetur (1). O quam dissimile est: « Benedictus qui venit in nomine Domini¹, » a « Tolle, tolle, crucifige eum². » O quam dissimile est: « Hosanna in excelsis³, » ab « Hic enim subvertit gentem nostram⁴! » O quam dissimile est: « Ecce rex tuus venit⁵, » a « Non habemus regem nisi Cæsarem⁶! » O quam dissimile est regnum et crux, spinæ et flores! Cui prius vestimenta sternebantur in via aliena, hunc suis expoliant (2), sortem super vestimenta sua mittentes. Ecce quomodo humiliavit se, ecce quomodo formam servi accepit.

VI. O floride et Nazarene Domine Jesu, formam servi accepisti, ut me esurientem reficeres: formam servi accepisti, ut me ab irrisionibus inferni eriperes: formam servi accepisti, ut meam nuditatem tegeres: formam servi accepisti, ut mihi flores Paradisi perditos redonares: formam servi accepisti, ut meam sorditatem lavares: formam servi accepisti, volens esurire et sitire, blasphemari et expoliari, colaphizari, conspui, crucifigi et piscatoribus pedes lavare, ut nos esuriendo reficeres; et tentationes portando nos a tentationibus liberares; et irrisiones patiendi nos ab irrisionibus liberares; et nuditatem demonstrando, nostram nuditatem tegeres; et spineam coronam portando, nobis flores Paradisi portares et donares; et mortalitatem suscipiendo, nobis immortalitatem donares. Ista enim sunt beneficia tua, Domine Jesu, quæ precamur, ut infundas in cordibus nostris, ut te veraciter diligamus, et diligentes te in præsentem per gratiam, videamus et in futuro per gloriam. Amen.

¹ Matth. xxi, 9. — ² Joan. xix, 15. — ³ Marc. xi, 10. — ⁴ Luc. xxiii, 2. — ⁵ Matth. xxi, 5. — ⁶ Joan. xix, 15.

(1) Cod. male crucifigatur, et deinde deest vox Domini. — (2) Cod. expoliatur, et ante non habet hunc.

SERMO X.

De adventu Domini I.

Idem dicendum de hoc sermone, qui educitur ex Bibl. Ædil. cod. x, fol. 1, ac de præcedentibus ex hoc fonte deductis. In appendice sancti Maximi, fol. 57, est initium fere simile, sed cætera non concordant. Locus ejus post sermonem appendicis Maurinensis cxvi cum numero de Adventu Domini iii.

SYNOPSIS.

I. Homines, ante adventum Christi, cæci, surdi, claudi et muti. II. Hæc mala ab Adamo sumpserunt exordium. III. Adam factus ad imaginem Trinitatis, suas peccando facultates depravat. IV. Adami lapsi miseria. V. Eandem auctor exaggerare pergit. VI. In Adamo omnes corripimur. VII. Inter misericordiæ spem et desperationem incedendum. VIII. Saliendum, ut facere solet cervus, ut lutosa transeamus. IX. Mutorum locutio. X. Christus medicus omnia venit sanaturus. XI. Moralis epilogus.

I. « CONFORTAMINI, pusillanimes, et nolite timere, ecce Deus noster veniet, et salvabit nos, tunc aperientur oculi cæcorum, et aures surdorum patebunt, et saliet, sicut cervus, claudus, et aperta erit lingua mutorum¹. » Ante Christi adventum, fratres charissimi, in tanta caligine volebatur totum humanum genus, quod nec Deum cognoscebant, nec Dei verba audire volebant, nec bene operari

¹ Isai. xxxv, 4-6.

quans, honorifice a cunctis suscipitur, sed paucis diebus interpositis, ab eodem populo crucifigetur (1). O quam dissimile est: « Benedictus qui venit in nomine Domini¹, » a « Tolle, tolle, crucifige eum². » O quam dissimile est: « Hosanna in excelsis³, » ab « Hic enim subvertit gentem nostram⁴! » O quam dissimile est: « Ecce rex tuus venit⁵, » a « Non habemus regem nisi Cæsarem⁶! » O quam dissimile est regnum et crux, spinæ et flores! Cui prius vestimenta sternebantur in via aliena, hunc suis expoliant (2), sortem super vestimenta sua mittentes. Ecce quomodo humiliavit se, ecce quomodo formam servi accepit.

VI. O floride et Nazarene Domine Jesu, formam servi accepisti, ut me esurientem reficeres: formam servi accepisti, ut me ab irrisionibus inferni eriperes: formam servi accepisti, ut meam nuditatem tegeres: formam servi accepisti, ut mihi flores Paradisi perditos redonares: formam servi accepisti, ut meam sorditatem lavares: formam servi accepisti, volens esurire et sitire, blasphemari et expoliari, colaphizari, conspui, crucifigi et piscatoribus pedes lavare, ut nos esuriendo reficeres; et tentationes portando nos a tentationibus liberares; et irrisiones patiendi nos ab irrisionibus liberares; et nuditatem demonstrando, nostram nuditatem tegeres; et spineam coronam portando, nobis flores Paradisi portares et donares; et mortalitatem suscipiendo, nobis immortalitatem donares. Ista enim sunt beneficia tua, Domine Jesu, quæ precamur, ut infundas in cordibus nostris, ut te veraciter diligamus, et diligentes te in præsentem per gratiam, videamus et in futuro per gloriam. Amen.

¹ Matth. xxi, 9. — ² Joan. xix, 15. — ³ Marc. xi, 10. — ⁴ Luc. xxiii, 2. — ⁵ Matth. xxi, 5. — ⁶ Joan. xix, 15.

(1) Cod. male crucifigatur, et deinde deest vox Domini. — (2) Cod. exspoliatur, et ante non habet hunc.

SERMO X.

De adventu Domini I.

Idem dicendum de hoc sermone, qui educitur ex Bibl. Ædil. cod. x, fol. 1, ac de præcedentibus ex hoc fonte deductis. In appendice sancti Maximi, fol. 57, est initium fere simile, sed cætera non concordant. Locus ejus post sermonem appendicis Maurinensis cxvi cum numero de Adventu Domini iii.

SYNOPSIS.

I. Homines, ante adventum Christi, cæci, surdi, claudi et muti. II. Hæc mala ab Adamo sumpserunt exordium. III. Adam factus ad imaginem Trinitatis, suas peccando facultates depravat. IV. Adami lapsi miseria. V. Eandem auctor exaggerare pergit. VI. In Adamo omnes corripimur. VII. Inter misericordiæ spem et desperationem incedendum. VIII. Saliendum, ut facere solet cervus, ut lutosa transeamus. IX. Mutorum locutio. X. Christus medicus omnia venit sanaturus. XI. Moralis epilogus.

I. « CONFORTAMINI, pusillanimes, et nolite timere, ecce Deus noster veniet, et salvabit nos, tunc aperientur oculi cæcorum, et aures surdorum patebunt, et saliet, sicut cervus, claudus, et aperta erit lingua mutorum¹. » Ante Christi adventum, fratres charissimi, in tanta caligine volebatur totum humanum genus, quod nec Deum cognoscebant, nec Dei verba audire volebant, nec bene operari

¹ Isai. xxxv, 4-6.

cupiebant, nec peccata confiteri audebant. Cumque in multis periculis detineremur, placuit Medico nostro Samaritano nos visitare, et suo vino charitatis et oleo misericordiae nostra vulnera fasciare. Ideo, fratres charissimi, Isaïas aspiciens nos omnes esse caecos, surdos, claudos et mutos, nos confortare conatur, cum ait: « Confortamini, pusillanimes, et nolite timere. » Iste est enim ille legatus, quem Deus ad Gentes misit et ait: Tu, Legate mi, dic Gentibus miseris, quae in doloribus jacent, quae in infirmitatibus desperant: « O pusillanimes, confortamini, quia ecce Deus noster veniet; » ecce medicina nostra ad januam deportatur; ecce salus nostra veniet et salvabit nos. Cum (1) autem venerit ille Sanctus sanctorum, tunc aperientur aures ad audiendum, oculi ad videndum, ut audientes audiat, et videntes videatis, quod fieri oportet. O quam nequiter, fratres, ante Christi adventum eramus caeci! vere caeci eramus, quia Deum totaliter ignorabamus; vere surdi eramus, quia verba aeternae vitae negligebamus; vere claudi eramus, quia recte incedere nesciebamus.

II. Haec autem caecitas, surditas, clauditas et taciturnitas, et alia multa quae patiebamur et patimur, a primo homine sumpserunt exordium; quia ipse Adam in primo praecepto a Deo sibi imposito surdus effectus est. Nam quando ipsi (2) a Deo dictum fuit: « Quaecumque hora comederitis de ligno scientiae, morte moriemini; » non audisse visus est: « Morte moriemini, » quia non servavit mandatum. Caecus fuit, dum verba daemone intellexit dicentis: « Eritis sicut dii, » cum putaret se fieri forsitan Deum, vel ut uxori cupiens consentire, ideo jam caecatum animum in amore uxoris (3) habebat. Quod prius tamen Deus improperando dixit: « Ecce Adam factus es quasi unus ex nobis; » quasi deridendo diceret Dominus: Ecce

¹ Gen. ii, 17. — ² Id. iii, 5. — ³ Ibid. 22.

(1) Cod. dum, et sic deinceps in multis sermonibus. — (2) Cod. semper ponit sibi pro illi, aut ipsi. — (3) Cod. in amare uxore.

Adam qui se putavit futurum Deum, modo in tanta miseria jam se invenit involutum. O Adam, numquid factus es similis et unus ex nobis; Patri et Filio et Spiritui sancto factus es Deus? O Adam, putasti te fieri quod non es, et ecce vilissima creatura reputaris; putabas omnia scire, et ecce jam omnia ignoras; putabas te dominari, et ecce jumentis similis es; putabas semper vivere, et ecce jam morti es obnoxius (1), et miseria omni jam repletus es, et judicatus, et vulneratus aculeo venenosi serpentis. O Adam, creatus indeceptibilis ratione, inalterabilis passione, immortalis duratione, inaequivalabilis praelatione, per totum factus es deceptibilis cognitione, alterabilis afflictione mortalis subjectione, et servilis subjectione. O Adam, plenus tanta dignitate, ubi es? excitatus in tantam sublimitatem (2), ubi es? ubi te video?

III. Ecce pater noster Adam factus est ad similitudinem sanctae Trinitatis. Non attendatis, fratres, ad similitudinem corporis, vel ad ligamenta membrorum, vel ad figuras colorum, sed factus est ad imaginem Dei in trinitate memoriae, intelligentiae et voluntatis. Istae enim sunt tres potentiae unius substantiae spiritualis; sicut Pater, Filius et Spiritus sanctus sunt tres Personae in una substantia divinitatis. Erat igitur, fratres, in primo homine memoria tenax, intelligentia perspicax, voluntas efficax, ut quamdiu voluisset adherere Deo, potens esset (3) non oblivisci, quia memoria non deleta fuisset in oblivione; potens esset non decipi, quia intelligentia potens esset ut non deciperetur circumventionem; potens esset non compelli, non inquinaari, non induci, quia voluntas non flectebatur corrupta affectione. Nunc autem postquam peccavit Adam, memoria facta est labilis, intelligentia umbratilis (4), voluntas instabilis. Digne ergo quaerit Dominus: « Adam, ubi es? » quasi dicat, O Adam, ubi memoria, ubi in-

¹ Gen. iii, 9.

(1) Haec verba *es obnoxius* desunt in cod. — (2) Cod. *citatus in tanta sublimitate*. — (3) Id. *erat*. — (4) Id. *umbracula*.

telligentia, ubi voluntas recta? O quam brevis et dolorosa responsio! « Domine, audivi vocem tuam, et timui, eo » quod nudus essem¹, » et spoliatus omnibus bonis quibus me decoraveras. O Adam, per comestionem ligni veliti et prævaricationem præcepti, propria voluntate factus es flexibilis, deceptibilis et seducibilis. Corruisti; sapientia jam ubi invenitur, et intelligentia ubi est? Adam ergo ubi es? Qui ait: Cecidi, Domine, in tenebras ignorantis (1). Scire volens, sicut tu, bonum et malum, ideo amisi scire bonum (2), et cecidi in ignorantia baratrum. Clama ergo, o Adam: « De profundis clamabo ad te, Domine², » de profundis ignorantia et excæcationis clamabo per vocem laboris et orationis. Vide ergo, Adam, ubi cecidisti, quia etsi oculus carnis tibi remansit, oculum tamen contemplationis amisisti, et miserabiliter quæris scientiam. Fecit te Deus rectum, et tu immiscuisti te infinitis (3) quæstionibus; et ecce modo quales filios genuisti? filii enim tui « Sunt Gentes absque consilio et sine prudentia; utinam » saperent et intelligerent³. » O Adam, cogita ubi filios collocasti; ubi tu etiam positus sis; discere ubi sit claritas inenarrabilis (4), ubi tua prudentia incomparabilis (5), ubi tua virtus inæstimabilis; ubinam sit intellectus, ubi longitudo vitæ, ubi pax sine guerra (6), ubi lumen oculorum tuorum.

IV. Habebat (7) autem Pater noster imperturbabilem et inextinguibilem harmoniam, ut non pateretur extrinsecus, quoniam reficiebatur Paradisi fructu et vitam (8) perpetuabat ligni vitæ gustu. Creavit enim Deus Adam omnino impassibilem, quia non lædi, non pati, non tristari, non tribulari, non turbari, non infirmari, nec mori poterat.

¹ Gen. ii, 10. — ² Psal. cxxix, 1. — ³ Deut. xxxii, 28, 29.

(1) Cod. in tenebris cognitionis. — (2) Id. donum. — (3) Id. in infinitis. — (4) Id. in admirabilis. — (5) Id. intemperabilis. — (6) Sic cod., unde patet recentiore esse dictionem. — (7) Cod. habeat. — (8) Deest vox vitam in cod.

Ubi ergo es, o Adam? Aspice et circumspice te ipsum, quibus sociaris, nisi languori, pesti, fami, siti, timori, terrori, tremori, horrore, scabiei, pediculis et pulcibus, quibus etiam resistere et nullatenus vales. O Adam, ubi es? Ubi timor fidelitatis contra transgressionem? ubi fortitudo impassibilitatis contra passionem? ubi patientia firmitatis contra concussionem? ubi perfectio viarum tuarum? ubi plenitudo omnium virtutum? Adam, ergo ubi es? Cecidit, Domine, in miserias (1) afflictionis, et experitur nunc sententiam tui rigoris. Dixisti enim, Domine: « In » sudore vultus tui vesceris pane tuo. Maledicta erit terra in » opere tuo; spinas et tribulos germinabit tibi, donec re- » vertaris ad terram de qua sumptus es¹. » Hanc igitur sententiam ex ore tuo prolata facta experior. Est nobis, fratres, terra facta sterilis et inutilis, germinans spinas afflictionis et doloris. « Inspiravit enim Deus spiraculum » vitæ in faciem hominis²; » non enim mori poterat, non corrumpi, non perire, non infici, non interfici: omnem enim perfectionem habere debuisset, nisi primo Deum perdidisset. O Adam, si Deo perfectus fuisses, semper corpori tuo præluisses. Nunquam fuisset pœna mortis, nunquam pœna separationis, nisi præcessisset pœna (2) transgressionis. Sic, fratres, immortaliter homo vixisset, donec ad immortalitatem gloriæ post annos plurimos de virtute ad gloriam ascendisset (3). O Adam, ubi es? Valatus corporis et animæ separatione, mortis afflictione inopinata et improvisa, subita et repentina consumptione.

V. Adam, ubi es? Respondere Deo potes: Domine, cecidi in necessitatem (4) mortis. Stat enim tua sententia indispensabilis: « Morte morieris. » O Eva mater! o peccati principium, o noverca, non mater, quid fecisti, delictorum mater? Nam quid tibi secutum sit ex inobedientia animad-

¹ Gen. iii, 17-19. — ² Id. ii, 7.

(1) Cod. in miseris. — (2) Forte culpa. — (3) Cod. descendisset. — (4) Id. in necessitate.

verte. Nam in dolore peperisti filios, quæ si in innocentia permansisses, sine scditate corruptionis, sine gravitate afflictionis, sine passibilitate parturitionis filios peperisses. Sed ecce « Homo natus de muliere¹, » cuius vita brevis, passibilis, miserabilis et omnino instabilis. Tu vero, Adam, ubi es? Nam ad te spectat universale omnis creaturæ dominium et gubernationis ministerium. Tibi enim tota Trinitas erat ad fruendum, tibi Angeli ad convivendum, tibi omnis creatura ad obsequendum (1). Sicut enim omnibus imposuit nomina, sic omnibus præfuit eminentia. Dederat enim Deus homini potestatem omnium quæ sunt super terram, et posuit terrorem illius super omnem carnem², qui modo pediculis et pulicibus minime resistere potest? Adam, ubi es? Ubi tanta utilitas subjectionis? ubi servitus tam mirabilis conditionis? Nomen enim servitutis culpa meruit, non natura. O Adam, numquid te nunc non (2) terrent feroces feræ, vastant te bestię terræ, infestant te muscæ, insidiantur vermiculi et serpentes? Numquid non mares etiam te persequuntur, et tuos pannos devastant? Numquid et formica non granum tuum deportat? His omnibus præesse debueras, quæ hodie fugere, quibus etiam nec resistere vales. Numquid etiam non subicitur homini homo, bonus malo, justus injusto, sanctus iniquo? Unde tanta, et talis, et tam vilis conditio, et tam periculosa subjectio, o Adam, nisi quia noluisti subesse Deo, sed præesse, et prævaricando præceptum, digne perdidisti creaturæ imperium? O Adam, ubi es? Leva oculos tuos in desertum, et vide ubi nunc prostratus sis. Recole Paradisi divitias, ubi positus fueras, et vide istius sæculi miseras, in quas dejectus es et prostratus. Adam, ubi es? Cecidisti in servitum subjectionis. Stat enim,

¹ Job. xiv, 1. — ² Gen. i, 26.

(1) Cod. *ossequendum*. — (2) Deest *non* in cod., qui semper tollit negationem post *numquid*, quasi in voce sit contenta. Unde sic et deinceps.

Domine, sententia tua, qua fuit (1) de Paradiso dejectus, ubi jure poli fuisset communis status; nunc autem ex concupiscentia factus est amor, cuius ex amore habendi et ex amore possidendi, et ex ambitione procurandi, et ex (2) pravitate nocendi infectum est totum humanum genus, et digne hoc, et digne introducta est servitus, quia « Non cognovit, cum in honore esset, ideo comparatus est juvenis insipientibus¹. »

VI. Sic enim, fratres, audivimus Domini quæstionem, ut erigamus considerationem. Ipse enim in quæstione sub nomine Adæ ad considerationem nos vocat, hortatur et excitat; vocat et revocat, trahit et retrahit. « Ex charitate in funiculis Adam traham te, in vinculis charitatis². » Adam funiculi sunt miseriæ istius sæculi exhibitæ, per quas Dominus ex charitate sua nos trahit ad exercitium meriti, ad stipendium cœlestis regni et ad dilectionem Dei et proximi. Duos denique pedes, fratres, habere debemus, scilicet Dei amorem et proximi. Qui altero illorum caret, claudus est. Adam ergo, ut audistis, revocavit, quia supra Deum uxorem dilexit, et (3) ejus mandatum servare neglexit; uxoris amorem Dei amori prætulit, cum libentius uxoris persuasioni, quam Dei obediverit voluntati.

VII. Bene, o Adam, claudicasti. Numquid non et etiam mutus fuisti in confessione peccati? Non enim confessus est peccatum, sed etiam se excusare cœpit, dicens: « Mulier, quam dedisti mihi, de ligno dedit, et comedi³. » Cum enim dixit: « Mulier quam dedisti mihi, » culpam in mulierem vertit, et Deum infamare voluit, quia dixit: « Quam dedisti. » Audistis, fratres, quomodo Adam cæcus, surdus, et mutus, et claudus factus est. Sic et nos eramus ante Salvatoris nostri adventum; sed cum venerit Medicus ille cœlestis, cæcos illuminabit, cum « Aperiet nobis sensum, ut intelligamus Scripturas⁴; » aures aperiet, quia

¹ Psal. xlviii, 21. — ² Osee. xi, 4. — ³ Gen. iii, 12. — ⁴ Luc. xxiv, 45.

(1) Cod. *fui*. — (2) Deest *ex* in cod. — (3) Deest *et* in cod.

ait: « Qui habet aures audiendi, audiat¹; » claudi ambulabunt recte, « Non declinantes ad dexteram nec ad sinistram²; » nam dextera est Dei misericordia, sinistra vero est desperatio. Diabolus autem et Judas ad sinistram diverterunt, quia de spe Dei misericordiae non sunt confisi. Origenes vero supra modum confidendo de Dei misericordia, praedicando daemone salvandum post judicium, exorbitavit. Itaque, fratres, cavete ne claudicetis ad dexteram confidendo, nec ad sinistram desperando. Hujus rei, fratres, exemplum et signa habetur de arca foederis, cum de regno Philistinorum reduceretur in locum suum, quam vaccae deducebant in plastro per directam viam, non declinantes ad dexteram nec ad sinistram³. Arca enim est Ecclesia; duae vaccae sunt praedicatores Gentilium et Judaeorum, qui alios lacte pascunt et in Ecclesiam ducunt; ideo David ait: « Beneplacitum est Domino super timentes eum, et in eis (1) qui sperant super misericordia ejus⁴. » Utrumque enim posuit spem et timorem; nam spes sine timore praesumptio est, timor sine spe, desperatio est. Timor aufert nimiam securitatem, ne nimis adhæreat dexterae (2). De hac recta via ait Joannes: « Dirigite viam Domini, rectas facite semitas ejus⁵. »

VIII. Sed in hac recta via etiam, fratres, saliendum est, unde ait Propheta: « Et saliet claudus, sicut cervus. » Cervus enim venatus ad loca spinosa et lutosa (3) transit; sic et tu, o peccator si occurrerit tibi amor divitiarum quae hominem pungunt sollicitudine, si etiam ad lutum devenoris, trans eas (4) saliendo mente; nam cervus valles ascendit et montes descendit, et sic tu debes descendere valles terrenorum, et ascendere montes quos per Adam perdidisti. Ecce jam veniet qui « Perficiet pedes tuos, quasi pedes cervorum,

¹ Matth. xi, 15. — ² Deut. xvii, 11. — ³ 1 Reg. vi, 12. — ⁴ Psal. cxlvi, 11. — ⁵ Joan. i, 23.

(1) Deest secunda pars sententiae in cod., sed probabiliter quia positum erat signum etc. Nam necessaria est, ut planus sit sensus. — (2) Videtur hic aliquid deesse, qualia essent ista: *Spes aufert nimium timorem, ne nimis adhæreat sinistrae.* — (3) Cod. *lutuosa.* — (4) Id. *transias.*

» et super excelsa statuet te¹. » Cervus, senex factus, devorat serpentem, et tunc nimio ardore repletus currit ad fontem, post ejus potum, pellem veterem et cornua deponit, et sic rejuvenescit. Sic et tu, o peccator, occidas serpentem diabolum ipsi (1) resistendo, et curre ad fontem pietatis, qui descendet, ut salvet te, et deponere cornua superbiae et pellem luxus, et sic Redemptorem quem expectamus, laeti videntes dicemus: « Quemadmodum desiderat » cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, » Deus². »

IX. Tunc enim « Erit aperta lingua mutorum; » tunc vociferabitur Maria peccatrix veniam petendo³; tunc credit Centurio sanitatem filii (2) impetrando⁴; tunc Samaritana clamabit talem prophetiam audiendo, et narrando cuncta quae fecerat⁵; tunc Petrus clamabit: « Tu es Christus » Filius Dei vivi⁶; » tunc turba Judaeorum et Gentilium ex quinque panibus et duobus piscibus satiata, clamabit: « Hic » est verus Propheta, qui venturus est in mundum⁷; » tunc clamabit in cruce Lator: « Memento mei, Domine, dum » veneris in regnum tuum⁸; » tunc clamabit ille magnus Simeon: « Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum » verbum tuum in pace⁹. » Non erunt deinceps muti homines, quoniam Salvatorem advenisse sciemus, qui salvabit nos, qui etiam caecorum oculos aperiet, surdorum aures patefaciet (5), claudum et ascendere faciet, sicut cervus, dabitque tibi gloriam et Paradisum summamque felicitatem, quam per Adam nequiter perdidisti.

X. Ecce jam, fratres, « In terris » Medicus iste et Salvator Israëel « visus est, et cum hominibus conversatus est¹⁰ » annis triginta et amplius, et sic nos caecos illuminavit; omnium nostrum oculi aperti sunt, quia omnes vos Fideles

¹ Psal. xvii, 34. — ² Id. xlii, 2. — ³ Luc. vii, 37, etc. — ⁴ Matth. viii, 5. — ⁵ Joan. iv, 1, etc. — ⁶ Matth. xvi, 16. — ⁷ Joan. vi, 14. — ⁸ Luc. xxiii, 42. — ⁹ Id. ii, 29. — ¹⁰ Baruc. iii, 38.

(1) Cod. *sibi.* — (2) In Evangelio dicitur *servus* aut *puer*, non *filius.* — (3) Cod. *patebit.*

estis, et quia vos Fideles estis, et non Pagani vel Judæi, quia « Verbum caro factum est¹, » cognovimus et nos ipsi quia « Nos vocavit, » et non eos, « ut adoptionem filiorum » reciperemus². » Quare hoc? quia hæc omnia facere ipsi (1) licet, et omnia quæ facit, juste et digne facit. Cæcitas ergo infidelitatis sui gratia, non nostris meritis recessit a nobis, nosque illuminavit, quia ipsi placuit, quos et prædestinavit in adoptionem filiorum. Recessit ergo, fratres, cæcitas a Christianis, sed surditas adhuc quoque in nobis manet. Quando denique surdi estis, nisi quando Dei verbum audire contemnitis, fugientes et vagantes per vicos et plateas, videndo et audiendo quæ non licet homini loqui? Cavete ergo, fratres, ne vobis dicatur: « Propterea vos non » audistis, quia ex Deo non estis³. » Aliqui etiam nostrum claudicant, dum male operantur. Aliqui etiam obtumescunt, dum peccata confiteri erubescunt. Sed modo est tempus adventus Domini, tempus confessionis, tempus satisfactionis, tempus jejunii et carnis macerationis, quia « Cito » veniet et non tardabit⁴. » Et quid est, fratres, jejunare, nisi satisfacere Deo et proximo? Et quid est satisfactio, et ad quid valet, nisi præcogerit confessio? Prius dimitte culpam, et recognosce eam, antequam quæras veniam, et sustineas satisfactionis pœnam.

XI. Preparare ergo vos Domino venienti, ne dicatis cum Adam: « Domine, abscondi me a facie tua, eo quod » nudus essem⁵. » Præcinite ergo Domino in confessione peccatorum, ut in die Natalis Domini psallatis ei in confessione⁶ laudum. Dictus enim adventus non sunt nisi dies præparationis, ne faciamus (1) sicut clamat Joannes: « Pa- » rate viam Domino; » taliter ut recipientes sine sua gratia nos non relinquat, ut digne futuram solemnitatem cum

¹ Joan. 1, 14. — ² Galat. 4, 5. — ³ Joan. vii, 47. — ⁴ Habac. 11, 3. — ⁵ Gen. 3, 10. — ⁶ Psal. cxlvi, 7.

(1) Cod. *sibi*, et sic deinceps. — (2) Vitiosa locutio, in qua duplicanda esset negatio, *ne non faciamus*, id est *ne facere negligamus*.

gaudio celebrare digne possimus. Antiqui enim Patres viam Domini præparabant, ut digni essent redemptione futura. Illius temporis isti dies gerunt figuram. Christus enim quasi nasciturus est, dum nativitatem ejus sumus suscepturi: ergo « Hora est jam nos de somno surgere; abjicia- » mus ergo opera tenebrarum, et induamur arma lucis, ut » digne ambulemus in occursum illius, non in comessatio- » nibus et ebrietatibus¹. » Vitate ebrietatem, fratres, quæ mater luxuriæ est; abstinete a carnali copula, quoniam qui venturus est amator pudicitiae est et sobrietatis. Numquid non domos vestras pingeretis (1) diversis coloribus, si ad vos venturus esset Imperator temporalis? Ornate ergo virtutibus corda vestra, ut digne recipiatis Regem Angelorum, qui vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XI.

De adventu Domini II.

Idem de isto sermone dicendum ac de præcedente, cum pariter eruat ex Bibl. Ædil., cod. x, fol. 2. Locus ejus post præcedentem cum numero de Adventu Domini iv.

SYNOPSIS.

I. Liber clausus septem sigillis, Incarnatio Christi. II. Quæ sint septem signacula. III. Generatio Christi ineffabilis. IV. Pia exhortatio. (R)

I. FRATRES charissimi, sanctus ille Daniel, ætate junior, bonitate perfectior, virtute doctior, potestate clarior, « Aspi-

¹ Rom. xiii, 11-13.

(1) Cod. *pingetis*, et deest *non more solito*.

» ciebat (1) in visu noctis, et ecce Filius hominis veniebat¹, » cui data erat potestas ligandi et solvendi filios Israël. Iste « Dominus fortis, Dominus potens, Dominus virtutum in » prælio², » hic est qui « Dignus est aperire librum et sol- » vere signacula ejus³; » hic est de quo audire cupimus tonitrua, de quo nobis facta fuit repromissio, de quo vidimus fulgura. Ne ergo flevetis, o Joannes, si videris « Li- » brum clausum et sigillatum sigillis⁴ septem (2). » Flebat enim, fratres, Joannes, videns librum Dominicæ Incarnationis, nec erat qui eum aperire posset. Ne amplius fleas, o Joannes, quoniam ecce Daniel sanctus aspiciens in visu noctis, vidit Filium Dei venientem, velut agnum mansuetissimum, cui datus est honor regum et potestas ligandi, et solvendi, et aperiendi librum, et solvendi ejus sigilla. In Veteri namque Testamento, fratres charissimi, sacramentum Dominicæ Incarnationis erat clausum et sigillatum.

II. Quod Deus Pater advertens, prævidens casum primi Parentis, modum nostræ redemptionis ordinavit. Filiam incarnandum, mortificandum (3), crucifigendum et resurgendum, modis diversis et occultis sanctis Patribus revelavit. Quid Moysi ostendit, nisi quod in monte Thabor videbat rubum ardere⁵ et non comburi (4)? Gedeoni in vellere et rore⁶, lex (5) in arca continente⁷, Aaron in virga germinante⁸, Isaiæ in solis descensione⁹, Ezechiel in porta clausa¹⁰, Danieli in lapide abscisso de monte sine manibus¹¹? Sub istis septem sigillis erat sigillatum et absconditum sa-

¹ Dan. vii, 13. — ² Psal. xxiii, 8. — ³ Apoc. v, 2-5. — ⁴ Ibid. 1-4. — ⁵ Exod. iii, 2. — ⁶ Jud. vi, 37, etc. — ⁷ Deut. x, 5. — ⁸ Num. xvii, 2, etc. — ⁹ 4 Reg. xx, 8, etc. — ¹⁰ Ezech. xliv, 2. — ¹¹ Dan. ii, 34, etc.

(1) Cod. *aspiciens*. — (2) Cod. non habet *septem*, sed, *et*. — (3) Cod. *mortendum*, pro *mortificandum*, nisi legas *morturum*, minus tamen bene propter sonum pariter desinentem, cui nimium indulsit auctor dicendo *resurgendum*, pro *resurrecturum*, quasi Christus ab alio, non a se ipso fuisset a tumultu revocatus. — (4) Cod. *comburebatur*. — (5) Sic cod. ejus sensus planus est, sed ubi nulla habetur ratio grammaticarum regularum, nec facile mendum sanari potest.

cramentum Dominicæ Incarnationis et mysterium Christi nativitatis. Sed hodie incipimus audire tonitrua. Rubus quidem ardet (1), nec comburitur, vellus irrigans, arca continens, virga germinans, solis descensio, porta clausa, lapis abscissus de monte sine manibus. Jam nunc, fratres, manifeste videmus librum apertum et publicatum; jam videmus Christum ex porta clausa natum.

III. « Generationem ejus enim quis enarrabit¹? » Impossibile enim est scire divinæ generationis secretum. Quis unquam audivit matrem esse et virginem? quis unquam audivit Creatorem portari a creatura? quis unquam vidit sine dolore parere? quis posset hoc enarrare? Vox omnis quidem defecit, et deficit mens non mea tantum, sed etiam Angelorum. Supra Potestates, supra Angelos, supra Archangelos, supra Cherubim et Seraphim, supra omnem mentem et sensum est scrutari superna mysteria: licet tamen scire quod vere natus sit. Nam pauperes intellectu omnino sumus, qui non tantum Dei Incarnationem comprehendere, sed nec minimum (2) Divinitatis per nos capere valemus. Non ergo licet discutere quomodo nascatur, quia hoc querere metus est, sed omnino credere necesse est. Deficiunt undique, fratres, philosophorum argumenta ubi mihi necesse penitus credere. Solus Deus hoc poterat, sed hoc ego penitus nescio; non hoc requiro, nec scire ambigo. Consolor tamen cum Angeli hoc nesciant, Angeli non audierunt, Gabriel annuntiando non intellexit, Propheta non sentit, Apostolus non interrogavit, ipse Dei Filius non edidit. Cesset ergo omnis nostra querela; sufficiat quod Christus Deus et homo perfectus ingressus fuit uterum Virginis, nasciturus pro humani generis salute. Hoc enim figuratum habetur de Jacob, dum surrexit et tulit lapidem quem supposuerat capiti suo et erexit in titulum².

¹ Isai. lxi, 8. — ² Gen. xxviii, 18, etc.

(1) Cod. *quidem rubus*; cætera non juxta grammaticæ regulas disponuntur, verbo deficiente. — (2) Cod. *sed minimum minimo... capere non valemus*.

Et quis est iste Jacob nisi Christus supplantator? Surrexit enim et apparuit in cruce, diabolum supplantando per pelliculas assumptæ humanitatis, per virgulas inflicte pœnalitatis, per lenticulas assumptæ infirmitatis. Hæc enim in titulum eriguntur. Hæc enim Ambrosius (1).

IV. Vigilanter contemplari, diligenter amplexari, reverenter adorare, perseveranter imitari, fratres, semper debemus. Cito enim, fratres, « Repleti mane misericordia in medio templi sui¹; » tunc enim hoc videbimus, dum suscipiemus regem natum. In ipso enim est cibus, potus et salus nostra. Suscipiamus igitur hunc parvulum nascentem, visitemus matrem parientem, inspiciamus prolem vagientem, coadjuvemus Joseph senem ministrantem. Audiamus, obsecro, fratres, hunc parvulum, cum (2) venerit; nam paratus est nos audire libenter, exaudire lætanter et tribuere abundanter: nam in suo ortu fures occultabuntur, hostes fugabuntur, viæ dirigentur, et omnes libere operabuntur, quoniam lux magna de cœlis descendit. Tunc enim expectamus Dei et hominum mediatorem, tunc enim expectamus miserorum Salvatorem. Esto; Domine, brachium nostrum, rectos reconcilians, lapsos reparans, captivos redimens, miseros salvans, ut lapsi laborantes in tempore tribulationis recreentur, seminantes locupletentur, operantes remunerentur, optimates condemnentur. « Dum ergo, fratres, tempus habemus, operemur bonum ad omnes², expectantes Dominum Jesum Christum qui reformabit corpus nostrum corpori claritatis suæ³. » Sobrie, fratres mei, juste et pie vivamus in hoc sæculo, expectantes beatam spem et adventum Domini⁴, quia ecce veniet et non tardabit⁵; veniet et « Illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit⁶ » se ad omnes Gentes, cujus visionis particeps nos faciat ipse Christus. Amen.

¹ Psal. LXXXIX, 14. — ² Galat. VI, 10. — ³ Philip. III, 21. — ⁴ Tit. II, 12, 13. — ⁵ Habac. II, 3. — ⁶ I Cor. IV, 5.

(1) Cod. dum.

SERMO XII.

De Adventu Domini III.

Idem asserendum videretur de hoc sermone ac de præcedentibus, utpote qui ad eundem cod. pertineat, nempe Bibl. Ædil., cod. x., fol. 3. Facile tamen animadvertet lector aliquem inesse sancti Bernardi saporem, maxime propter continuam Scripturæ sacræ allegationem. Hoc vero aliquam ex eo recipit confirmationem, quod sermo, qui sequitur in cod., sit vere sancti Bernardi, et stampatus habeatur in edit. Paris. tom. III, fol. 276. Nihil tamen clarius potest hic statui, cum nullum aliud nomen occurrat, quam nomen sancti Augustini. Locus ejus post præcedentem cum numero de Adventu Domini v.

SYNOPSIS.

I. Mundi per peccatum primi hominis naufragium. II. Filii Dei erga homines charitas. III. Christo datæ regiones quinque. IV. Secundus Christi adventus.

I. FRATRES charissimi, ignoratis quod humanum genus « Venit in altitudinem maris et tempestas demersit eum¹. » Sed ecce noviter verus Jonas venit ad nos in altitudinem maris, « Habitu inventus ut homo², » et tempestas mortis demersit eum propter nos, qui de consilio et voluntate sua missus est in mare (1) et tempestas maris mox cessavit. Nam Jonas dixit nautis: « Si propter me tempestas ista orta est, mittite me in mare³. » Ecce qualiter mediator Dei et

¹ Psal. LVIII, 3. — ² Philip. II, 7. — ³ Jon. I, 12.

(1) Cod. in mari, et sic deinceps.

Et quis est iste Jacob nisi Christus supplantator? Surrexit enim et apparuit in cruce, diabolum supplantando per pelliculas assumptæ humanitatis, per virgulas inflicte pœnalitatis, per lenticulas assumptæ infirmitatis. Hæc enim in titulum eriguntur. Hæc enim Ambrosius (1).

IV. Vigilanter contemplari, diligenter amplexari, reverenter adorare, perseveranter imitari, fratres, semper debemus. Cito enim, fratres, « Repleti mane misericordia in medio templi sui¹; » tunc enim hoc videbimus, dum suscipiemus regem natum. In ipso enim est cibus, potus et salus nostra. Suscipiamus igitur hunc parvulum nascentem, visitemus matrem parientem, inspiciamus prolem vagientem, coadjuvemus Joseph senem ministrantem. Audiamus, obsecro, fratres, hunc parvulum, cum (2) venerit; nam paratus est nos audire libenter, exaudire lætanter et tribuere abundanter: nam in suo ortu fures occultabuntur, hostes fugabuntur, viæ dirigentur, et omnes libere operabuntur, quoniam lux magna de cœlis descendit. Tunc enim expectamus Dei et hominum mediatorem, tunc enim expectamus miserorum Salvatorem. Esto; Domine, brachium nostrum, rectos reconcilians, lapsos reparans, captivos redimens, miseros salvans, ut lapsi laborantes in tempore tribulationis recreentur, seminantes locupletentur, operantes remunerentur, optimates condemnentur. « Dum ergo, fratres, tempus habemus, operemur » bonum ad omnes², expectantes Dominum Jesum Christum qui reformabit corpus nostrum corpori claritatis suæ³. » Sobrie, fratres mei, juste et pie vivamus in hoc sæculo, » expectantes beatam spem et adventum Domini⁴, quia ecce » veniet et non tardabit⁵; veniet et « Illuminabit abscondita » tenebrarum, et manifestabit⁶ » se ad omnes Gentes, cujus visionis particeps nos faciat ipse Christus. Amen.

¹ Psal. LXXXIX, 14. — ² Galat. VI, 10. — ³ Philip. III, 21. — ⁴ Tit. II, 12, 13. — ⁵ Habac. II, 3. — ⁶ I Cor. IV, 5.

(1) Cod. dum.

SERMO XII.

De Adventu Domini III.

Idem asserendum videretur de hoc sermone ac de præcedentibus, utpote qui ad eundem cod. pertineat, nempe Bibl. Ædil., cod. x., fol. 3. Facile tamen animadvertet lector aliquem inesse sancti Bernardi saporem, maxime propter continuam Scripturæ sacræ allegationem. Hoc vero aliquam ex eo recipit confirmationem, quod sermo, qui sequitur in cod., sit vere sancti Bernardi, et stampatus habeatur in edit. Paris. tom. III, fol. 276. Nihil tamen clarius potest hic statui, cum nullum aliud nomen occurrat, quam nomen sancti Augustini. Locus ejus post præcedentem cum numero de Adventu Domini v.

SYNOPSIS.

I. Mundi per peccatum primi hominis naufragium. II. Filii Dei erga homines charitas. III. Christo datæ regiones quinque. IV. Secundus Christi adventus.

I. FRATRES charissimi, ignoratis quod humanum genus « Venit in altitudinem maris et tempestas demersit eum¹. » Sed ecce noviter verus Jonas venit ad nos in altitudinem maris, « Habitu inventus ut homo², » et tempestas mortis demersit eum propter nos, qui de consilio et voluntate sua missus est in mare (1) et tempestas maris mox cessavit. Nam Jonas dixit nautis: « Si propter me tempestas ista orta » est, mittite me in mare³. » Ecce qualiter mediator Dei et

¹ Psal. LVIII, 3. — ² Philip. II, 7. — ³ Jon. I, 12.

(1) Cod. in mari, et sic deinceps.

hominum tempestatem fugavit. Nam viderat, quod « Cuncta
 » quæ fecerat erant valde bona¹; » unde machina univer-
 sorum dictus est Mundus, quia omnia munda fecerat Deus;
 sed, orta tempestate, mare vocari debet mundus, quia omne
 quod est in eo, aut est « Superbia vitæ, aut concupiscentia
 » oculorum²; » ideo, orta tempestate, mundus factus est
 mare, quoniam in ipso non solum adversitas, sed ipsa dulcedo
 terrenæ felicitatis multis amaritudinibus repleta est. Orta est
 enim prius in cælo tempestas; nam Lucifer, « Opertus omni
 » lapide pretioso³, » factus est Satan (1) et Deo contrarius.
 Verumtamen « Cecidit Draco ille et traxit secum tertiam
 » partem stellarum⁴, » et reclusus usque ad diem submersio-
 nis⁵, postmodum invidens factus est (2) homini, ne ascen-
 deret, unde ipse expulsus fuerat; ad cuius suggestionem
 consensus homo volens se similari Deo in scientia, in motu
 cælorum et siderum; cognoscere cupiens naturas et proprie-
 tates elementorum, et causas omnes naturales, quas Deus
 absconderat in rebus ipsis. Et ecce, fratres, quomodo tem-
 pestas similiter orta est in terra, disputando dia noctuque,
 ascendendo montes, rupes et alpes in fame, siti et nudi-
 tate, ut « Salutari possint in foro, et primos recubitus in
 » cœnis tenere, et vocari Rabbi⁶. » Quid ergo, fratres, nisi
 quod « Maledicta terra in opere⁷ » nostro? Et ejectus est
 de Paradiso, ubi feliciter auram carpebat ætheream, et
 cecidit super eum maledictio astrorum. Vehementia etiam
 doloris et angustiae dotata fuit mulier (5); non enim do-
 lor velut parturientis. Cælum ergo et terra et « Omnia va-
 » nitatis vanitatum⁸, » et omnia sunt homini vanitas.

II. Ecce, fratres, quomodo diabolus affectavit similitu-
 dinem Altissimi Dei, quod proprium Filii est, qui imago
 Patris est; sic et homo affectavit scientiam habere, quod
 solius est sapientiæ (4). Quia ergo quod Dei erat usurpare

¹ Gen. 1, 31. — ² 1 Joan. 11, 16. — ³ Apoc. 21, 19. — ⁴ Id. 12, 4. —
⁵ Id. 22, 2. — ⁶ Marc. 12, 38. — ⁷ Gen. 11, 17. — ⁸ Eccle. 1, 2.

(1) Cod. *Satel.* — (2) *Deest factus est in cod.* — (3) Cod. *multipliciter.*
 — (4) Id. *sapientia.*

voluerunt, in ultionem Filii dati sunt, et dissimulavit per
 dies et annos et sæcula, licet « Cogitaret cogitationes pa-
 » cis¹, » tamen respexit novissimis in (1) diebus super om-
 nes qui habitant terram, et dixit ad Patrem et Spiritum
 sanctum: « Si propter me tempestas ista orta est, mitte me,
 » Pater, in mare. » Et missus est Filius in mare, ut nateret (2)
 ibi in pœna et ærumna annis triginta et amplius. Missus est
 ergo « Sermo Patris a regalibus sedibus², » tanquam vir
 fortis et potens in omni prælio³, ut (5), fractis portis, alli-
 garet fortem armatum et dirumperet (4) vasa ejus⁴. Missus
 est ergo Legatus ad Gentes prudens, ut allegaret causam
 Dei adversus illos, qui « Cum Deum cognovissent; non ta-
 » men ut Deum glorificaverunt⁵. » Missus est ergo Medicus
 ille magnus, ut infunderet vinum et oleum super Samaritanum
 (5) vulneratum jacentem⁶, quia in terra magnus
 jacebat ægrotus.

III. Porro accepit Christus in hac legatione certos fines
 mandati, et date sunt ei regiones quinque. Prima fuit ute-
 rus virginalis; secunda fuit Judæa, medium orbis terræ;
 tertia patibulum crucis; quarta domus fortis (6); quinta
 extrema maris. In prima, calcavit (7) se circumligans
 corrigiam calceamenti, et intravit ad nos divinitas calcava-
 ta (8). In secunda, « Exultavit ut gigas ad currendam viam⁷, »
 ambulans juxta mare, collegit Discipulos, intra terminos
 Judææ prædicans et loquens de regno Dei, infirmos curando
 et mortuos resuscitando. In tertia, « Torcular calcavit so-
 » lus, et rubrum factum est vestimentum ejus⁸. » In quarta
 « Ligavit fortem⁹, et baculavit eum, qui habebat mortis

¹ Jerem. 29, 11. — ² Sap. xviii, 15. — ³ Psal. xxiii, 8. — ⁴ Matth.
 xii, 29. — ⁵ Rom. 1, 21. — ⁶ Luc. x, 30, etc. — ⁷ Psal. xviii, 6. — ⁸ Isai.
 lxi, 2, 3. — ⁹ Matth. xii, 29.

(1) Cod. *novissime diebus.* — (2) Id. *natarat.* — (3) Id. *et.* — (4) *Forte*
diriperet. — (5) Hic errore deceptus auctor Samaritanum fuisse vulneratum
 asseruit; non enim vulneratus erat Samaritanus, sed ille Samaritanus erat,
 qui vulnerati curam gessit. — (6) Cod. *fortiter.* — (7) Id. *calcavit.* —
 (8) *calciamenti... calciata.*

» imperium¹, » dicens : « Serve nequam, redde quod debes², » et « Extraxit captivitatem captivam³. » In quinta, quos eduxerat collocavit in extrimis maris super amplissimos fines sæculi usque ad diem ascensionis suæ. « Factus est » ergo Christus Patri obediens usque ad mortem⁴, » quinque mansiones ab eo recipiens, ut superius nominatas, vel ut iterum dicendas. Nam Pater mittens Filium in terris, mansiones illi (1) donavit : prima fuit Virginis uterus, secunda fuit in nativitate stabulum; tertia fuit horti solatium; quarta Herodis palatium; quinta crucis patibulum; sexta sepulturæ refrigerium; septima maris et terræ circumulum. Prima et secunda fuerunt magnæ humilitatis, quia mensibus novem in ventre Mariæ habitare dignatus est, et nasci inter bovem et asinum. Tertia fuit in horto solatium, quia orando pro te, « Factus est sudor ejus quasi guttæ sanguinis decurrentis in terram⁵. » Quarta Herodis, Pilati, Annæ et Caiphæ palatia, in quibus pro te recepit alapas, sputa, verbera et multa opprobria. Quinta fuit crucis patibulum, in qua « Obtulerunt ei fel et acetum⁶. » Sexta fuit sepulturæ refrigerium. O quomodo gavisus fuit pia mater Maria! o quale gaudium, cum (2) audivit sepulturam pro Filio præparatam! Septima fuit terræ et maris circumulum, quod triginta annis et amplius prædicando et laborando circumivit. Ecce ergo alter Jonas, qui Patri dixit velut nautis : « Mitte » me in mare (3). » Ecce dotes, quas Pater Filio pro tempestate orta donavit. Ecce solatia, quæ Rex habere consueverat. Ecce delectamenta (4), quæ sibi pro nobis donavit. Istæ sunt Regis nostri dignitates, et divitiæ, et potestates, et deliciae. Clama ergo, o bone Jesu, fidelibus tuis : « Exivi » a Patre et veni in mundum⁷, » et uterus Virginis susce-

¹ Hebr. ii, 14. — ² Matth. xviii, 28-32. — ³ Ephes. i, 8. — ⁴ Philip. ii, 8. — ⁵ Luc. xxii, 44. — ⁶ Matth. xxvii, 34-48. — ⁷ Joan. xvi, 28.

(1) Cod. *sibi*. — (2) Deest *cum* in cod. — (3) Cod. *in mari*. — (4) Id. *deliramenta*.

pit me; ambulavi in medio maris, et « Mundus non cognovit me¹, veni in altitudinem maris, » et elevatus sum in cruce, et tempestas mortis demersit me; habitavi in extremis maris et redii ad eum qui misit me. Porro in his regionibus moram fecit : in prima quievit mensibus novem; in secunda annis triginta tres cum dimidio; in tertia ab hora sexta usque post nonam; in quarta quasi per triduum usque mane primæ (1) sabbati; in quinta per dies quadraginta, quia « Videntibus illis elevatus est². »

IV. Ita veniet sane, intellige, ita veniet. Non ita veniet, sicut (2) prius venit suaviter, humiliter et misericorditer, « Sicut pluvia in vellus³, » sed tunc veniet « Tanquam potens crapulatus a vino⁴, » nemini parcens. Venit (5) placabilis Legatus, veniet districtus Judex; venit (4) Medicus vinum et oleum portans, veniet armatus igne et ferro. In quo adventu liberet nos « Ab auditione mala⁵ et a verbo » aspero⁶ » ille qui veniet placabilis bonis, et terribilis malis, Jesus Christus, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

¹ Joan. i, 10. — ² Act. i, 9. — ³ Psal. lxxi, 6. — ⁴ Id. lxxvii, 65. — ⁵ Id. cxi, 7. — ⁶ Id. xc, 3.

(1) Cod. *prima*. — (2) Id. *quia*. — (3) Id. *veniet*. — (4) Id. *veniet*.

SERMO XIII.

In nocte Natalis Domini.

Sermonem hunc pulcherrimum mutuati sumus ex quinque codicibus, uno quidem Cass., nempe CXVI, fol. 96, quatuor autem Florentinis, videlicet Bibl. Laurent. Plut. XIV, cod. 1, fol. 56, quem indicamus cum nota cod. 1 b; Plut. XVII, cod. XLI, fol. 93 b; Bibl. Ædil., cod. CXLIII, fol. 144 b; Bibl. Sanctæ Crucis, cod. 1, fol. 80 b, quem secernimus cum nota cod. 1 a. Codices CXVI et 1 b nomen præferunt Augustini; cæteri nomen habent sancti Fulgentii. In hac diversitate non satis constat cui vere tribuendum esse videatur, nec satis etiam constat quem in locum sit ponendus, nec quo titulo insigniri debeat, cum in codice Cassinensi legatur in principio Sermo in nocte Natalis Domini, in Florentino autem Sanctæ Crucis 1 habeatur Sermo in solemnitate Præsentationis in templo. Prior titulus præferendus visus est, quia de Præsentatione non fit mentio, nisi versus finem, et cætera Nativitati Christi melius adaptantur. Hinc locus ejus in appendice post præcedentem.

SYNOPSIS.

I. Gratia incarnationis omnino gratuita. II. Incarnatio fide firma credenda. III. Immensa Christi nascentis bonitas. IV. Veteris Testamenti defensio contra Manichæos. V. Ejus veritas ex Novo Testamento confirmatur. VI. Christus infans mores Christianorum informat. VII. Sacrificium turturis et columbæ in Christianis adimplendum. VIII. Exhortatio ad servandam fidem et charitatem.

I. INCARNATIONIS divinæ mysterium nostræque reconciliationis (1) egregium sacramentum, ob hoc a nobis revolutione annua celebraretur et recolitur, ut tanti commemoratio (2) beneficii, quid nobis indignis fuerit impensum, ostendat, et quid tantæ gratiæ (3) debeamus admoneat. Proinde, fratres, quantum audimus (4) Dominum Jesum Christum pro nobis omnibus misericorditer humiliatum, tanto magis agnoscamus ineffabiliter gloriosum. In eo (5) namque suam circa nos insuperabilem charitatem Deus Unigenitus evidenter (6) ostendit, in quo pro nobis humilitatem veræ (7) carnis veræque mortis, non coactus necessitate, sed bonitate miseratus, assumpsit. Quid enim boni feceramus (8), fratres, ut tantum nobis beneficium præstaretur? Quæ nostra bona merita (9) fuerunt, ut Unigenitus Deus homo fieri dignaretur, ut altissimus humiliaretur, ut indeficiens Angelorum panis fœmineis uberibus (10) lactaretur, ut sæculorum Rex contumeliis afficeretur, ut vita æterna mori patientissime dignaretur?

II. Attende igitur, homo, tantæ benignitatis dignationem, ut gratiarum persolvas humiliter actionem (11). Scito autem te non honorificentiam, sed contumeliam divinæ gratiæ reddere, si cœperis de tanti magnitudine (12) beneficii dubitare. Imo illa omnia, quæ de humilitate atque huma-

(1) Sic cod. 1 a, CXLI, CXLIII; cod. 1 b, nostræ recordationis est; cod. CXVI nostræ reparationis est, et deinde ponitur punctum post sacramentum. — (2) Sic codd. 1 a, XLI, CXLIII; cod. 1 b, et CXVI commemoratione. — (3) Sic codd. omnes, excepto cod. 1 b, qui habet gloria. — (4) Sic codd. 1 a, et CXLIII; cæteri audivimus. Iidem habent omnibus, quæ vox deest in cæteris. — (5) Sic omnes codd., excepto cod. 1 b, qui habet inque. — (6) Deest vox evidenter in cod. CXLIII. — (7) Cod. 1 b, vere., vereque. — (8) Cod. XII fecerimus. Vide supra sermonem de Natali qui incipit Temporalis. — (9) Deest vox merita in codd. 1 a, XLI, et CXLIII; sed legitur in cod. 1 b, et CXVI. — (10) Cod. 1 a, fœminæ sub uberibus; ita et CXLIII, et XLI. — (11) Sic cod. CXLIII; codd. cæteri ut actionem persolvas humiliter gratiarum. — (12) Sic cod. CXVI; cod. 1 a, et CXLIII de tantis beneficiis; cod. 1 b, de tantis beneficiis magnitudine.

nitate Domini Salvatoris audivimus vera esse (1), sine hæ-
sitatione (2) credamus. Et ideo magis gratias agamus,
fratres, quia cum mereremur (3) pœnam, percepimus gra-
tiam. Qua gratia (4) factum est, ut dum juste mors debe-
retur (5) perditis, vita gratis donaretur indignis. Altissimi
namque Salvatoris humilitas non ipsi aliquod (6) intulit
detrimentum, sed magnum nobis contulit incrementum (7);
nec excelsum dejecit, sed dejectos (8) erexit.

III. Ut enim plenum Dei Filius operaretur redemptionis
nostræ negotium, non solum dignatus est creator totius
carnis de carne Virginis, secundum veritatem carnis,
naturaliter nasci, et (9) Deus factor hominis, homo
verus ex homine fieri, quin etiam pannis involvi, in
angustissimo præsepio parvulum (10) collocari octavo die
circumcidi, et ad templum suum humanis manibus ba-
julari. O clementissima Dei bonitas (11)! o altissimi Dei
excelsa humilitas! Ille a matre nutriebatur infantulus, qui
matrem sibi creavit immensus. Ipse a parentibus ad suum
templum parvulus portabatur, qui Deus magnus in eo-
dem templo a sanctis hominibus rogabatur (12); et idem
pro se sacrificium præcepit offerri, qui sine peccato pro
nostris venerat impietatibus immolari. Considera igitur,
homo, quid debeas excelso atque humiliato Filio Dei; ex-

(1) Cod. 1 b male *esset*. — (2) Sic cod. 1 a, et cxliii; cæteri *sine aliqua
hæsitatione*. Cod. 1 b male *credamur*. — (3) Sic codd. 1 a, cxliii et cxvi;
cod. 1 b, *mereamus*; cod. xlii *meremur*. Deinde cod. xlii *percepimus*. — (4)
Sic codd. 1 b, xlii et cxvi; codd. 1 a et cxliii *quia factum*. — (5) Sic cod.
cxliii; cæteri *debetur* male. — (6) Codd. 1 b et xlii male *aliquid... detri-
mentum*. — (7) Sic cod. 1 a, excepto quod habet *intulit* pro *contulit*; cod. cxliii
sed nobis magnum; codd. 1 b et cxvi *incrementum nobis intulit magnum*.
— (8) Sic omnes codd., excepto cod. cxvi, qui male habet *electos*. —
(9) Cod. cxliii omittit *et*. — (10) Sic cod. 1 a, et cxliii; vox *parvulum*
deest in cæteris. — (11) Sic cod. cxvi; cod. 1 b, *benignitas*; cod. 1 a, *cle-
mentissimi Dei gloriosa benignitas*. — (12) Cod. cxvi ponit *rogabatur* post
vocem *magnum*.

celso (1) in se, humiliato pro te; excelso Creatori tuo,
humiliato Redemptori tuo. Verumtamen, charissimi, hoc
semper christianæ (2) fidei tenere consuevit integritas,
ut si quid a Christo, vel in ipso Christo (3), secundum
canonicam Evangelistarum narrationem factum legimus vel
audimus (4), historiam primum veram esse sine dubita-
tione credamus, deinde in historica veritate, spiritualem
quoque intelligentiam requiramus.

IV. Cum enim divinæ textus historiæ verax (5) esse cre-
ditur, Manichæus in sua vanitate (6) confunditur, qui dum
in Christo Dei Filio veritatem non credit carnis, Scripturis
sanctis, et veteribus et novis, crimen nititur imponere
falsitatis. Nam dum (7) Veteris Testamenti deificam miser
execratur historiam, in Novo Testamento ipse sibi dene-
gat utique medicinam. Non vult enim credere humanam
carnem a Deo plasmata, neque circumcisionem carnis a
Deo nostro sanctis Patribus imperatam (8), nec victimam
de carnibus (9) animalium Deo vivo et vero priscis tempo-
ribus immolatam (10), nec sabbatum ex Dei præcepto ac
voluntate servatum, nec templum jubente Deo Domino
fabricatum (11). Itaque dum in Scripturis sanctis non dis-
cernit temporum qualitatem, spernit et despicit saluberrimam
veritatem Dominicæ Incarnationis. Quapropter ut
Manichæus evidentissima ratione vincatur, et victus utinam

(1) Cod. cxvi male *et excelso*; cod. 1 b, *quid debeas excelso et humilitate
pro te, excelso creatori*, etc., in codd. autem 1 a, et cxliii legitur, ut scripsi-
mus. — (2) Sic codd. cxvi et cxliii; codd. 1 a et 1 b, *Christi nomine*. — (3)
Sic codd. xlii et cxvi; hæc verba desunt in cæteris. — (4) Sic codd. 1 a, et
cxliii; cæteri *audivimus*. — (5) Sic codd. 1 a, et cxliii; cod. 1 b, *verus*;
cod. cxvi male *verum*. — (6) Sic codd. 1 a, et cxliii; codd. 1 b, et cxvi
male *severitate*. — (7) Sic codd. 1 a, et cxliii; cæteri *cum*. — (8) Sic cod.
cxliii; cæteri ponunt *imperatam* ante has voces *a Deo*. — (9) Cod. xlii
male *carnalibus*. — (10) Sic cod. 1 b; cod. cxvi male *immolatum*. — (11)
Sic cod. cxliii; cod. 1 b, *nec fabricatum Domino templum jubente Deo*;
item et cod. cxvi excepto quod *fabricatum Deo* habet pro *fabricatum
Domino*.

convertatur (1)! Ex hodierna evangelica lectione veritatem Testamenti Veteris defendamus, ut ex hoc et Veteris et Novi Deum unum manifestissime comprobemus. Ecce sancto Evangelista narrante, cognovimus Christum Dei Filium, verum hominem natum (2); Christum Dei Filium, veraciter circumcisum; pro Christo Dei Filio sacrificium de carnibus avium secundum tunc morem (3) divinæ institutionis oblatum. Sive autem circumcisio carnis, sive (4) carnalium sacrificiorum regula in Veteri Testamento cognoscitur instituta.

V. Cur igitur, dilectissimi, non credatur iustissime in Veteri Testamento, quoniam Dei manibus plasmatus est homo, quando in Novo Testamento, ut non in æternum periret homo, ipse Unigenitus Deus pro nobis factus est verus homo? Cur non credatur Deus etiam circumcisionem carnis, ad aliquid significandum, congruo tempore iussisse fieri, cum eam Dei Filius in suo corpore fecerit (5) celebrari (6)? Cur autem non sibi Deus noster præterito tempore populum Judæorum typicas iussisset victimas carnis offerre, quando ipse Deus Unigenitus, ex Judæis temporaliter natus, se ipsum pro nostris peccatis secundum carnem dignatus est immolare? Attendat igitur Manichæus utriusque Testamenti manifestissimam et concordissimam veritatem, et suam conversus abiciat vanitatem (7). Videat in Veteri Testamento significationem futurorum, in Novo præteritorum revelationem; Christum autem amborum Testamentorum; in Veteri Testamento, quod exhibiturus fuerat, promittentem; in Novo exhibentem, quod promiserat; nec in promissione mendacem, nec fallacem in donatione, sed ubique bonum, ubique justum, ubique sanc-

(1) Sic cod. cxliii; cæteri *et convertatur utinam victus!* — (2) Sic omnes codd. excepto cod. i b, qui male addit ante hæc verba *cognovimus Christum veraciter crucifixum*, et deinde omittit, *Christum Dei filium veraciter circumcisum*. — (3) Sic codd. i a, et cxliii; cod. cxvi omittit *avium* et tunc quæ nec in cod. i b leguntur, ubi *et mortem* habetur pro *morem*. — (4) Cod. i b male *suæ*. — (5) Cod. i b male *fecerat*. — (6) Cod. xli male *celebrare*. — (7) Sic cod. cxliii; cæteri *vanitatem conversus abiciat suam*.

tum, ubique potentem, ubique elementem (1); in Veteri Testamento redimendi a se hominis conditorem, in Novo conditi a se hominis redemptorem (2); in Veteri Testamento, carnis atque animæ potentissimum Creatorem, in Novo, ejusdem carnis atque animæ clementissimum Susceptorem; ac sic (3) primo carnis animæque Factorem, postmodum vero animæ atque carnis Salvatorem. Hæc Manichæus audiat, conferat, agnoscat et credat, credensque ad Ecclesiam catholicam redeat (4), in qua beneficium veræ salutis (5) inveniat.

VI. Per (6) hæc autem quæ Dominus gessit, in corpore constitutus, non solum utriusque Testamenti dignatus est concordiam demonstrare, verum etiam Christianorum mores voluit salubriter informare (7), ut quod in illo pro salute nostra gestum corporaliter intuemur, nos quoque spiritualiter imitemur (8). Ideo namque parvulus in terra natus est Christus, ut humilitatem disceret Christianus (9). Ob hoc etiam parentibus carnis suæ subditus erat, ut honorificentiam semper patri et matri omnis Christianus (10) exhibeat. Ideo autem Christus vilibus involutus (11) est pannis, ut Christianus non delectaretur (12) vestibus pretiosis. Propterea vero Christus in terra pauper voluit apparere, ut divites Christiani discerent terrenas divitias non amare, sed eleemosynam (13) pauperibus erogando, possent suas divitias in cælo servare. Ob hoc fuit in angusto præsepio positus Christus, qui totius orbis (14) latitudine non

(1) Sic codd. i a, et cxliii; cæteri *elementem ubique*. — (2) Hæc verba quæ leguntur in codd. i a, et cxliii, desunt in cæteris codd. — (3) Sic cod. i b; cod. cxvi *si*. — (4) Sic. codd. i b, xli et cxvi; cæteri *veniat*. — (5) Sic codd. i b, et cxvi; codd. i a, et cxliii *salvationis*. — (6) Cod. xli male *post*. — (7) Sic cod. cxliii; cæteri *informare salubriter voluit*. — (8) Sic cod. cxliii; cæteri *intuemur nos quoque spiritualiter*. — (9) Cod. i b, male *Christianis*. — (10) Deest in cod. i b, vox *Christianus*, sed legitur in cæteris. — (11) Codd. i a, et cxliii *indutus*. — (12) Cod. i a, *delectetur*; ita et cod. cxliii. — (13) Cod. xli *eleemosynas*. — (14) Sic cod. cxvi; codd. i a, et cxliii *mundi*; sed hic ultimus male deinde *latitudinem*; vox *orbis* aut *mundi* deest in cod. i b; cod. xli *ponitur qui*.

finitur immensus (1), ut in eum credentes spiritale (2) haberent pabulum (3), et Christiani discerent (4) non inhiare domibus aut possessionibus aliorum. Cui (5) enim Christiano, quantumlibet arcta, quantumlibet vilis, domus vel possibilitas (6) non sufficiat propria, quando Christo Dei Filio modici præsepis sufficit (7) angustia? Per circumcisionem vero quam Dei Filius in carne suscepit, nostri cordis circumcisionem (8) in spiritu præmonstravit. Quam circumcisionem nobis sermo legalis indicit, dicente Moyse: «Circumcidite præputium cordis vestri, et circumcidimini Domino Deo vestro¹»; cui præcepto concordat beatus Apostolus dicens: «Non enim qui in (9) manifesto Judæus, neque quæ in manifesto in carne circumcisio, sed qui in abscondito Judæus, et circumcisio cordis in spiritu, non littera, »cujus laus (10) non ex hominibus, sed ex Deo est².» Proinde circumcisionem quam in corpore habuit Christus (11), spiritualiter in corde habeat Christianus. Ob hoc namque ille, qui nullam habere potuit omnino peccatum, deposuit præputium carnis, ut nos abjiciamus desideria pravitatis. Christus igitur manibus est deportatus (12) in templum, ut Christianus bonis operibus conscendat in cælum. Sacrificium pro se offerri voluit Christus, ut ad altare Domini se (13) offerat Christianus. Maxime autem bene vivendo, se ipsum Deo offerre festinet, si vere (14) delectatur mundum (15) sacrificium divinis exhibere obtutibus (16).

¹ Deut. x, 16. — ² Rom. ii, 28, 29.

(1) Sic codd. 1 a, et cxliii; cod. cxvi *immensitate sui*; cod. 1 b, *pesime in mentis suæ*. — (2) Cod. 1 b, *male spiritali*. — (3) Cod. cxvi *papulum*. — (4) Cod. 1 b, *male disceretur*. — (5) Cod. cxvi *cur*. — (6) Sic codd. omnes; forte *possessio*. — (7) Sic codd. 1 a, et cxliii; codd. cæteri *sufficit*; cod. 1 b, *male præsepis*, quod et cod. cxvi. — (8) Cod. 1 b, *male circumcisio*, et sic deinde. — (9) Deest *in* in cod. xli, et sic deinceps. — (10) Cod. 1 b, *pesime latus*. — (11) Sic codd. 1 a, et cxliii; cod. 1 b, et cxvi *circumcisionem habuit in corpore Christus, ut*. — (12) Sic codd. 1 a, et cxliii; cæteri *portatus*. — (13) Sic cod. 1 b, et cxvi; codd. 1 a, et cxliii *semper*. — (14) Sic cod. 1 b; cæteri *si vero*. — (15) Cod. cxvi *male mundus*. — (16) Cod. cxvi *optutibus*.

VII. Ipso quoque genere illius sacrificii, quoddam spiritale sacrificium nobis agnoscimus indicari (1). «Par, inquit (2), turturum, et duos pullos columbarum¹.» In hoc genere avium, dilectissimi fratres, magnum nobis commendatur catholice fidei sacramentum. In columba enim charitas cognoscitur, in turture vero (3) castitas invenitur. Turtur namque intemeratam (4) servat uni viro fidem, columba vero aliarum cohabitantium non deserit unitatem. Catholicus igitur Christianus tunc vere spiritualis turtur efficitur, si veram Trinitatis fidem firma credulitate conservet, et hæreticæ pravitatis sensum, tanquam fornicationis inquinamenta, repudiet; tunc vere erit columba, si longanimiter usque in finem in catholica societate permaneat, et contra tentationes et scandala (5) immobili firmitate persistat; ut nec hæretica (6) fornicatio corrumpat in corde fidei castitatem, nec amara dissensio ecclesiasticæ charitatis dissipet (7) unitatem. Hæc est enim Catholica Ecclesia, quæ fidem uni Deo (8) tanquam legitimo viro conservat (9), et congregationem filiorum (10) in charitate multiplicat. In hac turture (11) et columba, dilectissimi fratres, solliciti (12) permanete; hanc (13) votis (14) omnibus custodite, ut eam nec Arianns violet, nec Donatista conculcet, nec Manichæus coinquinet (15). Hi enim velut accipitres mali unitatem columbæ cupiunt dissipare, et

¹ Luc. ii, 24.

(1) Cod. cxvi *judicari*. — (2) Deest *inquit* in codd. 1 a, et cxliii. — (3) Sic codd. xli et 1 a; codd. 1 b, cxv et cxliii *et in turture*. — (4) Cod. xli *intemerata*. — (5) Sic codd. 1 a, et cxliii; codd. cxvi, et b, *tentationis scandala*. — (6) Cod. xli *hæretici*. — (7) Sic codd. xli et cxvi; cæteri *male deserat*. — (8) Sic omnes codd. excepto cod. 1 b, qui habet *Domino*. — (9) Sic cod. cxvi; codd. 1 a, et cxliii *servat*; cod. 1 b, *reservat*; codd. xli *servet*, qui et ante *legitima* habet pro *catholica*. — (10) Sic cod. 1 a, et cxliii; cæteri *multorum*; forte ambæ voces servandæ *multorum filiorum*. — (11) Cod. xli *virtute*. — (12) Id. *sollicite*. — (13) Cod. 1 b, *male hæc*. — (14) Codd. sic omnes excepto, cod. cxvi qui habet *vobis*. — (15) Sic codd. 1 b, xli, et cxvi; cæteri *inquinet*.

castitatem turturis desiderant violare (1). Nam Manichæus veram in Christo (2) non credit carnem; Arius (5) veramineo minorat Divinitatem; Donalista quoque dissipat (4) catholici corporis unitatem (5). Manichæus sacramentum non videt Redemptoris (6); Arius magnitudinem non cogitat Creatoris (7); Donalista vero, tanquam (8) rapax lupus, non dubitat gregem boni dissipare Pastoris (9). Ili ergo, sicut dixi, tanquam accipitres (10) mali, miseros (11), et vanitatis cupidos, aut veritatis ignaros occidere cupientes, persequuntur columbæ charitatem, castitatem execrantur turturis, et si quos (12) possunt, aut ore (13) devorant, aut unguibus lacerant; id est, aut sermonibus depravant, aut persecutionibus cruciant.

VIII. Vos ergo, sanctissimi fratres, in fide custodite catholicam veritatem; in charitate pacem servate catholicam. Ille enim gratum Deo offert sacrificium, qui charitatem fraternam et verum (14) catholicæ fidei servaverit sacramentum, ubi unus Deus, una Trinitas colitur; nec Pater major Filio, nec Pater (15) minor secundum divini-

(1) Sic cod. cxliii; cæteri *castitatem violare desiderant turturis*. — (2) Sic cod. cxvi; cæteri *in Christo veram*. — (3) Sic codd. i a, et cxliii; cæteri *Arius*; deinde alii habent *veram in eo*, alii *in eo veram*. — (4) Cod. cxliii *dissipavit*. — (5) Cod. cxliii *sanitatem*. — (6) Sic codd. i a, et cxliii; cod. cxvi *credit Redemptoris*; cod. i b, *vidit redemptionis*. — (7) Sic cod. xli; cæteri bis habent *Redemptoris*. Mihi legendum potius videretur, *Creatoris* quoad Manichæum, *Redemptoris* quoad Ariannum. — (8) Cod. b, male *tam rapax*. — (9) Sic codd. xli et cxliii, excepto quod habent *dissipavit pro dissipare*; cæteri autem cod. l. *boni pastoris non dubitat gregem dissipare*, quod non concordat cum more scriptoris in eosdem sonos desinere semper querentis. — (10) Codd. xli et cxliii male *hi ergo dixi accipitres*. — (11) Vox *miseros* deest in cod. xli. — (12) Sic codd. i a, et cxliii; cæteri non habent *si*. — (13) Vox *ore* deest in cod. cxliii. — (14) Sic codd. i b, xli et cxvi; codd. i a, et cxliii *qui cum charitate fraterna verum*, etc. — (15) Cod. xli et cxvi male *a patres*; cæteri codd. tollunt *a*.

tatem Filius (1) prædicatur; nec ab eis discernitur substantia sancti Spiritus, qui cum Patre ac (2) Filio naturaliter unus est Deus. Una est enim Trinitatis sanctæ potentia, quia in tribus personis una manet substantia naturalis. Una est enim (3) potestas, quia majestas una, una æternitas, quia una divinitas (4); una Creatoris dominatio (5), quia conditio una (6) creaturæ. Quidquid enim Pater creavit, fabricavit per Filium, firmavit et in Spiritu sancto. Filius autem natus est de gignente (7), Spiritus sanctus de permanente procedit; nec tamen nascendo Filius divisit Patrem, nec procedendo minuit Spiritus Deum (8), quia nec auget hærendo. Ergo nec nascendo est Filius (9) minoratus, nec separatus Spiritus procedendo. In se enim beata illa Trinitas manet, quia ibi substantialis unitas permanet; et quoniam nihil est in Trinitatis divinitate creatum, propterea ibi nihil est utique separatum (10). Hæc, dilectissimi fratres, fideliter tenete; in his jugiter permanete (11). Hæc (12) sit in corde cogitatio, hæc in ore confessio. Tenete fidem, quam accepistis in nomine Trinitatis; « Servate unitatem Spiritus in vinculo pacis », ut turtures et columbæ spiritualiter in domo Dei semper esse possitis. Amen.

¹ Ephes. iv, 3.

(1) Cod. i b male, *si filius*. — (2) Sic cod. cxvi; cod. i b, *et*. — (3) Vox *enim* quæ legitur in codd. i b, xli et cxliii, deest in codd. i a, et cxvi. — (4) Hæc verba desunt in codd. i a, i b, et cxvi, sed leguntur in codd. xli et cxliii. — (5) Cod. i b, male *damnatio*. — (6) Cod. cxvi male *non pro una*; cod. xli *quia una creaturæ est conditio*. — (7) Sic codd. cxvi et cxliii; cod. i a, *gignente*; cod. i b, *gignente*. — (8) Sic omnes codd., excepto cod. cxvi qui habet *Dei*. — (9) Cod. xli *Dei filius*; cæteri omittunt *Dei*. — (10) Sic cod. cxliii, et quidem bene; cæteri *propterea separatum ibi nihil est utique*. — (11) Sic idem cod., et optime propter desinentiæ similitudinem; cæteri *in his permanete jugiter*; cod. i b, male *jugitur*. — (12) Cod. xli male *hæc*. Ante hæc verba indicantur in variantibus voces, quæ innere videntur aliquam sententiam, quæ in nostris manuscriptis penitus deest, et quæ incipit per hæc verba *hæc spirituales*, etc; credendum est illam excidisse amanuensium incuria.

SERMO XIV.

In Natali Domini.

Extrahitur hic sermo ex Bibl. Ædil. cod. x, de quo codice supra diximus. Hinc et propter parvam codicis auctoritatem, et propter nonnullas minus accurate scriptas sententias, rejiciatur in appendicem, et ponatur post sermonem appendicis Maurinensis CXXVIII, cum numero in Natali Domini XIII.

SYNOPSIS.

I. Duplex Christi adventus, in misericordia et in justitia. II. Ad Christum eadem via qua venit eundem est. III. Deus cum diabolo juste et sapienter egit in redemptione. IV. Gaudendum cum pastoribus et regibus. V. Pax ab Angelis nuntiata, sed non nisi hominibus bonæ voluntatis. VI. Figura et prophetia concordantes. VII. Post sanctificatum Præcursores, parit Maria Deum suum, quem cum præparatione debita suscipere debemus.

I. FRATRES charissimi, eximius Propheta David per Spiritum sanctum prævidens quæ hodierna die nobis apparuisse testatur, duos futuros adventus (1) Salvatoris prædixit. Præcessit jam primus cum misericordia, secundus jam veniet cum justitia. Sola enim misericordia et clementia sua descendit, carnem assumendo de Virgine. Qui erat invisibilis apud Patrem, visibilis et mortalis hodie apparuit inter homines, « Ut eos qui sub lege erant redimeret¹. »

¹ Galat. iv, 5.

(1) Cod. male, prætermittendo *adventus*, duos *Salvatores*.

Antiqui enim Patres primum expectaverunt, quem hodie videmus advenisse, adventum; nos vero secundum expectamus ad quem parati currere esse debemus. Surgite ergo omnes qui Christum expectatis, quoniam « Hora est jam nos de somno surgere¹. » Primus fuit in utero virginis in terra, secundus erit in aëre.

II. Tu vero fidelis, qui primum adventum in mente desideras, festina, occurre illi (1), et eadem via perge qua venit. Quæ est enim via Christi, nisi humilitas? Sine enim via recta humilitatis, obviam Salvatori nullus accedere potest. Nunc (2) ergo tu, Christiane, qui Christum in te venturum de propinquo expectas, cave ne dormias, sed festina, et ad locum in quo Christus inveniri potest, accede. Quis est iste locus, nisi Ecclesia? Ibidem Christum invenies, et dum eum inveneris, fige genua ante Salvatorem, qui te de limo terræ formavit; eleva ad eum manus; aperi ipsi cor, eleva brachia; exalta vocem profundæ humilitatis, et dic: « Veni, Domine, et jam noli tardare, quia amore tuo langueo². » Sed dum hæc omnia ais, dum genua flectis, te fragilem et de terra factum recognoscis, et in terra te redire non dubites. Memento ergo, homo, dum ante altare vel crucem genua flectis, quod terra et cinis es, et in cinerem reverteris³. In hoc etiam quod elevas manus tuas vel brachia, quid aliud quam ad cœlestia volaturum cognoscis? Sed etiam hoc non tibi solum sufficit, sed eleva manus ad pauperes, eis subveniendo, si indigent, consilio vel auxilio; si errant, revocando et monendo publice vel occulte, ut puta si publice peccant vel errant, publice « Argue, obsecra, increpa⁴; » si autem occulte, occulte obsecra et increpa. Sed si in die natalis Domini, Christiane, in Ecclesia inique fueris, et Christum natum videre credideris, et cogitas quomodo in mercantiis proximum decipias aut

¹ Rom. xiii, 11. — ² Cant. ii, 5. — ³ Gen. iii, 19. — ⁴ 2 Tim. iv, 2.

(1) Cod. *sibi*; sic semper hic cod. ponit *sibi pro illi*, ut videre est inferiori. — (2) Cod. absque sensu *cum*.

occidas, vel in aliquo eum offendas; scias quod si hoc feceris, oratio tua vana est. Si etiam jejunaveris et multitudinem ferculorum tibi paraveris, scias falsum esse tuum jejunium. Quid ergo, fratres, faciendum est? Ecce, Christiani, audistis, quod Christi « Benignitas nobis apparuit. » Et quibus nobis? Numquid luxuriantibus? numquid impœnitentibus? numquid superbis et elatis? numquid crudelibus, qui negligunt pauperi eleemosynas facere? Non, fratres mei, sed tantum iis qui humilitatem, misericordiam, et veritatem osculantur; talibus enim « Apparuit benignitas » et humanitas Salvatoris nostri Dei¹. »

III. Non tamen « Ex operibus, fratres, justitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam magnam misericordiam » salvos nos fecit². » Genus enim humanum astutia diabolicæ fraudis subdiderat (1) suæ ditioni per peccatum primi parentis; Dominus enim justus iudex, qui nec aliquid suo adversario injustum vult irrogare, sed omnia sive per misericordiam, sive per justitiam facere voluit, sic nos per gratiam redimere, ut nec etiam injuriam diabolo videretur inferre (2). Cum vero diabolus astute egisset contra homines per fallaciam, voluit ipse contra diabolum per prudentiam et sapientiam agere. Tali enim consilio Dominus de nostra egit (3) reparatione: necessarium erat, ut contra diabolum pugnaturus, talis mitteretur qui nec succumberet, et rationabiliter ageret, et cum sapientia omnia ageret et tractaret. Adam, fratres, purus homo fuit; ideo ex humana fragilitate diabolicis tentationibus succubuit, et propterea homo purus ad nostram redemptionem mittendus non fuit, quia vel per se, vel cum tentaretur, peccare potuisset. Angelus tamen mittendus non erat in hanc militiam (4), quia peccare poterat, sicut fecerat in superbia. Necessario ergo fuit, ut mitteretur (5) Deus, qui peccare

¹ Tit. III, 4. — ² Ibid. 5.

(1) Cod. *subderat*, et deinde *dejectioni*. — (2) Vide Sermonem inter ineditos xxx, de Pascha x, num. 2. — (3) Deest vox *egit* in cod. — (4) Cod. *in hac militia*. — (5) Id. *mitteret*.

non posset. Nulla enim res rationalis est, quæ peccare non possit, nisi solus Deus. Quare etiam non fuit missus Pater vel Spiritus sanctus, sed solus Filius, quia ut superius dictum, est contra astutiam diaboli in cunctis per sapientiam agendum erat. Sapientia autem et prudentia est ipse Filius, « Per quem omnia facta sunt¹, » et prævisa. Ideo quia prudentia est, et prudentia rationaliter egit, quia sapientia, egit sapienter; missus est Filius, quia cum esset sapientia, sapienter omnia pertractavit. Cum esset Deus, peccare non potuit, sed rationi congruum erat, ut sicut homo superatus et captus erat, sic et homo superando naturam humanam liberaret. Non ergo purus Deus missus est, sed Deus et homo. Homo qui pugnaret, et Deus qui hominem pugnantem sustentaret. Est ergo, fratres, et alia ratio. Magna enim discordia erat inter Deum et homines per veterem hominem; facta est ergo concordia per novum mediatorem Christum. Sed cum mediator esset, dignum erat ut cum utroque extremo affinitatem haberet. Itaque hominem cum Deo reconciliaturus erat, qui erat inter utrumque Deus et homo. « Non tamen ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, » sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit². »

IV. Gaudeamus ergo, fratres, quia « Hæc est dies, quam » fecit Dominus, exultemus et lætemur in ea³. » Hæc est dies in qua revelata est Christi nativitas pastoribus per Angelos, Regibus per stellam. Pastoribus quidem dicit Angelus: « Annuntio vobis gaudium magnum quod erit omni populo, » quia natus est vobis Salyator. Et subito facta est cum » Angelo multitudo dicentium: Gloria in excelsis Deo⁴. » Hoc autem audientes venerunt usque Bethlehem, et invenerunt puerum, quem adoraverunt, quem glorificaverunt, quem Deum et hominem esse crediderunt, cujus stabulum etiam osculati sunt, cujus matrem venerati sunt, cui etiam applausi sunt. O sancti pastores, verique pastores, quid vidistis? Annuntiate nobis. In terris quis apparuit? Gaudete,

¹ Joan. 1, 3. — ² Tit. III, 5. — ³ Psal. cxvii, 24. — ⁴ Luc. II, 10-14.

sancti pastores, et annuntiate nobis, qui vidistis, quod non videre potuerunt multi reges et Prophetæ. Beati pauperes humiles, quoniam ipsi Deum non in stabulo, sed in cælo videbunt. Merito ergo, fratres, hoc Angelus pastoribus nuntiavit, atque (1) Solem justitiæ et lumen in tenebris exortum declaravit (per stellam), quia Rex Angelorum natus erat. Cum (etiam) claritate magna, per stellam etiam hodierna die, Salvator regibus apparuit, quia natus erat (2), « Rex constitutus super montem Sion¹, » stella quæ oriunda erat ex Jacob². Merito ergo pastoribus et regibus Christus apparuit, quia rex et sacerdos natus est, ex regali et sacerdotali genere: de regali semine, quia de semine David; de sacerdotali, quia beata Maria cognata erat Elisabeth uxoris Zachariæ et Joannis Baptistæ matris. Nam Anna Domine nostræ mater, et mater (3) Elisabeth, quæ vocata fuit Daria, sorores licet, non germanæ fuerunt. Sed nunc audiamus quid Angelus pastoribus ait: « Ecce annuntio vobis gaudium magnum, quia natus est vobis hodie Salvator³. » Vere gaudium magnum, quia captivi eramus, et ecce per quem liberamur: infirmi eramus, et ecce per quem solidamur: cæci eramus, et ecce per quem illuminamur: claudi et surdi eramus, et ecce Salvator per quem dirigimur. Gloria est hodie in excelsis apud Angelos, de restauratione imminuti Angelorum ordinis; ideo laudabant Deum de reparatione hominum ad restaurationem Angelorum.

V. Hominibus etiam hodie pax annuntiat, quia cum Deo et Angelis ante discordiam habebamus; sed hodie vera pax nobis de cælo descendit, et factus est « Mediator Dei et hominum homo Christus Jesus⁴. » Peccando enim

¹ Psal. II, 6. — ² Num. XXIV, 17. — ³ Luc. II, 10. — ⁴ I Tim. II, 5.

(1) Hic vix explicari possunt cod. verba, qui habet *quia*, et deinde addidisse videtur male *per stellam*, et postea bis *etiam*. — (2) Cod. addit *et stella*. — (3) Cod. *soror*, quæ mutatio videtur necessaria; aliunde Elisabeth fuisset amita Virginis, non consobrina. Unde vero resciverit Elisabeth matrem vocatam fuisse *Dariam* penitus ignoro.

extranei facti eramus a Deo et consortio Angelorum; imo etiam Angeli nos despicientes, se a nobis adorari permittebant (1). Hinc est enim quod Loth et Abraham Angelos adorabant, nec ipsi Angeli adorari prohibebant ante Christi adventum; sed, nato Domino, pastores Angelos tanto clare resplendere videntes, eos adorare, ut puto, voluerunt, nec Angeli permiserunt. Numquid et Joannes in Apocalypsi Angelum adorare non voluit (2)? Cui dixit Angelus: « Vide ne feceris; conservus enim tuus sum et fratrum tuorum¹. » Prius enim naturam humanam despiciebant Angeli, ut inferiorem; sed postquam eam Deus assumpsit, eam in sociam susceperunt, quam etiam in Deo adoraverunt et adorant. Pax ergo hodie, fratres, per Angelum nuntiatur hominibus, sed non omnibus, tantum autem bonæ voluntatis². Utinam, fratres, de isto numero bonæ voluntatis simus! O utinam pax nobis annuntietur! O utinam illa pax quæ exsuperat omnem sensum custodiat corda nostra! Quibus, fratres, annuntiat hodie pax? Numquid luxuriantibus? numquid Deum maledicentibus? numquid hypocritis vel avaris? numquid superbis et iracundis? numquid crudelibus, viduas et prægnantes spoliatis (3)? numquid sacerdotibus Christi, corpus et sanguinem indigne sumentibus? Absit, fratres; sed quibus ergo nuntiatur pax, nisi iis qui boni sunt et qui mali fuerunt, sed nunc habent voluntatem benefaciendi? talibus qui habent voluntatem reconciliandi, et qui etiam convertunt se Creatori, nec faciunt contra voluntatem ejus; talibus pax ab Angelis nuntiatur. Sed quot sint tales? Omnino, fratres, numerum enarrare pertimesco. Sed dicet quis ex vobis: Quare dixit, « Bonæ voluntatis, » et non actionis? Cujus causa est, quia bona voluntas sufficit, ubi

¹ Apoc. XXII, 8, 9. — ² Luc. II, 14.

(1) Hæc omnia de adoratione Angelorum non satis accurate videntur dicta. — (2) Cod. *noluit*, quod hic non idem est ac *non voluit*. — (3) Cod. *male spoliantes*.

non fuerit operandi facultas? Itaque, fratres, bona voluntas valet aliquando sine bona operatione; operatio vero nunquam sine bona voluntate. Debit ergo dici, « Bonæ voluntatis, » quia commune est omnibus salvandis (1) per gratiam.

VI. Appartit ergo hodie Christi benignitas, et pretiosa ex matre nativitas, quæ ostensa fuit in figura ipsi Aaron. Dominus enim sancto Moysi præcepit de singulis tribubus singulas virgas afferri, et portatæ sunt virgæ duodecim, inter quas etiam una fuerat, quæ erat Aaron sacerdotis; positæ tandem sunt a sancto Moyse in tabernaculo testimonii; sed virga Aaron invenitur post alteram diem produxisse flores et peperisse nuces. Hæc est figura, sed prophetia fuit, dum dixit Isaïas: « Egre dietur virga de radice Jesse¹. » Ecce conveniunt prophetia et figura. Jesse fuit pater David; radix Jesse est familia Judæorum; virga est Maria; flos filius ejus est, super quem Spiritus sanctus descendit in specie columbæ². Virga etiam ipsius Aaron Mariam bene significat, quæ sine semine protulit nuces et absque omni liquore procreandi. Nux etiam significat Domini corpus. Tria enim sunt in nuce, scilicet cortex, testa et nucleus. Cortex amarus est, et significat Christi carnem in passione; nam tunc amara fuit; testa ossa significat; nucleus Christi animam significat, fratres, quæ dulcis et candida est. Cum his et similibus Domini nativitas prænnuntiata fuisset, quando voluit, placuit promissa implere, et tunc missus est angelus Gabriel ad Mariam.

VII. Voluit tamen Deus et egregius Imperator habere præcursorem, et per eundem angelum Gabrielem annuntiare; et contra jus naturæ, de sterili fœmina voluit eum nasci. In sexto enim mense a conceptione Joannis conceptus est Christus, quo concepto, « Abiit Maria in montana » et salutavit³ cognatam, et audita salutatione, Joannes

¹ Isaï. xi, 1. — ² Matth. iii, 16. — ³ Luc. 1, 39, 40.

(1) Cod. *salutandis*.

mox Propheta efficitur, et prophetavit conceptus conceptum, et per gratiam pueri repleta est mater Spiritus sancti gratia, et ait: « Unde hoc mihi, quod Mater Domini mei » veniat ad me¹? Et mansit Maria apud cognatam mensibus » tribus; et postmodum reversa est in domum suam Nazareth²; » postmodum contigit Joseph ire « In Bethlehem » cum Maria uxore prægnante, et completi sunt dies ut » pareret, et divertit se in stabulum, et peperit Filium suum » sine dolore « primogenitum, et pannis eum involvit, et in » præsepio eum reclinavit³. » Hæc est ista porta, per quam homo non transivit, quia virgo ante partum, virgo in partu, et virgo post partum permansit. O Maria, magnam gratiam, magnum donum et singulare beneficium a Deo recepisti, ut mater esses et virgo, ancilla Dominum pareres (1), creatura Creatorem, filia parentem, filia Divinitatis, et mater humanitatis (2). Duas denique nativitates Domini, fratres, accepimus, unam divinam et alteram humanam, illam sine Matre, istam sine Patre. Hodie tamen celebramus temporalem tantum propter nos acceptam. Gaudere igitur debemus propter nostram reparationem: hodie suscepit infirmus sanitatem, hodie captivus libertatem, hodie exul recuperavit hæreditatem. Suscipiamus ergo hodie Regem venientem; præparemus corda nostra ante istum Imperatorem, ut nos recipere dignetur in cœlestem sanctam Jerusalem, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

¹ Luc. 1, 43. — ² Ibid. 56. — ³ Id. 11, 4-7.

(1) Cod. *parere*, et deest vox *Dominum*. — (2) Hæc male sonare videntur, et supponere Mariam esse matrem hominis, non Dei.

SERMO XV.

In octava Natalis Domini.

Hic sermo eductus ex Cod. Cass. xi, fol. 215, citatur etiam a Bandinio Bibl. Laur. S. 1, fol. 650. Ignoratur cujus sit, et propter defectum nominis in codice, anonymo tribuere illum sumus coacti, licet plures sint sententiae sancto Augustino non indignae. Ponatur in appendice post precedentem.

SYNOPSIS.

I. Calendae Januariæ Christi nomine consecratae. II. Simeonis justitia viris imitanda. III. Ita et Anna foemina.

I. CALENDAS Januarias, fratres charissimi, Romanae urbis consules ac magistratus festis annalibus renovant, ut vocabulis consulum, series renovaretur annorum. Deus autem, qui mundum, et tempora, simulque temporum nomina fieri jussit ac fecit, Filio suo, ante mundi originem genito, hodie promissum nomen imposuit, cum enim ante octo etiam dies per Virginem jussit corporaliter nasci. Audi hoc, et disce, mortalitas. Dies iste qui semper consules recipit, non huic mundo, sed nomini dicatus est Salvatoris, Luca evangelista dicente: « Postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer, vocatum est nomen ejus Jesus, quod praedictum erat ab Angelo priusquam in utero conciperetur¹. » Quid nunc, mundana, laetitia, fascis, secures atque infulas, caeteraque bonorum

¹ Luc. II, 21.

vanissima insignia, plausibili ambitu ostentas? quid laureas renovando frondescis? quid reciprocis osculis et pecuniis hunc tibi vendicas diem? Dies iste, dies purgationis est Christi. Hodie nomen suum terris, cum acciperet, dedit. Hodie legalibus sacramentis oblati interfuit. Hodie pro eo sacrificium Pater accepit, ipso Evangelista dicente: « Cum completerentur (1) dies purgationis ejus, secundum legem Moysi, sustulerunt eum Jerosolymam, ut statuerent eum ante Dominum, sicut scriptum est in lege Domini, quia omnis masculus adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur. Et ut offerrent pro eo sacrificium, secundum legem Domini, par turturum, aut duos pullos columbarum¹. »

II. « Ecce autem fuit homo Jerosolymis, cui nomen erat Simeon; homo justus et pius, expectans redemptionem Israël. Responsum namque acceperat a (2) Spiritu sancto non visurum se mortem, quoadusque videret Christum Domini. Venit ergo in templum, Spiritu sancto plenus, et accepit Jesum in manus suas, et benedixit Dominum dicens: « Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace, quia viderunt oculi mei salutare tuum². » Simeon justus et pius, sacrosanctae infantiae dignus antistes, Christum hac die manibus junctis accepit. Magnum Eucharistiae sacramentum, quod hodie, Christiani, de altaribus Dei non sumitis, qui per fora mundi ludicra (3) celebratis. O error, fidei depravator! O Christiani, obliti nominis vestri! Natalem diem corporis Christi non fideliter colitis, si natalem nominis non colatis. Facite igitur, viri, quod Simeon justissimus fecit, ut ante corporis mortem veniatis ad Christum.

III. Vos quoque, foeminae, facite quod Anna prophetissa monstravit. Nihil incongruum suadeo. Sexus sexum, et aetas

¹ Luc. II, 22-24. — ² Ibid. 25-30.

(1) Cod. male addit octo. — (2) Cod. male ab. — (3) Cod. minus bene lucra.

imitetur ætatem. Eodem Evangelista dicente : « Anna prophetissa, filia Phanuël, de tribu Aser. Hæc præcesserat in diebus multis; et vixit cum viro suo annis septem a virginitate sua. Vidua autem erat annorum octoginta quatuor. Quæ non recedebat de templo, jejuniis et orationibus serviens Deo nocte ac die. Hæc igitur, cum venisset in templum, constebatur Domino, et laudabat in eo gloriam ejus coram omnibus expectantibus redemptionem suam. Et cum perfecissent omnia secundum legem Domini in templo, reversi sunt in Galilæam, in civitatem Nazareth. Puer autem crescebat et corroborabatur, et adimplebatur sapientia, et gratia Dei erat in illo¹. » Audite hoc, femine cujuslibet ætatis, audite simul et discite; ut in Ecclesia Dei cum semper, tum magis hodie præcedatis. Annam gravissimam feminam imitari vos decet (1); quæ orationibus et jejuniis ad Christum omnes duxit ætates. Et quia vobis familiares sunt infantes cum conjugibus et filiis, infantiam Christi et nomen suppliciter adorantes, benedicite et collaudate. Celebrate nobiscum divini gratiam sacramenti, quia hodie nobis in integram completus est Christus. Solstitio namque corpus ejus emicuit; hodie corporis nomen illuxit; cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

¹ Luc. II, 36-40.

(1) Vide August. de Bono viduitatis lib. num. et seqq.

SERMO XVI.

In Circumcisione Domini.

Hic sermo pulchris refertur sententiis, non sancto Augustino indignus videretur, nisi extraheretur ex Bibl. Edil., cod. x, fol. 6, de quo pluries jam disseruimus. Adde quod singulariter asserit Abel fuisse occisum in agro Damasceno, quod nullibi legitur apud beatum Doctorem. Sit ergo in appendice post sermonem præcedentem.

SYNOPSIS.

I. Christus circumciscus, quia debuit; oblati, quia voluit. II. Maria virgo purificatione non eguit. III. Baptizatus Christus, quia profuit, et passus, quia oportuit. IV. Nos cum Christo offeramus oblatione voluntaria, maxime per paupertatem. V. Duæ aves, figuræ sunt animæ et carnis, quæ Deo sunt consecrandæ. VI. Columba, mutans colorem, docet nos omnia omnibus fieri. VII. Exhortatio ad perseverantiam, Simeonis exemplo. VIII. Et ex luminaribus mysticis. IX. Christus figuratus in serpente æneo. X. Juventuti verba adhortatoria. XI. Carnem inter et spiritum dialogus. XII. Conclusio.

I. « Oblatus est » hodie Christus, fratres, « quia ipse » voluit¹. » Quoties enim oblati est (1), toties offerri voluit. Primo enim oblati est in templo, sed postmodum in ligno: primo tanquam puer oblati est a parentibus, pos-

¹ Isai. LIII, 7.

(1) Hæc verba *oblati est* desunt in cod., qui his sublatis nullum præ se fert sensum.

imitetur ætatem. Eodem Evangelista dicente : « Anna prophetissa, filia Phanuël, de tribu Aser. Hæc præcesserat in diebus multis; et vixit cum viro suo annis septem a virginitate sua. Vidua autem erat annorum octoginta quatuor. Quæ non recedebat de templo, jejuniis et orationibus serviens Deo nocte ac die. Hæc igitur, cum venisset in templum, constebatur Domino, et laudabat in eo gloriam ejus coram omnibus expectantibus redemptionem suam. Et cum perfecissent omnia secundum legem Domini in templo, reversi sunt in Galilæam, in civitatem Nazareth. Puer autem crescebat et corroborabatur, et adimplebatur sapientia, et gratia Dei erat in illo¹. » Audite hoc, fœminæ cujuslibet ætatis, audite simul et discite; ut in Ecclesia Dei cum semper, tum magis hodie præcedatis. Annam gravissimam fœminam imitari vos decet (1); quæ orationibus et jejuniis ad Christum omnes duxit ætates. Et quia vobis familiares sunt infantes cum conjugibus et filiis, infantiam Christi et nomen suppliciter adorantes, benedicite et collaudate. Celebrate nobiscum divini gratiam sacramenti, quia hodie nobis in integrum completus est Christus. Solstitio namque corpus ejus emicuit; hodie corporis nomen illuxit; cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

¹ Luc. II, 36-40.

(1) Vide August. de Bono viduitatis lib. num. et seqq.

SERMO XVI.

In Circumcisione Domini.

Hic sermo pulchris refertur sententiis, non sancto Augustino indignus videretur, nisi extraheretur ex Bibl. Edil., cod. x, fol. 6, de quo pluries jam disseruimus. Adde quod singulariter asserit Abel fuisse occisum in agro Damasceno, quod nullibi legitur apud beatum Doctorem. Sit ergo in appendice post sermonem præcedentem.

SYNOPSIS.

I. Christus circumciscus, quia debuit; oblati, quia voluit. II. Maria virgo purificatione non eguit. III. Baptizatus Christus, quia profuit, et passus, quia oportuit. IV. Nos cum Christo offeramus oblatione voluntaria, maxime per paupertatem. V. Duæ aves, figuræ sunt animæ et carnis, quæ Deo sunt consecrandæ. VI. Columba, mutans colorem, docet nos omnia omnibus fieri. VII. Exhortatio ad perseverantiam, Simeonis exemplo. VIII. Et ex luminaribus mysticis. IX. Christus figuratus in serpente æneo. X. Juventuti verba adhortatoria. XI. Carnem inter et spiritum dialogus. XII. Conclusio.

I. « Oblatus est » hodie Christus, fratres, « quia ipse » voluit¹. » Quoties enim oblati est (1), toties offerri voluit. Primo enim oblati est in templo, sed postmodum in ligno: primo tanquam puer oblati est a parentibus, pos-

¹ Isai. LIII, 7.

(1) Hæc verba *oblati est* desunt in cod., qui his sublatis nullum præ se fert sensum.

tea tanquam perfectæ ætatis se obtulit pro parentibus. Prima oblatio fuit purificationis, sed secunda immolationis; sed utrobique « Oblatus est, quia ipse voluit, et omnia quæcumque voluit, Dominus fecit in cælo et in terra ¹. » Nam licet Salvator natus, circumciscus, oblatus, baptizatus et passus sit, quia ipse voluit, tamen quæcumque singula suis determinationibus distingui possunt in hunc modum. Nam primo circumciscus est, quia debuit, sed oblatus est, quia voluit; baptizatus est, quia profuit; passus est, quia oportuit. Sane parvulus natus est « De muliere, factus sub lege ², » quasi « Legem non solveret, sed adimpleret ³. » Ideo dico quod quasi tenebatur circumcisci, Lege cogente parvulus circumcisci de filiis Israël (1), pœnam mortis incircumciscis interminans, cum diceret: « Anima, quæ non circumciderit carnem præputii sui, peribit de populo Israël ⁴; » nec in corde Legis erat, quo posset excusari si mansisset incircumciscus, si diceret: Peccatum non habeo, non egeo remedio circumcisionis; non secundum Legem excusaretur, quia non hanc addidit exceptionem. Offerri vero die purificationis non debuit, secundum Legem; imo ipsa Lex videtur exclusisse a purificatione et hostiis; in Lege namque scriptum est quod (2) mulier, quæ, suscepto semine, pareret, post dies quadraginta deberet se in templo repræsentare ⁵. Cur ergo accedis, o Jesu, ad purificandum? Non enim accedere debes. Tu enim immunis es ab omni peccato, « Fide mundans corda ⁶ » tuorum. Tu sine semine conceptus es et natus de Spiritu sancto. Expecta, Domine, quousque te ipsum offeras pro salute mundi.

II. Nec tu, o virgo sanctissima, accedere debes; tu enim munda, tu sæcunda, tu casta, tu virgo; tu enim nec proprie mulier, quoniam ipsa mater delicti, tu veniæ

¹ Psal. cxix, 3. — ² Galat. iv, 4. — ³ Matth. v, 17. — ⁴ Gen. xvii, 14. — ⁵ Levit. xii, 2. — ⁶ Ael. xv, 9.

(1) Cod. male hic iterat *circumcisci*, et deinde habet male *incircumciscus*. — (2) Deest *quod* in cod.

mater; ipsa superbiæ via, tu humilitatis exemplum; ipsa Legis destructrix, tu Legis doctrina; ipsa luxuriæ globus, tu castitatis forma; ipsa errantium via, tu viarum ductrix; ipsa veneni domus, tu unguenti habitatio; ipsa ignorantia principium, tu sapientiæ norma; ipsa mater doloris, tu Salvatoris mater; ipsa mollis et omnino inconstans, tu immobilis et constans super omnes filias Israël. Itaque, fratres, Lege quasi ex adverso prohibente, non ex debito oblatus est, sed quia voluit, tam pro se, quam pro matre. Quare voluit? Ut cordibus circumciscis, non præputiis ipsi servire mereamur. Omnis enim Christi actio, Christianorum est instructio.

III. Baptizatus est (1) vero quia profuit; cum tactu (2) enim corporis sui, vim regenerativam contulit aquis. Passus, quia oportuit, quia sic nos redimere opportunum fuit. Erat tamen et alius modus nos redimendi possibilis Deo sed nullus convenientior. Nihil æque potuit nos incitare ad diligendum Deum, « Quam ut animam pro nobis poneret ¹. »

IV. Moraliter autem, fratres, intelligi possunt, quæ hodie gesta sunt, et ædificare fideles, maxime bonos, qui non partim serviunt mundo, et partim serviunt Deo, sed integre, non divisim, hostiis salutaribus occupati, se ipsos in holocaustum offerunt (3) « Hostiam sanctam et Deo placentem ², » sicut novimus fratres Dei gratia in eremo. Quid enim per parentes, scilicet Mariam et Joseph nisi homines contemplativos, qui mundam et mundanorum pompam reliquerunt? Isti sunt de quibus ait Dominus extendens manus super Discipulos: « Hi sunt, fratres mei, mater, soror » et pater ³. Isti sunt Christi parentes, Christum in mente et corde semper portantes; isti sunt Christum in ulnis cum Simone portantes; isti sunt cum Joseph bajulantes et in Ægyptum abscondentes, ne occidatur. Ergo, fratres, ex

¹ Joan. xv, 13. — ² Philip. iv, 18. — ³ Matth. xii, 49, 50.

— (1) Deest in cod. verbum *est*. — (2) Cod. male *tactus*. — (3) Deest vox *necessaria offerunt* in cod.

verbis prædictis fructum aliquem capere festinetis, offerentes vos Christo oblatione voluntaria, mundana relinquentes. Nam nihil tutius paupertate in præsentī vita, fratres, conspicimus, et tamen insipientibus mortalibus, nihil odibilius et mortalius (1). O dives, qui opes congregas cum labore, possides cum timore, et amittis cum dolore: an ignoras, quod, dum eas congregas, in sinu ignem portas, et intra paleas tuæ conscientiæ ipsum collocas. Attendite igitur, et omnes revolvite vitam Salvatoris ab utero Virginis usque ad patibulum crucis; non invenietis in eo nisi stigmata paupertatis. Non sine causa ergo sermo dominicus in monte, ubi totius religionis est documentum, paupertate exordium habuit. « Beati (2), inquit Salvator, pauperes spiritu; » quod et fecit ille magnus philosophus, qui rerum suarum pretium in pondus auri redactum, totum in mare submersit dicens: « Ite, submergam vos, divitiarum pessimæ, ne submergar a vobis. » Non tamen in hoc philosophus justificatus est, cum non factum, sed factorum intentio beatum te faciat. Nam latro simul cum Christo crucifixus est, et tamen cum Christo non (3) justificatus est. Non igitur pœna beatum te facit, sed causa. Offeratis ergo vos ipsos Christo, sicut se ipsum pro vobis obtulit, quod facere minime poteritis, nisi Christi paupertatem corde amaveritis. Quod bene ostendebat Dominus cum dicebat: « Si vis perfectus esse, vade, et vende omnia quæ habes, et da pauperibus. » Hoc autem vehiculum sanctæ paupertatis bene cognovit, qui dicebat: « Elegi abjectus esse in domo Dei mei. » Numquid etiam adhæsit huic ille Paganus, qui dicebat: « Qui opes congregat, secum serpentes venenosos (4) cubare et secum dormire recognoscit. » Ecce enim, fratres, quantum etiam a sapientibus Pa-

¹ Matth. v, 3. — ² Id. xix, 21. — ³ Psal. lxxxiii, 11.

(1) Cod. *mortalibus*. — (2) Cod. *male sancti*. — (3) Cod. non habet negationem, quæ necessaria est, cum evidenter agatur de malo latrone. — (4) Cod. *male venososi*.

ganis ipsa sancta paupertas sublimatur, quam, ut diximus, nisi quis eam habuerit, se Deo offerre nullatenus poterit. Nam quid aliud amantes divitias agunt, quam Deum relinquentes? Pecuniam, ut Deum, colunt et adorant; idololatræ (1) enim sunt, simulacra aurea et argentea adorantes.

V. Quid enim plura hodie Dominus fecit? Voluit offerri etiam turturem et columbam. Ecce aviculæ duæ sunt, per quas duas partes hominis intelligere possumus, animam videlicet et carnem. Sit ergo in tua oblatione, o felix, anima simplex et innocens, ut columba; sit et caro immaculata et (2) continens. Ecce duo quæ omnino sufficiunt, et quæ omnino tibi necessaria sunt, « Si cupis ad vitam ingredi; » nam turtur, amisso compare (3) suo, nunquam deinceps, nisi arido insidet ramo, quam etiam habet exquisitam sedem continentia. O continentia, Angelorum domina! nam liber experientiæ unumquemque nostrum docere potest, quam amica sit continentia ciborum aviditati (4), quam contraria eorum mollitiei et ingurgitationi. Omnem revolvite Salvatoris vitam.

VI. Columba enim quamdam (5) ad mutationem mutat et colorem; alius enim apparet color in collo, si vertitur in parte dextra, et alius in parte sinistra: sic et homo rectus loco et tempore omnia bona omnibus tribuit, ut omnibus lucrum faciat. Hanc colorum varietatem habebat Apostolus, dum gaudebat cum gaudentibus, et flebat cum flentibus; dum (6) sapientiam (Apostolus) (7) loquebatur inter perfectos, sed inter minores nihil se scire iudicabat, nisi Christum, et hunc crucifixum, alterius coloris hinc, et alterius inde videbatur: hæc est enim forma charitatis;

¹ Matth. xix, 17. — ² Rom. xii, 15. — ³ 1 Cor. ii, 6. — ⁴ Ibid. 2.

(1) Cod. errore vulgari *idolatræ*. — (2) Deest et in eod. — (3) Cod. inepte *admisso cum patre suo*. — (4) Cod. *aviditas*, qui deinceps habet *ingurgitatio*. — (5) Cod. *quædam*. — (6) Cod. *male nec*. — (7) Hæc vox *Apostolus* videtur abundare.

hæc est scala, in qua vidit Jacob Angelos ascendentes et descendentes¹, dum viri sancti supra se rapiuntur, contemplando, infra se (1) ponuntur, minoribus condescendo. Nec vacat quod duo pulli utriusque aviculæ oblatis sunt: in quibus duo genera contemplativorum, legentium vero et orantium.

VII. Vos autem, fratres, qui legentes vel orantes estis, obsecro ne ad vomitum revertamini, sicut canes². Nam Simeon justus venit in templum³, et inde nunquam recessit, sed firmiter expectavit Christum perseverando, et Christum vidit, et adoravit, et ipsum, quantum voluit, osculatus est, et cantando exclamavit: «Nunc dimittis ser-vum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace⁴.» Non ergo revertamur ad mundana, sed festinemus cum Simeone perseverantes in templo: non recedamus de Paradiso ad agrum Damascenum; nam ibi periit Abel justus (2). Si in domo patris stetisset, mortuus non fuisset. Perseveremus ergo, Fratres, in honore, quia nisi quis perseveraverit, non erit salvus. In cujus rei figura Dominus caudam bestię præcepit offerri⁵. Hoc autem quid aliud quam perseverantiam nostris mentibus imprimit?

VIII. Ad perseverandum etiam in ipsis luminaribus hodie instruemur, fratres; ac (3) si nobis dicatur: Videte, quid gestatis manibus. Typum igitur gestatis in manibus; fidem tamen ejus gestare debetis in mente, confessionem ejus in ore, et imitationem in opere. Tres siquidem substantię in una Christi persona per accensum luminare designantur; nam per ceram Christi caro; apis vero quæ non resolvitur in libidinem, quæ commixtione sexuum non frangitur, ceram tamen operatur: sic caro Christi «Non ex sanguinibus, neque ex voluntate (4) carnis⁶,» sed ex illibata

¹ Gen. xxxvii, 12. — ² Prov. xxvi, 11. — ³ Luc. ii, 27. — ⁴ Ibid. 29. — ⁵ Levit. iii, 9. — ⁶ Joan. i, 13.

(1) Cod. male *intra*. — (2) Nescio ubi invenit concionator Abel mortuum fuisse in agro Damasceno. — (3) Cod. *at*. — (4) *Id. voluptate*.

virginitate ex Deo facta est. Linum latens in cera, anima carnis domicilio tecta. Ignis utrumque absumens (1) ejus divinitas designatur, quia «Deus noster ignis consumens est¹;» ideo Simeon justus Christum «Lumen» appellavit «factum ad revelationem Gentium².» Hodie enim gestatur in manibus Dei Filius; proponitur nobis in exemplum patientiæ, qui, cum esset Deus, palpari voluit ut homo, crucifigi ut latro.

IX. Quem optime figuratum legimus in illo serpente, quem Moyses in deserto erexit in pertica, ut percussi a serpentibus ignitis liberarentur³; sic et percussi a serpentibus, dæmonibus, per peccatum, respicientes ad Creatorem passum sanarentur. Vos autem, qui Christiani estis, crucifixi debetis esse cum eo, tollentes crucem ejus obedientiæ et patientiæ, ut dicere possitis: «En ego colligo duo ligna⁴,» quibus comburere volo carnis meæ miseriam.

X. Incipiendum est amodo, fratres, Christo occurrere et ipsum cum Simeone astringere, et in cruce pœnitentiæ perseverare. Et si inquietet te mundus, o juvenis, si dæmones te cribrare advertis, si carnem subjectam esse non sentis, si verba parentum tibi dicentium: Ecce juvenis es; ne adhuc accedas ad crucem, ne ad pœnitentiam pergas; nam circa senium accedere potes; clama, o juvenis, te deprecor; exalta vocem tuam; ab adulatoribus tuis iniquis defende te; fuge eos ut mortales et crudeles leones; latra contra eos tales canes proditores, et dic: Nil certius morte, o amici mortales, et nil incertius hora mortis, o parentes crudeles. Dic, o fortis miles: Vigilabo cum Simeone justo, et perseverabo in cruce, donec inclinato capite tradam spiritum⁵. Quid tibi videtur, o juvenis? Deprecor enim te, ut mihi acquiescas; nam melius est ut caro tua aliquid patiat, quam æternaliter crucietur.

¹ Hebr. xii, 23. — ² Luc. ii, 32. — ³ Num. xxi, 6, etc. — ⁴ 3 Reg. xvii, 12. — ⁵ Joan. xix, 30.

(1) Cod. *assumens*.

XI. Dicat anima tua carni : O soror, valde tibi compati-
 tor; tamen te curare non valeo, nisi patiaris. Te ergo ligari
 cupio, secare (1) te intendo, te urere cupio, te domare
 intendo, te ancillam facere concupisco. Et respondebit
 caro, quæ domari non consuevit : Quia dominium meum
 nequam est, ecce dominam te super me facio; assentire
 tibi affecto; alliga ergo me funibus pœnitentiæ, seca me,
 serra obedientiæ, ure me vigiliarum abstinentia, doma me
 humilia me fame, siti, frigore et nuditate. Dum autem caro
 sic affligitur, clamat ad spiritum : Solve me, pater, separa
 me a te, quoniam jam « Cupio dissolvi et esse cum Christo¹. »
 Astans spiritus et compatiens carni, ait : O soror, modi-
 cum sustine, et exaudieris. Memento tamen quod, te vo-
 lente, factum est hoc. Sed caro sic consolatur expectando,
 ex consuetudine. Quod a spiritu (2) fait, ex Dei gratia
 efficitur leve. Tunc caro sic ligatam fuisse gaudens, cla-
 mat, vociferatur et dicit : « Cor meum et caro mea exulta-
 verunt in Deum vivum². »

XII. Viriliter ergo agite, fratres, et confortamini³ gestan-
 tes luminare in manibus vestris, scilicet mentis vestræ, donec
 ad lucem immarcescibilem perducamur precibus et meritis
 beatæ Virginis Mariæ, quæ non desistit salutem nostram
 procurare, donec impetraverit. Interpellet pro nobis apud
 Filium suum, ut « Det nobis jucunditatem cordis, et fieri
 » pacem in diebus nostris⁴ » in Israël per dies sempiternos,
 et auxilium in tribulatione, et intellectum in lectione, et
 præmium pro labore, Jesus Christus qui cum Patre et Spi-
 ritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

¹ Philip. 1, 23. — ² Psal. LXXXIII, 3. — ³ Deut. XXXI, 6. — ⁴ Eecli.
 IV, 25.

(1) Cod. sectare. — (2) Forte quod asperum.

SERMO XVII.

In Epiphania Domini I.

*De hoc sermone, qui legitur in Cod. Cass. XII, fol. 57,
 et in Bibl. Laur. Plut. XIV, cod. 1, fol. 64, hæc annotat
 in manuscripto exemplari P. Frangipane : « Sermonis
 » hujus partem quamvis Bandinius Bibl. Laur. tom. 1,
 » fol. 76, testetur extare in Combefisii homiliario tom. II,
 » fol. 30, attamen non reperi; ideo hic exemplavi. » Tam
 ridiculis autem in depingenda stella utitur concionator
 sententiis, necnon et in ipso orationis exordio, ut rhe-
 torem indoctum, non Augustinum hic agnoscere mani-
 festissime detur. Hinc non obstante cod. auctoritate, eum
 inter spurios ablegamus, correctis sæpius divinando
 mendis quæ ex omni parte sese produnt. Locus ejus in ap-
 pendice post sermonem appendicis Maurinensis CXXXIX,
 cum numero in Epiphania Domini X.*

SYNOPSIS.

I. Stellæ apparitio. II. Ejusdem surgentis inepta descriptio.
 III. Non fatum est, sed signum gloriæ Dei in nativitate ab-
 jecti. IV. Herodis timor et crudelitas. V. Deo in hac festivitate
 gratulandum. ®

I. Post miraculum virginei partus, quo uterus divino
 numine plenus, salvo pudoris signo, exinanitum (1) Deum

(1) Cod. i quo se uterus divino numine plenus, alvo pudoris exinaniens
 Deum, etc.

hominemque profudit, Deum scilicet quem susceperat, et hominem quem ex Deo auctore formaverat, Deam sine initio, hominem cum principio, mixta hominis licet persona cum Deo, tamen natura dividua (1), ut neque Trinitas excederet numerum, neque divina substantia incurreret detrimentum: post exonustam igitur sacræ religionis (2) aulam, consciam interni fœderis sine documento mariti, inter obscuras (3) cubiculi oppressi latebras, et durissimi præsepis angustias, in quibus infinita majestas membris contractionibus stabulabat; inter crepitantes nescios (4) querelæ ploratus, ac pios infantis tenerosque vagitus, dum pendet ad ubera, et vilia (5) patitur Deus involucla (6) pannorum, repente novum hodie de cœlo terris sidus effulsit (7), et totius mundi dissipata caligine, noctem convertit in diem, ne dies celaretur in nocte. Credat jam Deo omnis terra, quia ecce jam loquitur cœlum. Christus natus in terris, et positus in præsepio, hodie declaratur in cœlo (8). Non enim potest tantum nomen abscondi, quod vides sideris indicio publicari. Pastoribus Angeli, Magis stella demonstrat; utrisque loquitur lingua cœlorum, quia lingua cessaverat Prophetarum. Pastores Angelis (9) credunt, et annuntiant: Magi in cœlo aspiciunt, et adorant.

II. Sidus namque igneum (10) arsit, et frigidus gentiles accendit. Invenit Magus in nocte, quem Judæus erat perditurus in die. Fulgebant tunc per totum aëris orbem cre-

(1) Cod. XII *dividua*; desunt hæc omnia in cod. I, a voce *mixta*, usque ad *dividua*, et deinde habet *ne aut... aut*. — (2) Cod. XII *sacratæ regionis*, qui ante *exonustam*, et deinde *conscia*. Cod. I *sacræ religionis aulam consciam*. Forte *sanatæ virginis*. — (3) Deest vox *obscuras* in cod. I; debine *cubilis*, et *durissimas*. — (4) Sic cod. I; cod. XII *nesciæ*. — (5) Sic cod. I; cod. XII *viliam*. — (6) Sic cod. XII; cod. I *involuta*. Forte *involvera*. — (7) Sic cod. XII; cod. I *terræ sidus illuxit*. — (8) Sic cod. XII; cod. I *quia e cœlo loquitur Christus natus. Natus in angulo, hodie declaratur in cœlo, et deinde male natus enim pro non enim*. — (9) Cod. XII male *Angeli*. — (10) Idem *igneus*.

bris ictibus astra micantia, et pabulo (1) nigræ noctis stellarum ignes accensi, claris splendoribus radiabant. Lucebat picta nox floribus alienis, atque inter alta silentia cœlestes flammæ choris gemmantibus rutilabant (2). Tunc aurora circulos (3) Oceani per obscuram plagam orbita, secretior inequitabat. Tunc vapores igniferos contiguus (4) aquis et vasto gurgite temperabat. Tunc luna recedentibus astris (5) per mediam cœli semitam pulchris aurea motibus ibat, et iter suum radiis aperiens (6), lucentes campos placidis accessibus (7) honestabat. Dum ergo roseæ polum faces, et noctem fulgurantia astra decurrunt (8), tunc insolitum repente natura lumen extimuit (9). Pavet (10) subito stelliger axis; et astra tremula famulantur (11) ad cunas, quia, ne Deus in carne positus esset obscurus (12), servit cœlum, reddunt (13) et ipsa sidera testimonium. Surgebat igitur ab ima crepidine poli ingens fomite vasto globus, et vibrantes spargens (14) radios per inanes auras, anhelis cursibus (15) coruscabat. Texerant undique cœlum flammiflui apices per diversa porrecti, et rutilum jubar undantes flammæ habenis largioribus diffundebat. Ibat per apertum cœli sinum nova faces, et ignes suos longo micans umbone trahebat (16). Dant æthera locum, astraque minora recedunt. Rarescunt fulgore alieno stellarum ignes obtusi (17). Illa

(1) Sic cod. I; cod. XII *patulo*. — (2) Sic cod. XII; cod. I *cœlestis flamma, choris gemmantibus rutilabat*. — (3) Cod. I *circulus*. — (4) Id. male *continuis*. — (5) Sic cod. I; cod. XII *recedentibus antris*; et deinde non habet has voces *per mediam cœli semitam pulchris*. — (6) Sic cod. I; cod. XII *aperiens*. — (7) Sic cod. I; cod. XII *accessibus*. — (8) Sic cod. I, excepto quod *decernunt* habet pro *decurrunt*. Cod. XII *dum ergo roseam poli faciem noctis fulgurantia astra deterrent*. — (9) Sic cod. I; cod. XII *effulsit*. — (10) Sic cod. XII; cod. I *pavit*. — (11) Sic cod. I; cod. XII *tremulantur*. — (12) Sic cod. I; cod. XII *ac ne Deum in carne putes obscurum*. — (13) Sic cod. I; cod. XII *reddent*. — (14) Sic cod. I; cod. XII *spargendo*. — (15) Sic cod. XII; cod. I *pulsibus*. — (16) Sic cod. XII; cod. I *diffundebat per totum cœli sidus, nova face, sinus suos longo micans umbone trahebat*. — (17) Sic cod. I; cod. XII *obtusis*.

vadit (1). per ardua (2) perque superna findit grato stridore cœlum (3), et ut Christo plenum reddat (4) obsequium, temperat (5) gradum, donec Magos perducatur ad puerum, monstret (6) tectum, ingrediatur parvum supplex gentilis hospitium, confiteatur muneribus Deum hominemque permixtum, et ita adoret Regem nostrum, pannis, non purpura involutum (7).

III. Aspexit tunc Magus; obstupuit astrologus; putavere fatum (8), sed signum fuit. Num (9) vis certius id nosse? Obsequium præbuit, non imperium; adduxit supplices, ostendit hospitium. Radiavit amplissimo lumine (10), et tecta perludit nati, sicque discessit. Hoccine (11) est fatum dare, an servitium exhibere? O infantia cui et astra subduntur! Quis est iste in magnitudine supernæ gloriæ (12), ad cuius pannos et Angeli (13) excubant, et sidera obsecundant, et reges trepidant, et sectatores sapientiæ adgenuculant (14)? O beatum tugurium, o sedes Dei secunda post cœlum, ubi lucebat non lucerna, sed stella! O cœleste palatium, in quo habitat (15) non rex gemmatus, sed Deus incorporatus (16), cui erant pro mollibus thoris dura præsepia, pro laquearibus aureis fumea quidem (17) culminum tecta, sed sideris obsequio deaurata! Quærat (18) homo corpore circumscriptus ampla prætoria, et diversi coloris marmorum crystallinis laminis, atque fulgentis auri

(1) Sic cod. 1; cod. XII vidit. — (2) Sic cod. 1; cod. XII perque ardua. — (3) Sic cod. XII; cod. 1 cœli. — (4) Sic cod. 1; cod. XII et ut plenum Christo redderet. — (5) Sic cod. XII; cod. 1 temperabat. — (6) Sic cod. 1 et deinceps ingrediatur... confiteatur... adoret, ubi cod. XII habet ingrediatur... confiteatur... adorant. — (7) Hæc verba pannis, non purpura involutum desunt in cod. XII. — (8) Sic cod. 1; cod. XII factum. — (9) Sic cod. XII; cod. 1 nam. — (10) Sic cod. XII; cod. 1 numine. — (11) Sic cod. 1; cod. XII hoc inest. — (12) Sic cod. XII; cod. 1 cuius est iste magnitudinis supernæ gloriæ. — (13) Sic cod. 1; cod. XII non habet et. — (14) Sic cod. XII; cod. 1 geniculant. — (15) Sic cod. 1; cod. XII habitabat. — (16) Vide Serm. cxxxi append., num. 5. — (17) Deest quidem in cod. 1. — (18) Sic cod. 1; cod. XII quibus erat; cum quibus verbis nullus est sequentium sensus.

bracteis ædes pretiosas atque decoras exornet (1); delectatur Deus in lapide duro, cum vult succurrere mundo. Quis est iste talis ac tantus? O mundi natura, volo conferas mecum (2). Quis est iste, cui exhibes obsequium, et habet tam vilissimum tectum (3)? quis est iste qui præsepe vagitibus replet, et æthera nubibus torquet (4)? Responde mihi, oro te; dic mihi, cui exhibes laudem? nam jamdiu inquirat animus rationem (5). Stueo enim cum video pannos, et intueor cœlos. Æstuo, cum inspicio in præsepe mendicum, et super astra præclarum. Sed subveniat (6) nobis fides, quia ratio naturæ defecit (7). Quid igitur fides nostra respondeat, audiamus (8). Panni isti, vagitus et infantia, humani generis est (9) nativitas nova, quia interierat hominis peccato natura (10).

IV. Stellam vero fulgentem et Magos accurrentes merito expavescit Herodes (11), quia formidat successorem, dum non intelligit rerum omnium per sæcula (12) Salvatorem. Simulat ut adoret, quærit ut cruciet. Noli terreri (13), o senex subtilis; quem times in hoc mundo, regnum ejus non est de hoc mundo (14). Cur adorare te fingis inventum, quem vis necare repertum? Fidelis quære, devotus interroga, non fraudulentus, et sub eo regnabis perenni impe-

(1) Sic ex utroque cod. textum confecimus quorum XII habet et diversis coloribus marmorum crystallinis atque fulgentibus bracteis laminis ædes pretiosas atque decoras; cod. 1 autem et diversi coloris marmorum crustis atque fulgentis aurei bracteis ædes pretiosas atque decoras exornet. Vox exornet deest in cod. XII. — (2) Sic cod. XII; cod. 1 confer mecum. — (3) Sic cod. XII; cod. 1 et non habet tectum. — (4) Hoc ultimum sententiæ membrum deest in cod. 1. — (5) Sic cod. XII; cod. 1 ne diu inquirat animus rationem. — (6) Sic cod. 1; cod. XII subvenit. — (7) Sic cod. 1; cod. XII quia in ratione natura defecit. — (8) Sic cod. XII; cod. 1 quæ igitur fides verba respondeat, audiamus. — (9) Sic cod. 1; cod. XII non habet est. — (10) Sic cod. 1; cod. XII quæ in terris erat omni peccato contrita. — (11) Sic cod. XII; cod. 1 stella vero fulgens, et Magus accurrens regis est nativitas patens; merito, etc. — (12) Hæc verba per sæcula desunt in cod. 1. — (13) Sic cod. 1; cod. XII terrere; et ambo codd. sæve subtilis. — (14) Sic cod. XII; cod. 1 quem times, non est de hoc mundo regnum ejus.

rio sublimatus (1), ut homo tamen finem debitum habiturus. Tunc istum Herodem, sicut Evangelista testatur, matre gestante Jesus (2) fugerat in Ægyptum; putas-ne timore? absit. Audi magni mysterii sacramentum. Moyses aliquando in Ægypto perfidis clauserat diem. Illac Christus adveniens, « Seditibus in tenebris et umbra mortis¹, » reddidit clarissimam lucem. Fugit ut illuminaret, non fugit ut lateret. Fugit non formidine, sed pietate. Nam occultatur infans in Ægypto, et regnat sancta (5) majestas in cœlo. Exurgit (4) tamen aliquando de latibulis suis circumventa ferocitas. Jubet Herodes infantes occidi. Urgeter fit (5); factitatur (6) impii regis imperium, et, dum insequitur Christum, Regi nostro coævum procuravit exercitum, stolis victricibus candidatum. Infantes igitur eliduntur ad (7) saxa, et lacteos artus crudelis officina consumit (8). Secabat recentes (9) ab ubere partus transiens gladius, nec inveniebat ubi sæviret, quia non habebat in infantili corpore quod feriret. O crudelis gladiator, o conscia, o dira (10) magus! lactentes parvulos, carnifex, necas (11); quid faceres, si tales forsitan non haberes? Ecce fratres, occiduntur pro Christo qui loqui non possunt; ecce (12) accepit etas coronam, quæ necdum ipsam degustaverat vitam. Formare non poterant linguis palpitantibus verbum, et jam martyres proficiscebantur ad cœlum.

V. « Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis². » Hoc Angeli cum pastoribus, hoc nos

¹ Luc. 1, 79. — ² Id. 11, 14.

(1) Sic cod. 1; cod. XII *sub eo forsitan ad tempus regnabis*; sequentia leguntur in cod. XII, non autem in cod. 1. — (2) Deest *Jesus* in cod. 1. — (3) *Vox sancta* deest in cod. XII. — (4) Sic cod. XII; cod. 1 *exurgat*. — (5) Hæc verba desunt in cod. 1. — (6) Sic cod. XII; cod. 1 *fatigatur*. — (7) Sic cod. 1; cod. XII *in*. — (8) Sic cod. 1; cod. XII *consumpsit*. — (9) *Vox recentes* deest in cod. XII. — (10) Sic cod. 1; cod. XII *dura*. — (11) Sic cod. 1; cod. XII *necat*. — (12) Sic cod. 1; cod. XII *et*.

hodie cum sideribus concinamus, propter quos (1) descendit ad terram Dei Filius, ut nos secum super astra levaret post sepulera victores (2), Dominus noster Jesus Christus, qui cum Deo Patre vivit et regnat in unitate Spiritus sancti per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XVIII.

In Epiphania Domini II.

Sermo, qui sequitur, et qui educitur ex cod. XII, fol. 41, sed sine auctoris nomine, dictus videtur a barbaro quodam, et ab alio barbaro conscriptus; tanta sunt menda quæ sive in dicendi, sive in scribendi genere reperiuntur. Steti aliquantisper dubius, utrum illum stampis submitterem; sed in lucem demum emittere statui, ut ridiculae dictionis exemplum, unde videri possit, quo deducatur affectatio verborum et sententiarum. Locus ejus in appendice post sermonem præcedentem, cum numero in Epiphania Domini XI.

SYNOPSIS.

I. Diaboli lamentum perterriti. II. Herodis furor insanus. III. Innocentium cædes. IV. Herodis et Pauli absurda comparatio.

I. Cum ex divinis thesauris exhortationem mittentis, inefabilem Virginem prælegeret sapientia Dei Patris, ut Ga-

(1) Sic cod. 1; cod. XII *propter quod*. — (2) Sic cod. 1; cod. XII *post sepulera victurus*. Cætera desunt in cod. 1.

rio sublimatus (1), ut homo tamen finem debitum habiturus. Tunc istum Herodem, sicut Evangelista testatur, matre gestante Jesus (2) fugerat in Ægyptum; putas-ne timore? absit. Audi magni mysterii sacramentum. Moyses aliquando in Ægypto perfidis clauserat diem. Illac Christus adveniens, « Seditibus in tenebris et umbra mortis¹, » reddidit clarissimam lucem. Fugit ut illuminaret, non fugit ut lateret. Fugit non formidine, sed pietate. Nam occultatur infans in Ægypto, et regnat sancta (5) majestas in cœlo. Exurgit (4) tamen aliquando de latibulis suis circumventa ferocitas. Jubet Herodes infantes occidi. Urgeter fit (5); factitatur (6) impii regis imperium, et, dum insequitur Christum, Regi nostro coævum procuravit exercitum, stolis victricibus candidatum. Infantes igitur eliduntur ad (7) saxa, et lacteos artus crudelis officina consumit (8). Secabat recentes (9) ab ubere partus transiens gladius, nec inveniebat ubi sæviret, quia non habebat in infantili corpore quod feriret. O crudelis gladiator, o conscia, o dira (10) magus! lactentes parvulos, carnifex, necas (11); quid faceres, si tales forsitan non haberes? Ecce fratres, occiduntur pro Christo qui loqui non possunt; ecce (12) accepit etas coronam, quæ necdum ipsam degustaverat vitam. Formare non poterant linguis palpitantibus verbum, et jam martyres proficiscebantur ad cælum.

V. « Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis². » Hoc Angeli cum pastoribus, hoc nos

¹ Luc. 1, 79. — ² Id. 11, 14.

(1) Sic cod. 1; cod. XII *sub eo forsitan ad tempus regnabis*; sequentia leguntur in cod. XII, non autem in cod. 1. — (2) Deest *Jesus* in cod. 1. — (3) *Vox sancta* deest in cod. XII. — (4) Sic cod. XII; cod. 1 *exurgat*. — (5) Hæc verba desunt in cod. 1. — (6) Sic cod. XII; cod. 1 *fatigatur*. — (7) Sic cod. 1; cod. XII *in*. — (8) Sic cod. 1; cod. XII *consumpsit*. — (9) *Vox recentes* deest in cod. XII. — (10) Sic cod. 1; cod. XII *dura*. — (11) Sic cod. 1; cod. XII *necat*. — (12) Sic cod. 1; cod. XII *et*.

hodie cum sideribus concinamus, propter quos (1) descendit ad terram Dei Filius, ut nos secum super astra levaret post sepulera victores (2), Dominus noster Jesus Christus, qui cum Deo Patre vivit et regnat in unitate Spiritus sancti per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XVIII.

In Epiphania Domini II.

Sermo, qui sequitur, et qui educitur ex cod. XII, fol. 41, sed sine auctoris nomine, dictus videtur a barbaro quodam, et ab alio barbaro conscriptus; tanta sunt menda quæ sive in dicendi, sive in scribendi genere reperiuntur. Steti aliquantisper dubius, utrum illum stampis submitterem; sed in lucem demum emittere statui, ut ridiculae dictionis exemplum, unde videri possit, quo deducatur affectatio verborum et sententiarum. Locus ejus in appendice post sermonem præcedentem, cum numero in Epiphania Domini XI.

SYNOPSIS.

I. Diaboli lamentum perterriti. II. Herodis furor insanus. III. Innocentium cædes. IV. Herodis et Pauli absurda comparatio.

I. Cum ex divinis thesauris exhortationem mittentis, inefabilem Virginem prælegeret sapientia Dei Patris, ut Ga-

(1) Sic cod. 1; cod. XII *propter quod*. — (2) Sic cod. 1; cod. XII *post sepulera victurus*. Cætera desunt in cod. 1.

briele vera canente, interna Mariæ pectora complerentur, dum Virgo Mater supernum genuisset Medicum, ille nefandus, strepitanti ruina superbis, tetraque umbra in se omnis perfusus, vidit stellam, et Magos Regem inquirentes natum intuens (1) cum omni insolentia hæsitatus, judicem se damnaturum cognoscens in sæculo fuisse natum, contremuit. Dum cerno Magorum obvenisse studium venerandum, heu me! quid æmulum non minimum in meam sortitus sum ruinam (2)? Heu me! appenso interim, mei pectoris formidine, quod excelsa proles Ingeniti insignem suam nativitate sidere splendente demonstrat. Quid ergo agam? Curram per aëra, ut usque cœlos properanter (3) accedam? Non valeo, quia iste qui mundi aggressus est limina, meam venit insanire (4) versutiam, ut præcipitem me submergat in profunda, sicut et antea me captivans demersit præcipitem in deserta. Qualiter nunc meæ parcam illusioni, qui nec in supernis aliquid possideo refugium; insuper autem aporiare me venit, et expellere de terræ solatio. Si enim audacis (5) meæ contumacitatis nunc quispiam persolveret (6) pretium, ista non valeo belliger (7) adversus eum, sed quantum quod valeo præstem, meis viribus non (8) possem, ut iste qui me fefellit (9) genitus ex Virgine, nunc dispereat ab Herode?

II. Cum hæc percurreret inimicus in suæ mentis stadium, mox stimulat Herodem (10) in suis fieri iniquitatibus socium, ut contra inermem belliger dilataret spinosum sui pectoris campum, in quo ætas perneicaretur infantiam. Sic enim Matthæi evangelistæ nostri præsens lectio recitata est: «Videns, inquit, Herodes quia delusus est a Magis, vocavit Scribas (11), et inquisivit ab eis quo tempore Christus

(1) Cod. absque ratione et sensu *etebens*. — (2) Cod. *in meum sortitus sum animum*. — (3) Cod. *properantes*. — (4) Verbum durissimum, quo hic utitur scriptor in sensu activo; *insanire*, id est, *reddere insanam*. — (5) Cod. *audacem*. — (6) Id. *persolvere*. — (7) Id. *belligera*. — (8) Deest non in eod. — (9) Cod. *falluit*. — (10) Id. *simul ab Herode*. — (11) Hic textus absurde citatur, et omnia confundit scriptor, posteriora ponens ante priora.

nascetur¹.» Ubi autem cognoverunt Scribæ, quanta a veteribus de virgine sine viro (1) matre conscripta forent (2) in sanctæ Legis serie, dixerunt: «In Bethlechem » Judæ: et tu Bethlechem, domus Ephrata, non es minima » inter filios Juda; ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israël².» O Herodis (3) demens furia mentis! audit (4) monitum Legis, quod rector populorum Israël, mundum redempturus, terram exiet provectorus, et rutilantibus furiis, armat barbaros ponderositate fraxini (5), ut stridula hasta confecto bello, ætas tenuis necaretur inermis, in quibus Rex superasse demonstraretur invisibilis, qui in cauto (6) præsepî, sub spileis antris, vilissimis fuit conceptus cunabulis; cujus evictæ (7) pravitate Herodis insultans clamabat Paraclytus per Prophetam, quod et omnis pariter hodie decantavit Ecclesia: «Quid gloriaris in » malitia (8), qui potens es? in iniquitate tota die injustitiam cogitavit lingua tua³.» O Herodes, si unius regis nativitas tuos conterruit (9) motus, cur innocentes necasti multitudines, ut agnos decerpens rabidus pardus? Magorum stella perterritus, omnino (10) comprobaris evictus, quia salus in gentibus, Unigenitus natus est filius, per quem natus est mundus.

III. Molles, ut dictum est, congregavit parvulos ab uberibus matrum abstractos, quos sine pietate immaniter (11) propriis a patribus fecit esse jugulatos. Mittuntur per innumeras urbes barbari milites (12), inflexa pietate parentes (13); et illustrium matrum fœtus jugulantes (14), nec muneribus conquiescebant, ne (15) nocerent, neque preci-

¹ Matth. ii, 3, 4. — ² Ibid. 5, 6. — ³ Psal. xi, 3, 4.

(1) Cod. addit *a*. — (2) Cod. *florent*. — (3) Id. *Herodes*. — (4) Id. *audi*. — (5) Id. *sarcinis*. — (6) Id. *incauto*. — (7) Id. *evicta in pravitate*. — (8) Eadem versio reperitur in Psal. xi, num. 8. — (9) Cod. *contremuit*. — (10) Id. *omnis*. — (11) Id. *sine qui es tormentorum*. — (12) Id. *veredes*. — (13) Id. *paventes*. — (14) Cod. absurde *affectos ugguillantes*. Forte legi posset *affectus sugguillantes*. — (15) Cod. *dum*.

bus mitigabantur (1), ut quiescerent, sed possessi mortifera esurie (2), saginabantur de infantum nece. In sua satisfactione congemebant viscera, quod nullis parvulis mullum lactis stillabant ubera matris. Congemebat (3) in matribus pietas desolata, dum perfidi (4) milites jugulabant parvulos, confixa in tenuia membra vibrarum (5) hasta; cumque multarum matrum fetus (6) subtracto ense perisset, quaedam nuper connexa conjugio, desolata, unicum a suo pectore raptum videns a barbaro cruciari, pro quo minime (7) poterat consolari, condolens scurrilitati Herodis quasi dicit: O Herodes, si ex virgine quæris natum (8), cur mihi pristinum revocasti gemitum, quæ (9) maritale congaudeo solatium. «Sicut novacula acuta fecisti dolum¹.» Meus filius Cæsarem insanire (10) nescivit, et in sæculari malitia defecit. Machæræ colla submisit (11), qui nec dexteram, nec sinistram esse scivit (12).

IV. O Herodes, Paulus hodie (13) ipsum Dominum esse in via Damasci cognovit, et tua (14) versutia jugulandi parvulos nullam terminum ignoravit. Squamis cadentibus, doctrinæ verba in gentibus visus est diffundere, et Herodes parvulos, quos nec cognovit (15) visus est prosternere. De ipsis Paulus in epistola visus est proclamare: «Ecce ego et infantes, quos mihi dedisti²» mecum exultant de victoria Christi, gratias agentes Deo Patri in sancto Spiritu. Amen.

¹ Psal. LI, 4. — ² Hebr. II, 13.

(1) Cod. *fundis saginabantur*. — (2) Id. *mortiferam esuriam*. — (3) Id. *congemebant*. — (4) Id. *pietas absentata in eodem, persici milites*. — (5) Sic barbare cod., nisi legas *vibrata*. — (6) Cod. *affectus*. — (7) Deest minime in cod. — (8) Cod. *si virginem quæris et natum*. — (9) Id. *qui nec*. — (10) *Insanire ut supra*; barbara locutio, pro *irritare, offendere, stimulare ad furorem*. — (11) Cod. *submersit*. — (12) Id. *nescivit*. — (13) Comparatio absurdissima. — (14) Cod. *sua*. — (15) In cod. deest *cognovit*.

SERMO XIX.

In Epiphania Domini III.

Sermo iste in appendicem rejicitur, cum propter codicis infirmiore auctoritatem, tum propter fabulas insertas de muliereculis ab Herode interrogatis. Cod. autem eæ quo educitur est cod. x Bibl. Ædit., fol. 7. Ponatur hic sermo post sermonem præcedentem cum numero in Epiphania Domini XII.

SYNOPSIS.

I. Tres Christi ostensiones. II. Prima stellæ ad Magos missæ. III. Secunda baptismi a Joanne collati. IV. Tertia mutationis aquæ in vinum. V. In tribus divinitas Christi ostenditur. VI. Mysterium primæ ostensionis. VII. Mysterium secundæ. VIII. Mysterium tertiæ. IX. Epilogus.

I. Cum creator omnium, fratres charissimi, formam servi pro servis accipiens latenter in mundum venisset, voluit se hodie tribus indicis hominibus demonstrare. Hodie enim a Magis adoratus est; hodie a Joanne in Jordane baptizatus est; hodie in nuptiis mutatione aquæ in vinum glorificatus est. Prima enim manifestatio facta est in primo anno suæ nativitatis, secunda in trigesimo, tertia sequenti anno post trigesimum; et tamen divina dispensatione, tres manifestationes eadem die diversis evenerunt temporibus.

II. Sed modo de prima agendum est; voluit enim Do-

minus ostensione (1) novæ stellæ tribus Magis in Chaldæa positis suam nativatem ostendere; cumque essent periti astrorum, et novam stellam apparere viderent, experientia artis natum novum Regem intelligunt. Sed quia quidam Propheta ante multis annis apud eos, scilicet Balaam, prædixerat: « Orietur stella ex Jacob¹; » ideo cum hanc stellam mirabilem nec ulli comparabilem conspicerent, statim illum de quo Propheta prædixerat natum esse crediderunt. Veniunt ergo statim Dei ductione Hierosolymam, camelis auro, thure et myrrha oneratis, per se quilibet hæc tria ducens, et ad Herodem regem cum gaudio divertunt, credentes invenire quod diu postulaverant; et de puero ibi (2) quærentibus disparuit eis stella. Cumque Herodes hoc audisset, in corde nequiter turbatus est, et omnes qui secum aderant. Tunc Herodes vocat Scribas, et interrogat Prophetas, postulat Messiam (3), applandet mulierculis incantantibus, promittens eis dona, si scirent ubi Rex nascatur (4); præcones per vias hoc clamabant; Scribæ legunt, Messiam (5) promittunt; sed mulierculæ incantantes veritatem non asserunt, quæ omni veritate in talibus carent. Tandem Scribæ dicunt nasciturum esse Regem in Bethlehem; cumque Herodes alienigena esset, et regnum Judæorum ex (6) dono Romanorum injuste possideret, vehementer dolet; mori dum cupit, suspendi jam præcipit (7), requiem invenire non potest, solatium amicorum non curat recipere. Tandem regnum timens amittere, puerum quærit occidere. Non audet tamen cum Magis (8) exire ad querendum puerum, ne parentes puerum occultarent, aut (9) dum exiret, parentes pueri Hierosolymam intrarent, et pro puero nato ipsam civitatem conservarent. Quid igitur fecit proditor?

¹ Num. xxiv, 17.

(1) Cod. *ostensionem*. — (2) Id. *sibi*. — (3) Id. *Messias*. — (4) Fabula videtur esse hæc mulierum consultatio, necnon et reliqua. — (5) Cod. *Messia*. — (6) Id. *in*. — (7) Hæc inepte dicta videntur. — (8) Cod. *magnis*. — (9) Id. *ut*.

Serena facie, verbo jucundo, manibus donis plenis ad Magos exivit, ut invento puero, renuntiarent, dicens velle eum adorare. Descendunt igitur Magi et vident stellam, lætantur, et, ea prævia, veniunt Bethlehem, et intrantes domum post stellam (1), quæ fixa non erat in cælo, sed in aëre pendeat, « Invenerunt puerum cum Maria matre » ejus, et procidentes adoraverunt eum², videntes faciem pueri et matris immensa claritate fulgere, et apertis thesauris suis, offerunt aurum regi, thura Deo, myrrham³ vere sacerdoti mortali, et deosculatis pedibus et manibus Jesu, quæ cælum et terram formaverunt, « Responsum acceperunt, ne redirent ad Herodem, et per aliam viam » reversi sunt in regionem suam⁴. » Ecce prima apparitio Christi, fratres charissimi.

III. In trigesimo secundo anno venit Jesus ad Joannem, venit Dominus ad servum, venit Magister ad discipulum, venit Creator ad creaturam, venit Jesus ad Joannem, qui baptizat non in remissionem peccatorum, sed in præparationem baptismatis Christi; cumque aquæ prius corpora abluerent tantum, eas voluit sanctificare, ut potestatem mundandi animas haberent. Venit ergo immunis a peccato, et baptizari petit, ut aquas sanctificet, et exemplum suis donet (2); « Eoque baptizato, aperti sunt cæli, et vidit Spiritum sanctum in specie columbæ descendentem super » eum, » et vox Patris intonuit: « Hic est filius meus dilectus in quo mihi bene complacui⁵. »

IV. In sequenti vero anno invitatus est ad nuptias, et accessit cum Maria matre sua, et aquam mutavit in vinum, et « Hic fuit initium miraculorum quæ fecit Jesus⁶. » Nos autem, si vinum facimus, vocemus Jesum, invocemus Mariam et Discipulos. Quid per Jesum, nisi Salvatorem, qui in cunctis invocandus est, ut in cunctis agendis et pa-

¹ Matth. ii, 11. — ² Ibid. — ³ Ibid. 12. — ⁴ Id. iii, 17. — ⁵ Joan. ii, 11.

(1) Cod. *post stellam domum*. — (2) Id. *donaret*.

tiendis nos liberet? Quid per Mariam, nisi matrem quæ in cunctis nostris operibus habere debemus, vel mortis amaritudinem (1)? Quid per Discipulos, nisi pauperes intelligere debemus, fratres, quos (2) semper ad mensam nostram secundum possibilitatem nostram tenere debemus? Sic et Zacchæus Christo placere cupiens fecit; sic Maria et Martha facere didicerunt; sic Lot et Abraham Angelos compulerunt; sic Salvator Discipulos suos facere iussit. Duæ enim sunt nuptiæ, fratres, ad quas invitari et introduci semper compellimur. Ait enim Christus: « Venite ad nuptias¹, » et replete mensas Patris mei; nec vocem audimus. Clamat et rugit Leo: Venite ad nuptias mortis et (3) inferni, et omnes currunt post eum. Omnes tamen dæmones de inferno te minime compellere possunt ad peccandum, nec ad nuptias suas intrandum, nisi primo tu ipse consenseris. Nam piscator non potest piscem compellere venire ad escam, nec auceps avem, sed escam demonstrando invitat, ille (4) consentit accedere, et accedendo capitur, et captus (5) occiditur. Sic et tu, peccator, vides (6) escam a diabolo præparatam, te ad ipsam invitat, et invitatus (7) accedis, et accedendo gustare incipis, et quia dulce tibi apparet, comedis, et comedendo caperis, et captus eum diabolo invitatus ad nuptias ad infernum accedis.

V. Ad priora quæ dicere cœpimus, fratres, redeamus. In his tribus iudiciis manifestavit se mundo Christus (8), et in omnibus Deus apparuit. In primo adoratur a Magis ut Deus; in secundo voce Patris Filius asseritur; in tertio divina potentia per primum miraculum declaratur. Et sic audistis trium apparitionum historiam; videamus et nunc quid mysterii.

¹ Matth. xxii, 4.

(1) Sic cod., qui forte latens habet aliquod mendam. — (2) Cod. male quod. — (3) Deest et in cod. — (4) Hæc duo verba *invitat ille* addidimus, sensus necessitate compulsi. — (5) Cod. male *capto*. — (6) Cod. *videns*. — (7) Cod. *invitando*. — (8) Deest vox *Christus* in cod.

VI. Ideo, fratres, stella apparuit, quia lumen esse in tenebris exortum¹ populis significabat; de quo dicitur: « Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem²; » ideo apparuit gentibus, quia a gentibus (1) prænuntiabat lucem Filii Dei receptam: « Populus enim qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam³. » O magnum et admirabile sacramentum! O inaudita Salvatoris astutia! In Bethlehem nasci voluit, quia domus panis interpretatur, et in ea natus est, et in Jerusalem civitate populosa mori voluit. Ideo, o fidelis, aspice Salvatorem mundi gloriam non quærere. Sed magister humilitatis, de parentibus pauperibus in humili loco et in vili præsepio pro nobis dignatus est nasci, moriturus vero urbem populosam et gloriosam sibi elegit, ut in conspectu omnium nationum ibi habitantium, majori opprobrio pro nobis mortem suscipere posset. Ecce quantum te amavit Deus tuus. Dum autem Magi divertunt ad Herodem, stellam ducem amittunt. Quid per Herodem, fratres, nisi diabolum, ad quem divertentes, amisso Christi lumine, excæcantur? Non ergo divertamus ad Herodem, sed per aliam viam revertamur, ut verum lumen, quod amiseramus, recipere mereamur. Domus enim in qua Christus erat, Ecclesiam significat. Qui vero Christum invenire cupiunt, in Ecclesia eum invenire poterunt. Non in taberna, non in foro, non in platea Christus inveniri potest, sed in Ecclesia. Ibi eum Magi fideles adorant; ibi credunt; ibi colunt; ibi aurum, thus et myrrham offerunt; ibi Mariam piissimam conspiciunt; ibi Joseph justum advertunt; ibi bovem et asinum, animalia mansuetissima, contemplari Christum aspiciunt. O homo, accede ad Ecclesiam, ubi tot bona invenies, et ibidem hæc tria offerre non turberis. Offeramus ergo Christo myrrham, ut peccatorum vermes in te extinguantur. Myrrha corpora mortuorum unguantur, ne putrescant. Offeras etiam thus

¹ Psal. cxi, 4. — ² Joan. i, 9. — ³ Matth. iv, 16.

(1) Cod. *gentem*.

orando, ut dicere possis: «Dirigatur, Domine, oratio mea, » sicut incensum in conspectu tuo¹. » Offeras etiam aurum charitatis; nam sicut inter metalla omnia aurum prævalet, sic et charitas super omnes virtutes ascendit; ipsa est enim plenitudo Legis. Hæc autem tria nobis omnino necessaria, fratres, sunt, videlicet pœnitentia, quæ per myrrham designatur; oratio, quæ per thus declaratur; charitas, quod per aurum figuratur (1).

VII. In secunda vero manifestatione ostenduntur nobis sacramenta salutis. Voluit enim dum baptizaretur ostendere quid baptizatis conferret. Nam quando aliquis in baptismo regeneratur, ibi tota Trinitas operatur. Unde tota Trinitas ostensa est, quando Christus baptizatus est. Filius in Christo, Spiritus sanctus in columba, Pater in voce se revelavit. Spiritus sanctus in columba de cœlo (2) apparuit, quia columba avis simplicitatis est: per hanc autem avem simplicitatem voluit significare, quam Deus confert baptizatis. Quod Pater dixit: «Hic est Filius meus dilectus, etc.², » ideo attendite quod baptizati sunt filii Dei, qui prius per peccatum non erant, nec sibi placebant, qui modo incipiunt Deo per gratiam placere. Quia etiam cœli aperti sunt, significat cœlum baptizatis aperiri, quod prius per peccatum clausum erat.

VIII. Nuptiæ ergo in quibus tertio se manifestavit, quid aliud quam Christi copulationem Ecclesiæ significat, quibus aqua mutatur in vinum, dum antiqua lex conversa est in Evangelium? Lex enim antiqua aquæ comparatur, quia subjectos ad amorem Dei non inflamat: Evangelium vero vino comparatur, quia Fideles per inspirationem sancti Spiritus facit fervere in Dei amore.

IX. Tantis ergo et talibus sacramentis hæc dies, fratres charissimi, est sacrata. Et quodammodo major est festivitas, quam Nativitatis solemnitas. In hac autem habuit

¹ Psal. cxi, 2. — ² Matth. iii, 17.

(1) Cod. male aurum, quod per charitatem figuratur. — (2) Cod. Deo.

initium baptismum, quod est regeneratio animarum; sed in hac, aqua effecta est mater multorum populorum. Prima nativitas est carnalis, secunda autem spiritualis. Sicut enim anima dignior est, quam caro, sic et nativitas animæ dignior est quam nativitas carnis. In prima Christus ingressus est mundum, sed per secundam ingressum habemus ad cœlum. Quoniam hæc tria sub tali ordine una die convenerunt opportune, stella ducens ad Christum, baptismatis sacramentum, et mutatio aquæ in vinum, in isto ordine instructio vitæ nostræ apparet. Dum enim quis convertitur ad fidem, stella fidei ducit eum ad Christum; deinde postquam conductus est (1), accedit ad sacramentum baptismatis; postea (2) vero potatur et reficitur, dum perfectus est per evangelicæ doctrinæ poculum; quoniam ne deficient in via siti, paratur quotidie potus prædicationis peregrinantibus. Igitur, dilectissimi, hæc solemnitas tot mysteriis plena summa devotione celebranda est, quoniam hodie gaudetis de nativitate vestra, quæ hodie in baptismo sumpsit exordium. Hodie gaudetis de conversione Gentium, quoniam primitiæ in hac die accesserunt ad Christum. Suscipite, obsecro, ad mensas vestras Christum, qui gentes alienas hodie suscipit, et forenses ad eum venientes, quia in paupere Christus suscipitur, in paupere vestitur. Nam si pauperes in mundo recipietis, et ipsi vos recipient in cœlo, «Quoniam ipsorum est regnum cœlorum¹. » Facite vobis amicos, non divites, sed pauperes; non nobiles, sed ignobiles; non sapientes, sed infirmos, ut fortia confundatis². Christus enim pauper fuit, pauperes dilexit, pauperes elegit et pauperibus spiritu regnum suum donavit. Dominus ipse qui propter nos hæc omnia operatus est, qui etiam de cœlo descendere voluit, det nobis per incrementa virtutum ad cœlestia pervenire, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

¹ Matth. v, 3. — ² 1 Cor. i, 28.

(1) Cod. constructus est. — (2) Id. persona.

SERMO XX.

In Epiphania Domini IV.

Rejicitur in appendicem hic sermo, qui eruitur ex Bibl. Aedit. cod. x, fol. 8, ob easdem rationes ac ii qui ræcedunt. Locus ejus post præcedentem cum numero in Epiphania Domini XIII.

SYNOPSIS.

I. Christus votis omnium expetitus. II. Eo veniente, sileant Prophete. III. Venit Christus, Deus et homo. IV. Triplex ejus manifestatio. V. Oratio ad Christum.

I. HODIERNA die, fratres charissimi, « Apparuit humanitas et benignitas Jesu Christi Salvatoris nostri¹; » gaudeamus. Hodie stella Magos duxit ad præsepium; exultemus. Hodie per totum mundum melliflui facti sunt cæli, et pax vera et justitia revelatur; lætemur. Hodie qui sedebat super Cherubim, apparuit coram (1) Ephraïm, Benjamin et Manasse; cantemus et dicamus Alleluia. Nam istum eximium (2) Prophetarum, qui hactenus dicebat: « Expecta, reexpecta², » obmutescere jam videmus. Ille qui clamabat: « Si moram fecerit, expecta eum, quia veniet³, » non comparet. Si cytharista noster, longa expectatione saligatus, lacrymando dicebat: « Tu, Deus pater, repulisti, et distulisti Christum tuum⁴; » quid ille urbanæ eloquentiæ Isaias

¹ Tit. III, 4. — ² Isai, XXVIII, 12, 13. — ³ Habac. II, 3. — ⁴ Psal. LXXXVIII, 39.

(1) Cod. *Coraim*. — (2) Id. *iste eximius*,

dixerit? indignatus clamat: « O utinam disrumperes cælos, » et descenderes¹. » Et item cytharista noster de optativo in imperativum (1) convertens, ait: « Inclina cælos tuos, » Deus, et descende². » In hunc modum totus ille conventus Prophetarum Christum de Maria Virgine expectando, quandoque optando, nunc imperando, nunc conquerendo, nunc indignando, lacrymando, vociferando, jejunando, sermones ad Patrem mittebant.

II. Tandem ecce jam venit expectatus a cunctis Gentibus; ecce jam venit temporis plenitudo; ecce jam in gremio Mariæ sedet; ecce hodie jam demonstratur qui inter bovem et asinum collocatur; et ideo hodie clauduntur ora Prophetarum; ecce datum est promissum, et impositum est promittentibus silentium. Sileas, o Moyses legislator, qui linguam impeditam habere dicebaris³. Obmutesce, o Isaias, qui labia polluta fatebaris⁴. Sileas, o Jeremias, qui puer esse dicebaris⁵. Obmutesce, o Ezechiel qui polluto pane vescebaris⁶. Sileas, o Daniel, qui post visiones infirmaris⁷. Sileat Osee, qui fornicariam duxit uxorem⁸. Sileat Amos, quia jam Propheta non est, sed simplex pastor⁹. Sola vox illa jucunditatis in auribus meis audiatur; sola vox illa tubatica audiatur; solus vas electionis anscultetur; solus præco præconum intelligatur; « Apparuit benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei¹⁰. »

III. Ecce ergo, fratres, nobis hodie Salvator noster apparuit, veniens non tantum cum vino et oleo, sed etiam in purpura et sacco Christus quidem Deus et homo. Nam quædam facere voluit, in quibus verus homo apparebat, quasi more histrionum ludens (2), et in varias species

¹ Isai. XLIV, 1. — ² Psal. CXLIII, 5. — ³ Exod. IV, 10. — ⁴ Isai. VI, 5. — ⁵ Jerem. I, 6. — ⁶ Ezech. IV, 12. — ⁷ Dan. X, 16. — ⁸ Osee. I, 2, etc. — ⁹ Amos. I, 1. — ¹⁰ Tit. III, 4.

(1) Cod. *optativa... imperativam*. — (2) Hæc comparatio parum digna videtur, quæ accommodetur Domino, qui semper histriones per Ecclesiam suam detestatus est.

se alternatim transformans. De quo Iudo dicebat Sapien-
tia : « Delectabatur per singulos dies ludens coram ipso in
» orbe terrarum ¹. » Die siquidem nativitatis apparuit homo
flens in cunabulis; sed hodie Deus adoratur, dum Patris
vox super eum intonat : « Hic est Filius meus ²; » dum ex
aqua factum est vinum ad nuptias. Dicamus ergo Salvatori
nostro Christo : O Domine, in tua nativitate « Inventus es
» ut homo ³, paulo minor effectus es ab Angelis ⁴; » sed
hodie sedens super Cherubim, Dominus Angelorum ap-
paruisti « Coram Ephraim, Benjamin, et Manasse ⁵. » Ac
si diceremus, fratres : Domine, jam vidimus te in præse-
pio reclinatum, pannis involutum, vagientem inter ani-
malia. Numquid (1) te non sic vidit Maria porta Paradisi?
numquid non sic Joseph? numquid non sic pastores?

IV. Et nunc tredecim dies sunt, quod hæc omnia facta
sunt; sed hodie apparuit aliter qui sedet super Cherubim⁶;
nam tripliciter hodie nobis apparuit, non tamen eadem
die, nisi secundum temporalem revolutionem. Nam decimo
tertio die a nativitate apparuit Regibus Gentium, stella
ducente supra ubi (2) erat puer ⁷, et statim hæc videntes,
oneratis camelis auro, thure et myrrha, ad Christum ve-
nerunt, et sic apparuit Ephraim, Baldassar scilicet primo
regi, Benjamin secundo regi, Manasse tertio regi, et sic
copulatur Gentilitas, quæ erat elongata. Trigesimo vero
anno, eadem die apparuit Joanni Baptistæ et turbis quæ ad
Joannem venerant. Sequenti anno eadem die apparuit Matri
et Discipulis ejus in mutatione aquæ in vinum; et per has
tres apparitiones significantur tres Personæ, quæ hinc no-
minantur, scilicet Ephraim, Benjamin, et Manasse; sed
si ordine retrogrado isti tres proferantur, diem sequemur (3)
historiæ. Dicamus ergo apparere coram Manasse, Benjamin

¹ Prov. viii, 30, 31. — ² Matth. iii, 17. — ³ Philip. ii, 7. — ⁴ Hebr.
ii, 7. — ⁵ Psal. lxxxix, 2. — ⁶ Id. xcvi, 1. — ⁷ Matth. ii, 9.

(1) Cod. *nunc*; deest *non* in cod. — (2) Cod. *super qua*. — (3) Id.
sequamur.

et Ephraim. Nam Manasses oblivio : isti sunt Gentiles,
obliti Dei, de quibus dicitur : « Reminiscantur et conver-
tentur ad Dominum ¹. » Benjamin Filius dextræ interpreta-
tur : iste Jesus Benjamin a Matre fuit vocatus, id est Fi-
lius doloris; nam præ dolore mater Benjamin in partu
Benjamin mortua est; et Maria fere mortua fuit in passione
Fili. Ephraim autem fructificatio interpretatur : isti sunt
Christi Discipuli, coram quibus in miraculo nuptiarum ap-
paruit. Vel sic in novissimo die apparebit coram Ephraim,
Benjamin et Manasse, hoc est coram judicantibus, judi-
candis et judicatis. Apparuit ergo Dominus cunctis, et ve-
nit Samaritanus ille ad medicandum nos, secum portans
vinum correptionis et oleum miserationis.

V. Tu ergo, « Deus Deorum, qui sedes super Cheru-
» bim ², » scientiæ plenitudine perfectus venire digneris, et
apparere nobis non differas, dando singulis, dando uni-
versis, dando cunctis tuam plenitudinem unguentorum,
quod descendat de barba usque in oram vestimenti ³. Ap-
parere, o serene Jesu, digneris illis tribus viris, quos vidit
Ezechiel salvandos, scilicet Noë, Daniel et Job ⁴. Festina,
et noli tardare apparere Ephraim, scilicet activis, qui tuo
amore inflammati, te duce, fructus misericordiæ faciunt :
festina, Domine, apparere coram Benjamin, id est (1),
prælati, quibus potestatem ligandi et solvendi tradidisti :
festina, Domine, visitare Manasse, id est, contemplativos,
ut cognoscant latitudinem, longitudinem, altitudinem et
profundum scientiæ tuæ charitatis ⁵. Quid enim, fratres,
intelligo per latitudinem, nisi opera charitatis? quid per
longitudinem, nisi perseverantiam usque in finem? quid per
altitudinem, nisi spem divinæ patriæ? quid per profundum,
nisi inscrutabilia opera Dei? Veni, Domine, visitare nos
in pace. Visita activos, inebria contemplativos, et rege

¹ Psal. xxi, 28. — ² Id. lxxxix, 2. — ³ Id. cxxxii, 2, 3. — ⁴ Ezech.
xiv, 14. — ⁵ Ephes. iii, 18, 19.

(1) Cod. *in*.

quibus regere præcepisti. Sane scimus, Domine, quia hodie apparuisti puer parvus, quem adhuc speramuste videre omni magnitudine circumdatum. Tunc, Domine « Memento mei, cum (1) veneris in regnum tuum¹, » ut non cum hædis, sed cum ovibus ad dexteram tuam nos collocare digneris. Amen.

SERMO XXI.

In Epiphania Domini V.

Hic sermo, qui educitur ex Cod. Cass. cv1, fol. 31 a tergo, hinc nomen habet sancti Augustini. Sed a Bandinio tribuitur anonymo Bibl. Laur. Suppl. tom. 1, fol. 619, nec immerito, cum nihil habeat, quod beati Doctoris sapiat ingenium. Ponatur ergo in appendicem post sermonem præcedentem cum numero in Epiphania Domini xiv.

SYNOPSIS.

I. Bethlehem civitatis felicitas. II. Herodis furor. III. Cædis infantium ridicula descriptio. IV. Magorum munera.

I. AUDIVIT nobiscum Charitas vestra Evangelistam dicentem: « Cum natus esset Jesus in Bethlehem Judæ in diebus Herodis regis, ecce Magi veniunt ab Oriente Jerusalem dicentes: Ubi est, qui natus est, Rex Judæorum? Vidimus enim stellam ejus in Oriente, et venimus adorare eum². » Felix illa civitas, fratres charissimi, cui civis natus est Deus, quæ singulare meritum ante adventum Salvatoris accipiens, primum laudari meruit per Prophetam, quam disceret quem sumebat (2). « Felix civitas

¹ Luc. xxiii, 42. — ² Matth. ii, 1, 2.

(1) Cod. dum. — (2) Id. sumebant.

» Bethlehem, quæ non es minima in principibus Juda. Ex te enim, inquit, prodiet Rex, qui regat populum meum » Israël¹. » Quid agit Judæorum cæcitas mentium, qui adventum Salvatoris nec intelligere meruerunt, nec noscere? Impletum est cunctorum Prophetarum responsum; Salvatorem nostrum prodidit cælum. Quando enim latere potuerat, quem Deus ante prædixerat? Bethlehem civitas de astriferis, patriæ civem et novum incolam, grande meritum sumpsit, quia non potest finire, quod meruit.

II. Sed postquam partus ille, cælesti signo monstrante, repertus est visusque Magis, Judæos (1) veneranda turbavit infantia. Nihil ibi omnino contemptibile in illis vagitibus fuit, quia humanus servus Dei aspexit præsentiam. Sed posteaquam probarunt (2) ipsius sideris fidem, fallentes Magi regale præceptum, exterarum nationes tenuerunt. Herodis regis vitantes aspectum, noluerunt monstrare penitus, quod timebat; majorem enim stimulum sentit, cui non ostenditur, quod veretur. Sed cum sollicitus rex, transacto tempore veniendi, fallentes Magos cognosceret, atque ejus animum incognitus infantis aspectus diversis motibus dissiparet, hoc providit crudelitate consilii, ut ad invenendam successoris infantiam, occidendo quæreret, quod latebat, sicut scriptum est: « Cum vidisset rex, quia delusus » esset a Magis, iratus vehementer, misit ut occiderentur » omnes infantes in Bethlehem et in omnes terminos ejus, » a bimatu et infra². » Felix erat in illis parvulis moriendi conditio, qui pro Christo quærebantur pati. Furens regis vesana sævitia morientibus profuit, qui dum successorem suum diligenti crudelitate perquirat, dignos martyres fecit iratus (3). Nam Herodem istum tantum rabidus sensus furoris facibus erigebat, quantum amor dulcis potestatis accenderat. Carnifices suos ad inquirendum mittit infantem, quasi quidem posset invenire cum vellet.

¹ Mich. v, 2. — ² Matth. ii, 16.

(1) Cod. magicos. — (2) Id. probant. — (3) Id. iratos.

III. Pergunt in civitatem ministri regis, crudele portantes imperium, et dirum præceptum portantes in gladiis, ad matres lacrymantes festinabant. Infantile bellum in domibus gerebatur, et sola secum pugnante sævitia, orbitatis crudelitas imminebat. Mactabantur in cunis infantes, in quibus nondum erat nascendi conscientia, et illud membrorum initium, primum funus discit esse, quam corpus. Occidebantur initia membrorum minutissima; lactantes et accepti a matribus parvuli in duritiam lapidum vibrantur, ut ad execrandum malum, saxorum aspera moles artus spargeret, et nec acciperet volens terra (1) collisos atque interemptos. Ipsa mortalibus se præbuit, quæ pridem natos testes (2) suscepit. Sub conspectu matrum premebantur vagitus infantium, et lacrymas suas in maternos oculos reportabant. Salvator noster inter infantium funera quærebatur, qui ad hoc permisit pro se infantes occidi, ut cæteri pro se ipso discerent mori. Natabant domus sanguine parvulorum, nec fuit qui consolari alterum posset, quia non erat, qui lacrymas non haberet. Nam luctum (3) orbitas cunctorum æquaverat, et commune malum ubique luctibus gerebatur. Oppressi vagitus majores gemitus exigebant. Nulla domus, nulla orbitatis restaverat locus, ubi non diri regis crudelitas fuerit (4). Jacebant brevia vulnera membrorum, et velato vultu, tristi coloratæ pallore cunctorum mortibus (5) lacrymas dabant. Minutis mortibus tota civitas replebatur, et omnium posteritate truncata, hoc solum evasit, quod vagitum habere non meruit. In illa matrum (6) pernicie, in tanta grandine liberorum, una femina felix evasit, quæ fuit virgo post partum. Quid juvat replese tot funeribus terram? Quid profuit tanta verba fluentia sicasse, cum futurum malum Deus ante prædixit? Constat ergo Judaicam gentem nascenti Domino præparare

(1) Cod. terræ quæ prius nolens. — (2) Id. teste. — (3) Id. invicta. — (4) Id. fuit. — (5) Id. cunctorum mentibus, qui prius colorata. — (6) Id. in illa matre filiorum pernicie.

perniciem, ideoque eodem tempore Dominus voluit docere, quia Judæus non noverat, quod feriret. Sed quia Deus passioni prohibitus vel dilatus est, maluit virtutibus disci, quam ante tempus occidi.

IV. Sed ad propositum redeamus. Obtulistis gratiæ illucrescenti piæ congregationem. Dedistis (1) nobis vestræ intentionis dulce solamen. Sequimini stellam cælorum summa (2) sulcantem, ut veniatis ad Christum ubera materna lactantem. Ista est gloria, quam cæli enarrant¹. Ista est misericordia, quam Magi venientes adorant. Benedictus Dominus²; hodie psalmus cantatus magnum accepit augmentum, ut jam videatur benedictus Dominus. Quod narrabant cæli, jam vident Magi; cernunt sine timore pastores, quod cum magno timore cantabant angelicæ Potestates, et sapientiæ terrenæ disquisitio evanuit. Securi ergo munera præparemus; et ab aliis præparanda discamus, ne forte quod offeramus, nos ipsi nostris viribus non habeamus; ut discipulus, a Magis qui obtulerunt aurum, thus et myrrham. Quid sibi ista munera volunt? quod nobis aperiant sacramentum? Aurum, vide cælestia; thus, vide terrestria; myrrham, vide inferna; quia « In nomine Jesu omne genu » flectitur cælestium, terrestrium et infernorum³. » Tria ista munera videamus, si et aliam habent rationem. Aurum, vide fidem; thus, adora spem; myrrham, intellige charitatem. Et unde (3) myrrha charitas? Sicut enim myrrha bene tegit et condit corpora mortuorum, sic et « Charitas » cooperit multitudinem peccatorum⁴. » Quid facit myrrha? custodit sepulturam, et defunctorum corporum compagem non patitur dissolvi. Myrrha ergo charitas. Tegat corda nostra, ut offeramus Domino munera placitura, et dicat ad nos: « Exultet Jacob, et lætetur Israël⁴, » quia Deus natus est Emmanuël.

¹ Psal. xviii, 1. — ² Philip. ii, 10. — ³ 1 Petr. viii, 4. — ⁴ Psal. xiii, 7.

(1) Cod. dedisti. — (2) Id. elisma. — (3) Id. inde.

SERMO XXII.

In Epiphania Domini VI.

Magna contentio est inter eruditos cujus sit sequens sermo. Combessius in Homiliario, sive Bibliot. PP. Concionatorum tribuit Origeni aut alii veteri, uti videre liquet in tom. 1. fol. 519; sed est detruncatus. Editor sancti Maximi enumerat inter homilias hujus Patris, Edit. Romæ 1784, fol. 415. Attamen brevior et discrepat aliquantisper a nostro codice, necnon aptat Natali Domini quæ sunt de die Epiphaniarum. Dominicus Valarsius illum conjicit inter opera spuria sancti Hieronymi. Bandinius in Biblioth. Laur. tom. 1, fol. 78, Ambrosio illum deputat. Codex vero noster, nempe cxvi, fol. 150, connumerat sermonibus divi Augustini. Hinc propter varias discrepantias illum hic in Appendice rursus in lucem emittere operæ pretium duximus, quanquam plura desumpta sint ex alio Augustini sermone.

SYNOPSIS.

I. Christi per Incarnationem revelatio. II. Nostra felicitas major est veterum Patrum felicitate. III. Crucis potentia, IV. Christi baptismus. V. Moyses extensis manibus orans, figura fuit Crucifixi.

I. Hodie verus Sol ortus est mundo. Hodie in tenebris sæculi lumen exortum est. Deus factus est homo, ut homo fieret Deus. Formam Dominus servi (1) accepit, ut servus

(1) Deest vox *servi* in cod.

SERMO XXII, IN EPIPHANIA DOMINI VI. 429

verteretur in Dominum. Hodie cælorum habitator et conditor habitavit in terris, ut homo colonus terræ migraret in cælum. O dies omni sole lucidior! o tempus a cunctis sæculis expectatum! quod præstolabantur Angeli, quod Seraphim, et Cherubim, et cælorum ministeria (1) nesciebant, hoc in nostro tempore revelatum est. Quod illi videbant per speculum et per imaginem, nos cernimus in veritate. Qui loquebatur in Israëlitico populo per Isaiam, et Jeremiam, et reliquos (2) Prophetas, nunc nobis per Filium loquitur.

II. Videte quid sit inter Vetus et Novum Testamentum. In illo (3) loquebatur per nubilum; nobis loquitur per serenum. Ibi Deus videbatur in rubo, hic de Virgine Deus nascitur. Ibi igitur erat populi peccata consumens, imo Dominus ignoscens servis suis, hic homo est populi peccata dimittens (4). «Nemo enim potest peccata dimittere, nisi solus Deus!» Sive hodie stella Magis apparuerit (5), unde et Epiphania græco sermone vocatur, quod nos possumus dicere apparitionem vel ostensionem, sive hodie sit baptizatus; diversa quippe opinio fertur in mundo, et pro traditionum varietate sententia est. Nobis illud constat ad liquidum, quod sive hodie Magos duce stella ad se adorandum perduxit, sive renatus est in baptismo (6), utrumque nobis proficit. Utrumque mysterium nostrum est, utraque utilitas nostra est. Dei Filius non habebat necessarium ut renascere (7); neque enim peccatum fecerat, quod ei remitteretur in baptismo. Sed illius humilitas nostra sublimitas

¹ Luc. v, 21.

(1) Edit. male *mysteria*. Combess. proposuerat *militia*, sed minus bene, Edit. antea *Cherubim et Seraphim*. — (2) Edit. *ceteros*. — (3) Edit. *in illis*, qui et supra *inter Vetus Testamentum et Novum*. — (4) Edit. *consumens*, hic homo est populi peccata dimittens, imo Dominus ignoscens servis suis. Nemo etc. — (5) Hæc et sequentia differunt. Loquitur sermo editus de Nativitate, noster de Epiphania. — (6) Hic rursus concordant edit. cum cod., excepto quod edit. ponunt *mihî et meum*, pro *nobis et nostrum*. quod habetur in cod. — (7) Edit. *ut nasceretur et baptizaretur*.

est. Illius crux, nostra victoria est; illius patibulum, est (1) noster triumphus.

III. Gaudentes levemus hoc signum (2) in humeris nostris victoriarum vexilla portemus. Immortale labarum (3) portemus in frontibus. Cum hoc signum in postibus nostris diabolus aspexerit, contremiscet (4). Qui aurata capitolia non timent (5), crucem timent. Qui contemnunt sceptrum regalia et purpuras Cæsarum et dapes, Christianorum subjectionem, et nuditates, et jejunia pertimescunt (6). Denique in Ezechiele propheta, cum omnes qui missus fuerat Angelus, occidisset, et interfectio incœpisset a Sanctis¹, illi tantummodo sospites reservantur, quos tunc littera (7), id est, crucis pictura signaverat.

IV. Itaque, dilectissimi fratres (8), pauca etiam de baptismi sacramento accipite. Baptizatur Dominus a servo, et a Deo Filius appellatur. Quid hac humilitate sublimius, vilitate (9) nobilius? Inter publicanos, et meretrices, et peccatores ad lavacrum venit, et sanctior est baptizatore suo. Lavatur a Joanne in carne, in Spiritu lavat. Aquæ quæ cætera mundare consueverant, Domino nostro lavante mundatæ sunt. Jordanis fluvius, qui in eo tempore, quando populum Israël dux Jesus ad terram repromissionis induxit, fuerat exsiccatus, nunc totis, si potuisset, undis in unum locum voluisset (10) congregari, ut Domini corpus attingeret. Exultemus itaque, fratres charissimi (11), et ad crucis similitudinem sanctas in cælum levemus manus, ut, cum sic nos dæmones armatos viderint, opprimantur (12).

¹ Ezech. ix, 6.

(1) Deest in edit. est. — (2) Edit. *levemus hoc signum in humeris nostris victoriarum*, etc. — (3) Sic edit.; cod. male *lavacrum*. — (4) Edit. *cum dæmones viderint, contremiscet*. — (5) Cod. legere deberet *non timet*, et sic deinceps, aut ponere nominativum *dæmones*. — (6) Edit. *Christiani sordes et jejunia*. — (7) Edit. *litteræ*. — (8) Hæc et sequentia desunt in edit. — (9) Cod. male *utilitate*. — (10) Cod. *voluerat*. — (11) Hic rursus edit. et cod. concordant. — (12) Cod. male *opprimantur*.

V. Nam primus ille populus habuit hostem Amalech. Tunc oravit Moyses (1); tunc extendebat manus. At ubi deponebat manus, convalescebat Amalech¹; ubi extendebat manus, deficiebat Amalech. Et tuæ manus, si extensæ sint, deficiet Amalech tentator et hujus itineris impeditor. Esto vigil, esto sobrius in orationibus et operibus bonis, sed non præter Christum, quia extensio illa manuum Christi crux fuit. In illa extenditur Apostolus cum dicit: « Mihi mundus crucifixus est, et ego mundo². » Ergo deficiat Amalech, vincatur, non impediatur transitum populi Dei. Sed si remittis manum a bono opere, a cruce Christi, prævalet Amalech. Tamen non omni modo aut continuo te fortem futurum putare, aut penitus desperando deficere debes. Alternatio enim illa defectus et fortitudinis in manibus servi Dei Moysis, forte alternatio tua fuit. Aliquando enim in tentatione deficis, sed non omnino succumbis. Deponebat manum, sed populum non omnino ruebat. Si dicebat: « Motus est pes meus, ecce misericordia tua, Domine, adjuvabat me³. » Noli ergo timere; adest in itinere auxiliator, qui in Ægypto non defuit liberator. Noli timere, aggredere viam, præsume securus. Aliquando ille deponebat manus, aliquando erigebat, tamen victus est Amalech. Rebelle potuit, superare non potuit, contradicente Domino et Salvatore nostro Jesu Christo, qui benedictus est in sæcula sæculorum. Amen.

¹ Exod. xvii, 1. — ² Galat. vi, 14. — ³ Psal. xciii, 18.

(1) Hæc et reliqua leguntur in sancti Augustini Serm. ccclii, num. 6. Pauca addunt edit., quæ hic non reperiuntur.

SERMO XXIII.

De Nuptiis Canæ, et quomodo Christus vocatur,
et vocat. Joan. II, 1, etc.

*Idem dicendum de hoc sermone ac de multis præceden-
tibus, utpote qui eruatur ex Bibl. Ædil. cod. x, fol. 6 b.
Ponatur post sermonem præcedentem.*

SYNOPSIS.

I. Canæ nuptiarum interpretatio mystica. II. Audiendus
Christus invitans, et non mundus. III. Judicium supremum,
nuptiæ quibus necessario invitabimur. IV. Orandum est, nec
desperandum. V. Vocatur ad nuptias Christus, non quia opus
habuit, sed ut et nos vocaret; cui vocanti obtemperemus mun-
dati.

I. Audivimus, fratres charissimi, Dominum nostrum
invitatum ad nuptias, non renuisse, sed dum factæ essent
et paratæ in Cana Galilææ, vocatus est Jesus¹. In nuptiis
verò quid aliud fieri solet, nisi sponsi et sponsæ conjugium?
Sed per sponsum amor Dei, per sponsam vero mens humana
designatur. Talis copula fiet in Cana Galilææ, id est, in
cælo, transmigratiæ de carnalibus ad spiritualia per Je-
sum, gratia Dei, sine qua istæ nuptiæ fieri non possunt.
Intelligite etiam, fratres, per Mariam, intensionem et de-
votionem sancti propositi; nam attendere, fratres, debetis,

¹ Joan. II, 1, etc.

nec dormire vos volo, cum nunc dormiendi tempus non
sit: attendite ergo, quia sicut ipse matrem, de qua natus
est, creavit, sic et gratia devotionem parit et processum
sanctitatis; ex devotionis studio eadem gratia lucidius eni-
tescit. Discipuli vero Christi, chorus sanctarum virtutum,
qui se bonis operibus exornat, et (1), voce valida, ut ad se
veniat vocat. Ad has vero nuptias deficit vinum, quia fer-
vor spiritualis quandoque deficit. Tunc ait gratia devotioni:
Quid tibi et mihi, devotio? Te quidem laborante, dona
mea solent augeri; sed quidquid boni per te acquiritur,
mihi debite et merito debet adscribi. Sed ministri harum
nuptiarum sunt fideles, et ratio est, quia ut ad intellectum
spiritualem quis veniat, opus est ut fidem intelligat, et ratio
intellecta teneat. Per hydrias vero memoria cordis desig-
natur, in qua salutare cogitationes debent teneri: sex ideo
quia sex sunt species sanctarum cogitationum, in quibus
mens debet exerceri, quarum prima est recordatio malo-
rum, ut ea digne penitendo diluamus; secunda qua præ-
sentia pericula repellamus, ne importunitate mutabilium
retardemur; tertia, qua æterna tormenta prudenter aver-
tamur; quarta est, qua hora mortis provida cogitatione
revolvamus (2); quinta, qua ante tribunal districti Judicis
non (3) vacui appareamus; sexta, qua æterna beatæ vitæ
præmia sedulo cogitemus (4), et ut eis frui mereamur,
infatigabili conatu, sanctarum virtutum studio insistamus.
Quæ ideo lapideæ dicuntur, quia necessarium est ut in his
firmiter mens permaneat; sed contra hæc, ne ea cogitare
possimus, non tantum operari, quatuor inter cætera sunt
quæ valde nos impediunt facere (5) quæ ad confessionem
peccatorum exiguntur. Quæ sunt ista nisi pudor, timor,
spes et desperatio? pudore erubescimus confiteri; timore

(1) Deest et in cod. — (2) Cod. *revolvimus*. — (3) Deest in cod. neces-
saria negatio. — (4) Cod. *cogitamus*. — (5) Id. *nam quia confessionem...*
exigunt.

retrahimur (1), ne gravati patrata profundamus; spes, peccandi cupiditate nos impedit; desperatio irrationabiliter (2) nos confundit et destruit.

II. Quid ergo, fratres? Aperiamus aures in contemplatione (3), et quidquid in contemplatione videbimus, ne despiciamus. Primam namque vocem in contemplatione audimus, quæ dicit: Accipe, redde et fuge: redde debitum, fuge supplicium, accipe beneficium. Accipe, o fidelis, beneficium Salvatoris tui; nam cælum ordinavit, ut tibi daret lucem per diem, ut vigiles, tenebras in nocte, ut pauses: ad delectationem tuam varietates temporum veris, æstatis, autumnii et hyemis. In hyeme ac vere (4) dierum ac noctium spatia varia fecit, ut tibi studium tollat: aquam pro te creavit, ut sordes purges, arenam riges (5): terram pro te creavit, ut te portet, te nutriat, te pane confortet, te vino lætificet, et omni genere fructuum te oblectet: hæc omnia facta sunt propter te, et adhuc ad æternas nuptias vocat te; et negligis, timore, pudore et desperatione repletus. Redi (6) ad illam, qui te dulciter invitat. Sed ecce jam mundus dicit: O homo, vide quantum te amavi et amo; nam propter te Deus me fecit; tibi semper servio; si sentis meum beneficium, meas dulcedines, redde mihi debitum, veni post me, veni ad nuptias meas et sequere me. O homo, cave ne ad nuptias mundi vadas; quoniam in die novissimo ignis te comburet, aqua te submerget, terra te deglutiet, infernus te recipiet, omnis creatura contraria tibi erit, si, dum vixeris, plus ea dilexeris tuo Creatore.

III. Cum igitur, fratres, necesse omnino sit, ut ad nuptias invitemur, dum adstabimus ante tribunal iudicis, ut «Referat unusquisque prout gessit in corpore¹,» cavem-

¹ 2 Cor. v, 10.

(1) Deest hæc vox in eod., quæ vel ipsa, vel alia similis est supplenda. — (2) Cod. male *rationabiliter*. — (3) Cod. et *contemplationem*. — (4) Cod. absque sensu *algorem*. — (5) Cod. male *riget*. — (6) Cod. male *reddi*, qui et ante *desperatione*.

dum est ne ante illud terribile tribunal vacui appareamus, et in illis nuptiis sine vestibibus nuptialibus appareamus¹. O quam terribile, o quam dolorosum, o quam amarum erit videre iudicem turbatum! Abraham contra inobedientes, Isaac contra impatientes, Jacob contra negligentes, Joseph contra incontinentes, Job contra Deum maledicentes, David contra bellicantes, Lazarus pauper contra potentes, Paulus contra falsa prædicantes, Joannes contra hypocritas evangelizantes, Petrus contra in mari mundi remigantes; isti et alii multi sedebunt in cœna, et in nuptiis iudicantes duodecim tribus Israël².

IV. Quid ergo faciemus, fratres? Nihil aliud faciendum puto, nisi orare, ut (1) virtutes, quas Deus sanctis ad coronam dedit, nobis etiam det, et liberet nos a pœna. Nam sine eo nihil potestis facere³, nec vel cogitare⁴, nec capillus de capite vestro sine sua perfecta voluntate addi vel amitti potest⁵. Orandum igitur est, nec tamen desperandum, quoniam desperatio est certissima mors. Sentis te peccatis oneratum? Aspice Mariam peccatricem; nam ipsa in die iudicii stabit contra peccatores, qui pœnitentiam non egerunt, sed potius se suspenderunt in desperatione. Ne ergo dissidas, habes etiam Paulum persecutorem, habes etiam et Latronem, qui triginta annis et amplius nequiter vixerat, et audire meruit: «Hodie mecum eris in Paradiso⁶.» In hac enim vita quædam laboriosa et vacua sunt, quædam laboriosa, sed non vacua sunt: amore namque sæculi pati (2) laboriosum simul et vacuum est, quia pœnæ (3) tribulatio angustat, et retributio æternæ beatitudinis nulla remunerat; quia amores sæculi voluptatibus resolvitur, et amore etiam amicorum mortem pati laboriosum non est, sicut de multis Paganis etiam legimus pro amico libenter mortem

¹ Matth. xxii, 11, 12. — ² Id. xix, 28. — ³ Joan. xv, 5. — ⁴ 2 Cor. iii, 5. — ⁵ Luc. xii, 7. — ⁶ Id. xxiii, 43.

(1) Cod. *et*. — (2) Deest *patri* in cod., sed requirit sensus. — (3) Cod. *penes*.

optasse. Totum hoc opus vacuum est, quia fructus boni operis inde non capitur. Amore enim (1) Dei tribulationem pati laboriosum est, sed non vacuum, quia recipietis fructum in tempore suo.

V. Vocatur (2) igitur Jesus ad nuptias, at ut voluit, non ut gulæ satisfaciatur: omnia enim in sua potestate erant, et in festo Paschæ aceto et felle potatus est⁴. Ivit ergo Magister ad nuptias, non quia necessitatem haberet, qui (3) dat escam omni carni. Quare igitur venit, nisi ut expensas solveret nuptiarum, dum aquam convertit in vinum? Nam non tantum gravavit (4) Dominus patrem nuptiarum cum Matre et Discipulis comedendo, quantum ditavit, aquam in vinum convertendo. Vocatus est ergo Jesus ad nuptias, ut nos vocaret. Vocamur a Christo, o fratres. Vos ergo juvenes, qui tam dulciter vocamini, cur non acceditis? Accedite, et nolite timere; nam vestrum est festare, vestrum est gaudere, vestrum est cantare et tripudiare. Indnamini igitur nova vestimenta, ut honorati primum locum habeatis²; sed si scabiosi estis, obsecro ut lavemini, et mundi sitis (5), ut bene in conspectu Regis tripudiare possitis. Nam sic fecit Naaman leprosus³. Etiam si psalterium vel symphoniam habetis, vobiscum portare non negligatis. Obsecro etiam ut de nuptiis vestris participent universi; nam pater nuptiarum per vicos et plateas misit, ut clamarent valenter, et venirent⁴ juvenes ad gaudium, pauperes ad reficiendum, pusillanimes ad consolandum, et juvenes ad tripudiandum; et sic implebuntur mensæ nuptiarum. Tunc enim, fratres mei, omnes ad nuptias sic ire poterimus, dum ipsum Deum agnoverimus. Scire ergo Deum summa est scientia, et hæc est illa beatitudo, pro qua militamus, ut cognoscamus Dominum, quem misit, Jesum

¹ Math. xxvii, 37. — ² Luc. xiv, 10. — ³ 4 Reg. v, 14. — ⁴ Math. xxii, 2, etc.

(1) Forte autem. — (2) Cod. vocat, et deinde et pro at. — (3) Cod. quia. — (4) Id. gravat. — (5) Id. estote.

Christum: non enim potest cognosci Jesus, qui pater nuptiarum est, nisi dum pendet in cruce; et nisi cum Latrone pendente in cruce clamaverimus: «Memento mei, Domine¹,» non poterimus ad nuptias invitari, et longe minus accedere, quod avertat ipse Deus, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XXIV.

In Sexagesima I.

Hunc sermonem jam stampis mandavimus in primo supplemento appendicis sermone 1; sed tunc aderat unus Cod. Cass. cv1, qui multis mendis abundabat, quæ in pluribus frustra corrigere conati sumus. Nunc adfuerunt nobis quinque alii codices, nempe Bibl. Laurent., Plut. xiv, cod. 1 a, fol. 108; Plut. xvii, cod. xli, fol. 126; Plut. xxx, sinist., cod. 1 b, fol. 191; Plut. xxxiii, cod. iv, fol. 61; et denique Bibl. Ædil., cod. cxxxvi, fol. 67; ex quibus innumeros resarciri potuimus defectus. Cum autem illi tanti sint ut viæ per notas possit ad verum sensum reduci, et aliunde brevior sit, illum secundis curis emendatum rursus in lucem emittimus. Cum duo sint codd. 1, priorem designavimus addendo a, posteriorem vero addendo b. Ponatur in locum sermonis primi appendicis, cum numero in Sexagesima I.

SYNOPSIS.

I. Jejunium cur præveniendum. II. Jejunium nemini negligendum. III. Ad Ecclesiam confugiendum sicut ad arcam Noë.

¹ Luc. xxiii, 43.

I. PERMOTOS (1) esse vos (2) credo, fratres dilectissimi, cur (5) a superiore Dominica quadragesimam procurrimus (4), et cum hodie sit ejus exordium, cur festivitatem ejus ante unam (5) hebdomadam celebrare cœperimus (6). Reprehendi non potest observatio ista præpropera (7). Devotionis enim (8) indicium est, prius legem exequi, quam legis statuta cognoscas, et ante obedire præceptis, quam (9) obedientiæ præcepta compellant. Illud enim amoris est, hoc timoris (10); hoc imperative (11) exigitur, illud religiose defertur (12); hic debitum solvitur, ibi donum muneris exhibetur. Unde et nos religiosissimum munus exhibemus (13) Deo, dum amplius jejunamus (14). Reprehendi enim non potest festinata (15) festivitas. Semper enim gaudii in solemnitate (16) vota præveniunt, et (17) futuram lætitiā (18) devotio, dum exoptat, anticipat. Non solum igitur non reprehensibiliter, sed et (19) caute factum est (20). Semper

(1) Cod. cvi male præmonitos, et deinde vos esse. — (2) Deest vos in cod. xli; cod. cxxxvi ponit credo post fratres charissimi. — (3) Cod. iv male eum. — (4) Sic cod. cxxxvi; codd. i a et cvi male procurrimus. Deinde cod. cvi hac die pro hodie, et quod pro cur. — (5) Sic codd. iv, et xli; cod. i a male una. — (6) Cod. iv male cœpimus. — (7) Omnes codd. male hanc vocem scripserunt, nempe codd. i a et cvi per opera; cod. xli per operam devotionis, indicium; cod. cxxxvi præ opere; cod. iv preparata. Correctionem fecimus, quia patens est. In edit. male punctum posuimus ante per opera. — (8) Deest enim in cod. xli; cod. cvi iudicium. — (9) Cod. cvi male quoniam. — (10) Hæc desunt in cod. xli; sed leguntur in cod. i a. — (11) Sic codd. iv, xli, et cvi; cod. i a, impenetrative. — (12) Sic codd. i a, et cvi; cod. xli male defertur, quod habet etiam cod. iv. — (13) Sic cod. cxxxvi; codd. iv, xli et cvi, nos religiosum munus exhibuimus. Codd. autem i a male nobis religiosum munus exhibuimus. — (14) Sic codd. i a et cxxxvi; cod. iv, cxli et cvi jejunavimus; cod. i b jejunabimus. — (15) Sic cod. i a; cod. cxli festina. Edit. per errorem typographicum festinata. — (16) Sic cod. cxxxvi; codd. i a et cvi in gaudiis solemnitate; forte legendum in gaudiis solemnitate. — (17) Sic cod. i a et cvi; cod. xli ut. anticipet. — (18) Cod. cxxxvi male futura lætitiā. — (19) Deest et in cod. xli, sed legitur in cod. i a. — (20) Hæc desunt in Edit., quia desunt in cod. cvi.

enim in rebus ambiguis oportet addere aliquid amplius ad cautelam, quia quod (1) est amplius, recidi potest, quod minus est (2) non potest prolongari, sicut in hac observatione factum est. Nam quod (5) præter (4) quadragesimam plus jejunamus, non (5) minuimus quadragesimam; integra enim nobis (6) manet. Quod si minus jejunassemus a numero, redintegrare (7) eam non poteramus ad numerum.

II. Sed fortasse illud in causa est, cur (8) jejunium quod jejunavimus, non proficiat nobis ad quadragesimam. Proficiet plane nobis, quia et si non proficit ad quadragesimam, proficit (9) ad salutem. Si non proficit ad numerum, proficit ad meritum. Cui enim unquam non profuit orare, legere, jejunare? Cui (10) non profuit castitas, sobrietas, mansuetudo? Nisi quod illos magis reprehendendos (11) puto, qui cum parati fuerint jejunare, posteaquam deerint solemnitates (12), ambigunt et negligunt (13) jejunare. Demonstrabunt (14) utique se non volentes religiose

(1) Sic. codd. iv, xli, cvi et cxxxvi; cod. i a, quid. — (2) Hæc verba, quæ sunt in cod. i a, desunt in cod. xli; cod. i a habet quid, sed quod legitur in codd. cxxxvi, iv et cvi. — (3) Sic cod. cxxxvi; codd. xli et iv ne quod; cod. i a, ne quid; cod. cvi nec quod. — (4) Sic cod. cxxxvi; codd. i et cvi propter. — (5) Sic cod. iv, xli, cxxxvi; deest non in cod. i a. — (6) Sic codd. iv et cxxxvi; cod. xli in nobis; cod. i a, vobis. — (7) Sic cod. i a; cod. xli servare integram; cod. iv redintegrare eum; cod. cvi non habet eam; deinde cod. cxxxvi poterimus. — (8) Hæc verba desunt in codd. xli et cvi, sed habentur in cod. i a; cod. cvi cum pro cur; deinde omnia trunca sunt in eodem cod., ac consequenter in Edit., ubi supplevimus negationem non, quæ necessaria non est, restitutis quæ deerant. — (9) Sic codd. iv, xli, cxxxvi; cod. i a, proficiet. — (10) Sic iidem codd.; cod. i a, cur; in cod. cvi legitur cui, sed desunt verba sobrietas, mansuetudo. — (11) Sic cod. i a; cod. i b, reprehendendum; codd. xli et cvi reprehendendi. — (12) Sic codd. i b, iv, xli et cxxxvi; cod. i a, audierint solemnitate; cod. cvi audierint solemnitates. — (13) Sic cod. cxxxvi; codd. i a, iv, i b, xli, et cvi ambigunt negligunt, vel neglexerunt. — (14) Sic codd. iv, xli, cvi et cxxxvi; cod. i a, demonstrabitur.

vivere (1), sed coactos (2). Veriti sunt, credo, ne quinque dierum jejuniis prolongatis, caro eis (3) corpusque deficeret (4), et exiles ac tenues (5) quadragesimæ abstinentiam tolerare non possent (6). Audiant igitur refecti pariter ac robusti, tenues atque pallentes, quia hodie est quadragesima. Audiant illi, inquam, ut (7) jejunare incipiant, isti ut abstinere non desinant, et communiter in arcam (8) Christi intrare festinent. Imo festinent amplius qui tardius abstinere cœperint (9), ut castigatior et puriores introeant, quia arca (10) Domini in periculis jejunum sustentare prævalet (11), temulentum sustinere non novit. Admonemus ergo nos (12), sicut antea diximus, nostri temporis homines, ut, in his mundi turbinibus, ad domum Dei certatim unusquisque confugiat, sicut et sui temporis homines (13) Noë justus admonuit. Admonuit enim illos, et futurum (14) diluvium prædicare non destitit; et licet vox prædicationis (15) non sit audita, tamen (16) si tacebat lingua, opere loquebatur, et si silebat voce (17), actu per-

(1) Sic cod. 1 a; cod. xli male itaque nosse volentes religiose vivere, sed coacte veriti sunt; cod. cvi itaque et coacti. — (2) Sic codd. iv et cxxxvi; cod. 1 coactos. — (3) Sic codd. xli et cxxxvi; cod. 1 a, eorum; cod. cvi non habet sunt, et deinde ejus. — (4) Sic cod. 1 a; codd. iv et xli defecerit. — (5) Cod. cvi, exiles hactenus. — (6) Sic cod. 1 a; cod. xli possint. — (7) Sic codd. iv, xli, cvi et cxxxvi; cod. 1 a male tollit ut. — (8) Sic codd. 1 a et cxxxvi; codd. iv et xli arcam. — (9) Sic cod. 1 b; ceteri cœperunt; cod. iv quia tardius. — (10) Sic omnes codd., excepto cod. xli, qui habet arca. — (11) Sic cod. xli; cod. 1 a, jejunium sustentare prævalet; cod. iv qui arcam; cod. cxxxvi, pessime qui arcam Domini in periculis jejunio sustinere prævaluit, se temulentum, etc.; cod. xxx et temulentum. — (12) Sic cod. 1 a, et cvi qui habet monemus; cod. cxxxvi vos; deinde codd. xli et cxxxvi antea pro ante, quod habent codd. 1 b et cvi. — (13) Sic codd. iv, xli, cxxxvi et cvi; cod. 1 a non habet homines. — (14) Sic cod. 1 a; cod. xli male sed in futurum; cod. cvi sed futurum. — (15) Sic codd. 1 u et cvi; cod. xxx prædicatoris nostri. — (16) Cod. 1 a addit et, quod tollit cod. iv; cod. cvi et non. — (17) Cod. cxxxvi vox; deinde cod. xli actu pro ascia quod habet cod. 1 a, aut pro arca quod habet cod. cvi

sonabat. Cum enim ædificabat tam grande opus arca illius, causam (1) cur fieret ipso opere testabatur. Testabatur (2) enim ipso apparatu, nova tabernacula novis periculis profutura. Sapiens enim quisque intelligere poterat, naufragii nescio quid imminere (3), cum domus talis fieret, quæ non hæreret (4) in terra, sed nataret in gurgite; cum hospitium (5) hujusmodi pararetur, quod nec pavimento solido figeretur (6), nec fluctibus unda submergeret (7). Quis, inquam, sapiens (8) non intelligeret adesse diluvium, cum videret tale domicilium fieri, quod susceptos intra se non tam clauderet, quam portaret; quod non tam pluviarum imbres (9) repelleret, quam naufragii procellas arceret? Quis, inquam, ex hospitio non adverteret (10) periculum hominis, in quo hospitio non habitandum esset, sed potius exulandum; in quo et pater mundi futurus esset cum ipso habitaculo peregrinus (11). Ipse ergo sanctus

(1) Cod. cxxxvi, male causa. — (2) Cod. cvi testabantur. — (3) Sic cod. 1 a; cod. iv male eminere; cod. xli naufragiis nescio quid innuere; cod. cxxxvi naufragium nescio quod; cod. cvi emere. — (4) Sic cod. 1 a; cod. xli adhereret. Deinde deest sed in cod. 1 a, sed habetur in codd. iv, xli et cxxxvi; cod. cvi habere us, pro hæreret. — (5) Sic cod. 1 a; cod. xli hospitio; deest utraque in cod. cvi. — (6) Sic cod. cxxxvi; cod. 1 a, quid nec pavimento solo defigeret; cod. iv quod nec pavimento solo defigeret; cod. xli quod nec pavimento solo deficeret; cod. cvi quod non pavimento solo. — (7) Sic codd. omnes, excepto cod. cxxxvi qui habet submergeretur. — (8) Sic cod. 1 a; cod. cxxxvi an quisquam sapiens. — (9) Sic cod. 1 a, et cvi; cod. cxxxvi imbrem; cod. 1 b, imber, et deinde procella. — (10) Sic cod. 1 a, codd. 1 b, iv et cxxxvi male averterit; cod. xli averteret; cod. cvi animadverteret. — (11) Sic cod. cxxxvi; ceteri omnes mendis sunt referti; codd. 1 a et cvi in qualibet parte mundi futurum esset cum ipsis habitaculis peregrinum, quod satis bene staret ponendo peregrinandum; cod. iv non habet in, et mutat esset in esse; cod. 1 b inepte, in qua habet partem mundi futurum esse cum ipsis habitaculum peregrinum; cod. xli periculum homini, in quo hospitium non aptandum esset, sed potius exulandum. Deinde cod. cvi non habet sanctus Noë.

Noë opere populis prædicabat, et dicebat illud evangelicum Domini dictam (1) : « Si mihi (2) non creditis, operibus (3) credite⁴ (4). »

SERMO XXV.

In capite Jejunii.

Pulcher hic sermo ex Cod. Cass. CCCLXXXVII, fol. 99 extractus, sed qui sancto Augustino tribui non potest, cum agatur de cinere capiti imponendo in capite jejunii, quod solummodo posterius statutum est in concilio Agathensi, habito an. 501. Vide Marten. de antiquis Ecclesie ritibus, tom. 1, fol. 294, ord. 19. Sit ergo locus ejus in Append. post sermonem Maurinensem CXXXIX.

SYNOPSIS.

I. Memoriam mortis sapius homini revocat Deus ad comprimendam superbiam. II. Christus imago Dei; homo ad imaginem Dei factus. III. Hominis lapsus et pœna. IV. Mortis cogitationis effectus salutaris. V. Adhortatio ad pœnitentiam.

I. MEMENTO, fili, « Quia pulvis es, et in pulverem reverteris². » Humani generis Conditor, dilectissimi, pro-

¹ Joan. x, 38. — ² Gen. iii, 19.

(1) Sic codd. 1 a et cvi; codd. iv et xli, *dominicum dictum*; codd. 1 et cxxxvi, *illud de Evangelio Domini dictum*. — (2) Sic codd. iv, xli, cvi et cxxxvi; cod. 1 a, *mei*. — (3) Codd. xli et cvi, *vel operibus*. — (4) Hic desinunt omnes manuscripti codices, excepto cod. cxxxvi, qui pergit exemplando sermonem, qui incipit per hæc verba *Moyses quadraginta diebus, quem videsis inferius, sermonem xxvi.*

videns carnales homines vitio prævaricationis antiquæ in magna cordis superbia elevatos, et elatione mentis erectos, conditionis suæ memoriam perdidisse, volens eos ad humilitatis viam reducere, et mansuetudinis semitam revocare, legem humanæ miseræ, homini propter pœnam transgressionis impositam, eis ad memoriam revocat, ut in quanta gloria beneficio Creatoris sui conditi fuerint, recolant, et ad quantam miseriam suæ superbiæ culpa devenerint, recognoscant, sicque superbire desinant, qui et Paradisi gaudia ex Dei munere perceperunt, et in hanc convallem miseræ et lacrymarum peccati sui vitio sunt expulsi. Ut igitur omnipotens Deus, qui creaturæ suæ misereri potius eligit quam irasci, tumorem (1) superbiæ in nobis comprimeret, et elationis ventum ab humanis cordibus removeret, antiquam sententiam in miserum hominem culpæ suæ merito promulgatam, ad mentem ejus non cessat reducere dicens : « Memento, fili, quod pulvis es. »

II. Sciendum est autem, dilectissimi, quod, sicut genealogus noster Moyses, Spiritu sancto ei revelante, nobis significavit, primus homo de limo plasmatus est, et ad imaginem sui est conditus Creatoris. Dei enim Filius, de Patris essentia genitus, in nullo ei dissimilis, sed per omnia cœqualis Patris imago est, et paternæ substantiæ figura, et gloria. Homo vero divino imperio ex pulvere animatus in carne, imago Dei non est, sed ad Dei imaginem legitur procreatus, ut in eo divinæ bonitatis et sapientiæ similitudo et forma tanquam in speculo resultaret, et ex creaturæ bonitate, decore et gloria, Creatoris virtus, majestas et potentia nasceretur. Si autem in hac gratia sibi collata cœlitus, et virtutum decore firmiter homo mansisset, si Conditor sui leges traditas fideliter observasset, Paradiso deliciarum in gaudio et felicitate, longo tempore frueretur, et completo dierum suorum statuto numero, de limo fieret aurum, de imis transferretur ad summa, de terris

(1) Cod. male *timorem*.

assumeretur in cœlos (1), et ad societatem angelicam nullo mortis dolore interveniente transiret.

III. Sed quia infelix homo, divinæ legis oblitus et novæ conjugis amore illectus, Conditori suo inobediens fuit, et contra ejus imperium pomum vetitum degustavit, de Paradiso deliciarum in hoc exilium corruit, de felicitate in miseriam, de gloria in ignominiam, de beatitudine est delapsus (2) in pœnas, et de tanta gloria suæ creationis reductus est in pulverem corruptionis. Unde et ei post peccatum a Deo dicitur: « Quia audisti vocem uxoris tuæ » plus quam me, « et comedisti de ligno ex quo præceperam » tibi ne comederes, maledicta terra in opere tuo, spinas » et tribulos germinabit tibi, in sudore vultus tui vesceris » pane tuo, donec reverteris in terram, de qua sumptus es, » quia pulvis es et in pulverem reverteris¹. » Audistis, dilectissimi, in quanta felicitate et gloria creatus est homo. Ecce audistis in quantam calamitatem et miseriam (3) sua culpa dejectus est homo. Creatus enim est de terræ pulvere, ut ex merito obedientiæ contra cursum naturæ terra levaretur in cœlum. Sed factum est ex culpa inobedientiæ, ut homo de pulvere factus, generatione reciproca revertatur in pulverem, cinis in cinerem transeat, et terra carnis humanæ in terram de qua sumpta est revertatur, quæ in primo parente maledicta, maledictionis vitium derivavit in posteros; unde et spinas libidinum et tribulos tentationum in nobis germinare non cessat.

IV. Qui igitur nobilitate generis gloriantur, et se non ex hominibus, sed ex deorum stirpe genitos arbitrantur, conditionem suam recolant, et unde nati sint recognoscant, quia ex pulvere facti sunt, et in pulverem revertentur (4). Qui autem de divitiarum copia et honoris culmine extolluntur, et propter subditorum multitudinem, quos violenta

¹ Gen. iii, 17-19.

(1) Cod. minus bene cœlis. — (2) Cod. elapsus. — (3) Cod. in quanta calamitate et miseria. — (4) Cod. revertuntur.

dominatione opprimunt, propter deliciarum copiam, quibus affluunt et abundant, homines se esse nesciunt, ac mori (1) nequaquam credunt, legem humanæ miseriæ ad mentis oculos revocent, conditionem suam agnoscant, et superbiæ tumore deposito, pro certo sciant et intelligant quia pulvis sunt et in pulverem revertentur. Quod si divinæ sententiæ, obturata aure, more aspidis, contradicunt, oculata fide sepulcra patrum aspiciant, et subtili curiositate inquirent si purpura eos a vermibus, si auri et argenti copia a putredine eos et corruptione defendit, et tunc experimento cognoscent quia omnes homines, licet principes, licet imperatores, et de pulvere conditi sunt, et in pulverem revertentur.

V. Vos autem, dilectissimi, conditionis humanæ memores, superni Judicis sententiam per primum hominem in omnem posteritatem ejus prolatam ante mentis oculos ponite, miseriam fragilitatis humanæ semper ad memoriam revocate, de pulvere vos factos esse et in pulverem redituros agnoscite, et quia cinis et favilla estis, superbiæ et elationis ventum a cordibus vestris expellite, carnem vestram in cinerem redituram cilicii et cineris asperitate domate, libidinis fluxum restringite, et sicut cinerem capiti, sic memoriam cineris in corde reponite, et vos in proximo morituros et credite, et timete, et antequam redeatis in pulverem, peccata vestra sletibus expiate, districtum Judicem jejuniis, orationibus et eleemosynis vobis propitium reddite, ut in die obitus vestri eum piam et misericordem sentiat, qui vivit et regnat, etc.

(1) Cod. nesciant amori.

SERMO XXVI.

In Quadragesima I.

Hunc sermonem, in nonnullis variantem, stampaverunt Benedictini in Appendice sermon. cXLIV. Sed cum in pluribus dissentiant, et ita etiam discordent inter se codices nostri, ut varias versiones esse unius operis in alia lingua conscripti credideris, ideo operæ pretium duximus, illum rursus in lucem emittere cum omnibus manuscriptorum variantibus, ut eruditi possint illum comparare cum antea editis. In pluribus codicibus reperitur, sive Cassinensibus, sive Venetis, sive Florentinis, inter quos præcipue contulimus Cod. Cass. cviii, fol. 12, Cod. Florent. 1, Plut. xiv, fol. 118; xli, Plut. xvi, fol. 115; cxxxviii, fol. 85. et Bibl. Ædil. cod. cxxxvi, fol. 67, ubi legitur post alterum sermonem qui incipit Permotos esse vos credo, fratres charissimi, et qui legitur supra Serm. xxvi. Locus ejus cum sermone cXLIV Appendicis Benedictini cumque eodem numero in Quadragesima v.

SYNOPSIS.

I. Jejunii utilitas probatur per Moysen, et Adam. II. Per Eliam. III. Per Danielem. IV. Per Joannem Baptistam. V. Per Apostolos. VI. Et per uniuscujusque experientiam.

I. MOYSES famulus Domini (1) quadraginta diebus et quadraginta (2) noctibus in eremo jejunavit, ut legem

(1) Sic cod. cxxxviii. — (2) Sic idem cod., et cod. cxxxvi.

Dei (1) mereretur accipere. Impetraverunt jejunia quod venter saturus (2) desperabat. Denique videte, fratres (3) charissimi, quid sit inter jejunium et saturitatem; inter ventrem vacuum et pulmones epulis æstuantes (4). Moyses quia jejunavit (5), Dominum (6) vidit; et (7) populus, quia comedit et bibit, idola fabricatus est (8). Quid de Moyse loquor (9), et Israëlitica multitudine? Ipse princeps generis nostri (10), Adam, quamdiu non comedit, in Paradiso fuit; statim ut comedit, de Paradiso ejectus est. Qui in Paradiso Dei (11) virgo fuerat, ejectus de Paradiso cognovit uxorem suam. Semper enim saturitati juncta lascivia est (12) est. Vicina (13) sibi sunt (14) venter et genitalia. Pro membrorum ordine ordo vitiorum eligitur (15).

II. Elias sanctus, cui elementa famulata sunt, qui cœlum tribus annis et sex mensibus clauserat, ad cujus vocem supernum descendit incendium, cum eum Jesabel vellet occidere, et fessus sub frondosa arbore jaceret in solitudine; Angelus ad eum mittitur, et præcepit ei (16), ut sumeret (17) paululum panis et aquæ. Quadraginta enim diebus jejunus per desertum ad Sina (17) montem perrecturus erat. Numquid enim Dominus (19) omnipotens, qui

(1) Sic cod. cviii; cod. cxxxviii *legem Domini*; ita et cod. cxxxvi. — (2) Sic codd. cviii, xli et cxxxvi; cod. autem viii *saturitas*. — (3) Deest vox *fratres* in codd. viii et xli. — (4) Sic codd. viii et cxxxvi; cod. xli *pulmonem epulis æstuantem*; in cod. autem cviii deest vox *epulis*. Cod. xli male tollit *vacuum*. — (5) Cod. xli et cxxxvi, *qui jejunavit*; cod. viii, *quia jejunaverat*. — (6) Cod. viii *Deum*. — (7) Deest *et* in cod. viii. — (8) Sic codd. cviii et cxxxviii; cod. viii, *qui comederat et biberat*; cod. xli *et populus qui*; sic et cod. cxxvi. — (9) Sic codd. xli et cxxxvi; cæteri *loquar*. — (10) Sic codd. cxxxviii et cviii; cod. xli et cod. cxxxvi, *nostri generis*; cod. viii *humani*. — (11) Deest vox *Dei* in cod. viii. — (12) Sic cod. viii et cxxxvi; cod. cviii *saturitas juncta lascivie est*; cod. xli male *saturitate*. — (13) Cod. viii *pessime incisa sunt sibi*. — (14) Sic codd. cxxxviii, xli et cxxxvi; cod. cviii male *tibi*. — (15) Sic codd. cxxxviii, cxxxvi et cviii; in cæteris deest vox *eligitur*. — (16) Deest vox *ei* in cod. cviii. — (17) Sic cod. cviii; cæteri codd. *sumat*. — (18) Cod. cviii *Sinam*. — (19) Cod. viii *Deus*.

cælum et terram fecerat, cujus universa creatura est, non poterat mulsa (1) per Angelum, aut vina transmittere, aut conditos cibos, aut marinas delicias, aut volucrum suavitates. Sed sciebat Prophetam suum non aliter posse tentationes diaboli vincere (2), nisi jejuniis erudiretur.

III. Ejecit nos, fratres (3) charissimi, de Paradiso cibus, reducat esuries. Daniel ille futurorum præsciis (4); et adventus (5) Domini et eversionis Jerusalem manifestissimus prædicator, ideo «Vir desideriorum¹» appellatus est, quia panem desiderii non comedit, et potum concupiscentiæ non bibit. Magis enim Christum quam epulas desiderabat (6).

IV. Joannes, præcursor Domini, locustis in eremo et agresti melle nutritus est (7), non animalium carnibus, et volucrum suavitatibus. Poterat utique, juxta Jordanis fluentia (8), piscium sibi exhibere delicias. Sed penitentiam prædicaturus, doctrinam rigoris et jejunii exemplo suo magis debuit docere quam voce.

V. Cum in Evangelio quidam dæmone (9) plenus, Domino fuisset oblatas, quem purgare Apostoli nequiverunt; interrogantes audiunt (10): «Istiusmodi genus non ejicitur (11), nisi in (12) orationibus et jejuniis¹.» Videte, fratres, quanta sit jejuniorum virtus (13), ut id valeant jejunia facere (14), quod Apostoli nequiverunt.

¹ Dan. ix, 23 et x, 11 et 19. — ² Matth. xvii, 20.

(1) Sic cod. cviii; cod. xlii si multa vina transmittere; codd. i et cxxxvi multa per angelum aut vina; sic et xli. — (2) Sic codd. cxxxviii, xli, cviii et cxxxvi; cod. viii non aliter diaboli posse tentationes vincere. — (3) Deest vox fratres in cod. viii. — (4) Sic cod. viii; cæteri codd. conscius. — (5) Cod. xli male adventum. — (6) Cod. cxxxviii desideravit. — (7) Sic cod. i; cæteri codd. nutritur, excepto cxxxvi qui habet nutritus. — (8) Sic codd. i, xli, cviii; cod. viii juxta Jordanem; cod. cxxxvi addit stans juxta. — (9) Sic cod. viii; cæteri codd. dæmonio. — (10) Cod. cxxxvi solus habet interrogantibus ait. — (11) Sic codd. cxxxvi, cxxxviii, xli, cviii; cod. viii istius modi genus non ejici. — (12) Sic cod. xli; deest in apud cæteros codd. — (13) Sic codd. xli, et cxxxvi; cæteri codd. virtus jejuniorum. — (14) Sic codd. i, xli, cviii et cxxxvi; cod. viii non habet facere.

VI. Dimittantur cætera (1); unusquisque se ipsum (2) consideret, quanta sit (3) orandi differentia inter vacuum ventrem et refectum (4), inter rubentem faciem et ora pallentia, inter salivam virginem et labia crapulis (5) dissoluta, inter oppressum epulis sensum, et inedia tenuitate vigilantem. Non dico duplicata et multiplicata jejunia; non dico hebdomadas (6), sed saltem singulos dies absque ciborum luxuria transigamus (7). Cessent lavacra, vina vel deliciae (8); non quod (9) creaturam Dei judicemus esse damnandam; sed (10) qui toto anno nobis vivimus, saltem paucis diebus Deo vivere valeamus (11), adjuvante nos ipso, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen (12).

(1) Omnes codd. male vetera, aut vœtera. — (2) Sic codd. xli, cxxxvi et cviii; cod. viii se ipsum unusquisque; cod. i unde quisque se ipsum. — (3) Cod. viii orandi sit. — (4) Codd. omnes male refectum; cod. i ponit ventrem post refectum. — (5) Cod. viii crapula. — (6) Sic codd. cxxxviii, xli, cviii et cxxxvi; cod. viii incipit per non dico hebdomadas. — (7) Cod. cxxxvi male transigamus. — (8) Cod. viii carnes; cod. cxxxvi cesset crapula vini, vel deliciae. — (9) Iid codd. quo; et deinde cod. viii judicem. — (10) Codd. viii et cxxxvi male quo qui. — (11) Codd. xli et cxxxvi debeamus. — (12) Sic codd. xli et cviii, hæc desunt in cæteris codd.; cod. cxxxvi non habet adjuvante nos ipso, sed solum qui regnat cum Patre et Spiritu sancto Deus per omnia, etc.; et prius legit Domino pro Deo.

SERMO XXVII.

In Quadragesima II,

Quomodo Christus intravit desertum.

Sermo hic, eductus ex Bibl. Ædil. cod. x, rejicitur in appendicem, tum propter codicem ipsum, tum propterea quod de pluribus loquatur, quæ sancto Augustino minime conveniunt, qualia sunt ea quæ de oculorum et genuum concordia dicuntur, necnon et de usibus Ecclesie beato Doctori posterioribus, de verbis Memento quia cinis es, de Diaconorum cantu: Humiliate capita vestra Deo, etc. Hinc locus ejus erit post sermonem Appendicis Maurinensis cXLVIII, cum numero in Quadragesima x.

SYNOPSIS.

I. Jejunium Dei quadragenarium nobis in exemplum proponitur. II. Jejunandum corpore et mente, vincendo cupiditates. III. Remedium contra superbiam. IV. Contra avaritiam. V. Contra gulam. VI. Contra luxuriam. VII. Contra iram. VIII. Contra acediam. IX. Semper orandum.

I. AUDISTIS in mane, fratres charissimi, quomodo Christus ductus a Spiritu sancto in desertum et quomodo tentatus est, quomodo tentator superatus est, et quomodo Angeli accedentes ministraverunt¹. Cum enim omnis Christi actio sit nostra instructio, ideo, fratres, attendamus quid nos docuerit. Sic enim fecit ut nos doceret; mortuus est ut

¹ Matth. iv, 1, etc.

homo viveret; sic et jejunavit ut nos erudiret. Jejunavit ergo homo Deus internos; jejunavit supra nos. In quadragesima enim dierum nec semel cibum gustavit: « A Domino enim factum est illud¹, » et non possumus ad illud attingere. Jejunat tamen fidelis subsequenter, ut potest. In die enim Epiphaniæ ascendit Jesus de Jordane, ut jejunaret. Ecclesia vero consecutivo tempore jejunat; tanquam caput suum sequitur de vestigio. Ait enim Jesus Petro: « Tu me sequere²; » et iterum: « Vade retro me³. » Est enim specialis causa, ut non jejunemus eo tempore quo et Christus jejunavit; quæ est enim illa causa? Nullam autem designare scio, nisi ad evitandam hæresim quorundam dicentium nos (1) baptizari debere eo tempore quo et Christus baptizatus est; et tunc accepto Spiritu sancto ad desertum fugiebant: et quoniam nemo de vita sua certus est, et multi absque baptismo moriebantur, ideo tam de baptismo, quam de jejunio ordinaverunt sancti Patres Ecclesiæ id quod modo servatur. Jejunare ergo, fratres, omnes debemus nisi prægnantes vel infirmantes, quibus lex jejuniorum (2) posita non est. Orare tamen omnino isti debent, ut suppleant quod adimplere non possunt. Omnes alii jejunare debent, sed non sicut ægrotus, ut valeat; non ut avarus, ut parcat; non ut fastiditus, ut appetat; non ut Pharisæus, ut appareat: non enim sic Christus vult te jejunare, sed recto et puro corde.

II. Ingrediamur ergo, fratres, sanctam quadragesimam hilariter et perseveranter; non deficiamus in tentationibus, non vincamur. Ecce Dux hodie nos confortat. Caro, locus et diabolus nos tamen valde inquietant. Tamen perseverate, fratres, ut finem optimum comprehendatis. Finem tamen bonum vel principium habere non poteritis, nisi et (3) vestes deponatis. Quæ sunt istæ vestes, quas deponere debemus, si bonum principium, bonum medium et bonum

¹ Psal. cxvii, 23. — ² Joan. xxi, 22. — ³ Marc. viii, 33.

(1) Deest nos in cod. — (2) Cod. jejuniorum. — (3) Id. ut.

finem habere cupimus, nisi superbia, avaritia, luxuria, gula, invidia, ira et acedia (1)? Ista sunt indumenta nostra; isti sunt hostes, de quibus ait Propheta: « Per viam » veniunt ad te hostes tui¹, » et per virtutes fugient a te, quia per solam voluntatem propriam omnia vitia veniunt ad nos, sed per virtutes expelluntur septem vitia: ergo, o homo, ne amplius dormias, sed festina septem expellere inimicos. Quid vero ad hoc requiritur? Sola voluntas cum opere. Tolle propriam voluntatem hominis, et non erit peccatum, nec erit gehenna, quam abjiciendam pro communi utilitate Christus declaravit (2) in semetipso, cum suam propriam voluntatem, licet bonam, pro communi postposuit dicens: « Pater, si fieri potest, transeat a me » calix iste². » Ejus enim propria voluntas erat, ne moretur. Non enim hoc volebat Pater, non Angelus reparandus, non homo redimendus. Erat enim alia voluntas, sed communis, ut scilicet moretur. Hoc volebat Trinitas, hoc rationalis creatura, hoc etiam ipse. Prior erat bona, sed fieri voluit communem, et dixit: « Non sicut ego volo, » sed sicut tu³. » Per hanc solam peccamus, per hanc etiam meremur; quæ ita (5) audax est et impudens, ut in suum armetur auctorem. Vellet enim ipsa (4) impunitatem suorum criminum habere; ergo vellet Deum injustum et sui similem esse; ergo vellet non esse Deum; ergo prædicta vitia ad nos veniunt, et gravissimi hostes sunt. Superbia enim aufert homini Deum, luxuria seipsum, avaritia proximum; gula vorat hominem (5), invidia comburit, ira flagellat, acedia ligat. Isti sunt hostes qui nos aggrediuntur; isti sunt inimici nostri mortales, qui nos vivere non permittunt; isti sunt divitum et pauperum amatores, bonorum et sacerdotum destructores.

III. Hos autem hostes, fratres charissimi, alma mater

¹ Nahum III, 13. — ² Matth. xxvi, 39. — ³ Ibid.

(1) Cod. *accidia*, et sic deinceps. — (2) Id. *declamavit*. — (3) Id. *etiam*, et deinde *impudens*. — (4) Id. *ipsius*. — (5) Id. *voratorem*.

Ecclesia a filiis suis in his sanctis diebus expellere studet, incipiens conculcare superbiam per veram humilitatem, dum ait: Memento, homo, quia « Cinis es, et in cinerem » reverteris¹; » quasi ecce in ingressu certaminis dico tibi: Quid superbis? aspice quod terra es et cinis. Quid est caro, nisi caro? Induatur ergo caro tua purpura, auro et serico (1), non tamen est nisi caro. Hinc (2) etiam in fine istarum dierum Dominus ostendit opus celeberrimum sanctæ humilitatis, dum in cæna pedes Discipulorum lavit²; nec incongrue hoc fieri voluit Dominus, ut primo die et ultimo virtus humilitatis ostendatur, quia vitium superbiæ primum et ultimum est: primum enim fuit recedentibus a Deo, et ultimum accedentibus ad Deum; ipsa enim humilitas caput omnium virtutum est et principium, sine qua nemo potest ad vitam intrare. Ideo attendite, fratres, ut eam primo astringatis, et ipsam usque ad cænam Domini teneatis. Sed tunc in cæna Domini, ad cænam sacramenti vocabimur, et tunc « Reddet unicuique secundum opera sua³. »

IV. Contra etiam avaritiam alma mater Ecclesia medicinam nobis paravit, ut extendas manus ad pauperes, exemplum tibi copiosum demonstrans de mendico Lazaro et divite, de Martha et Maria, quomodo Christum et Apostolos pavit (5); tunc Maria caput Christi perauxit, et Lazarus resuscitatus interfuit. Sic et nos facere debemus, ut (4) deposita omni avaritia, pauperes pascamus, et Domini caput oratione et jejunio perungamus. Hoc enim Deo summe placet; hoc summe operari affectat; hoc magis sibi placet, quam illa cæna (5), qua refectus erat in proprio corpore; magis enim diligit suos, quam corpus proprium, quod de Virgine traxit; illud enim verberibus, plagis et morti exposuit, ut nobis incolumitatem servaret. Ecce ergo quam efficax medicina in his sanctis diebus nobis apponitur, fratres charissimi.

¹ Gen. III, 19. — ² Joan. XIII, 5, etc. — ³ Rom. II, 6.

(1) Cod. *serico*. — (2) Id. *hoc*. — (3) Forte *paverunt*. — (4) Cod. *quia*. — (5) Deest in cod. *vox cæna*.

V. Contra etiam gulam nobis medicina (1) apponitur, exemplum Salvatoris ponendo, ut audistis, quia jejunavit quadraginta diebus et quadraginta noctibus. Medicina etiam modo apposita est major solito. Consuevimus enim in diebus, quibus non jejunamus, officium missæ inter horam primæ, et tertiæ, et sextæ celebrare, ut ea hora, qua Christum credimus immolatum, eadem hora corpus ejus conficiatur (2) in altari; sed tempore jejuniorum (3) post sextam ordinavimus differre missarum officium, et usque post nonam protrahitur (4), ut intelligas quod non hora tertiarum cœnare debeas, tanquam timens dolorem stomachi vel capitis vacuitatem; nam valde etiam indignum est, ut prius ventrem quam mentem pascas. Nullus ergo prandere debet, sive jejundet, sive non, nec etiam bibere, sive puer, sive senex, sive vidua, sive nupta, ante missarum officium completum. Quo (5) tamen de vobis non bene ædificor, fratres; nam ille laudatur, ille prædicatur beatus qui prius in mane tabernas visitare potest. O quam dolorosum (6) est hoc mihi, fratres mei, de quibus vobis omnibus redditurus sum rationem. Quomodo ergo exaudiri creditis a Deo, qui plus amatis vinum quam Deum? Nam ibi figitur tota mens, ubi est amoris perversitas. Nolite ergo, fratres mei, inebriari vino¹; ebrius enim quid aliud est quam peccatorum servus, diaboli domus, amicus falsitatis, cujus vita brutalis et irrationalis est? Numquid recto consilio, numquid mente sana, numquid recto judicio, vino sæpe repleti, judicare vel discernere possunt? Absit omnino; nec mirum, fratres, quia ebrietas est blandus dæmon, dulce venenum, suave peccatum. Numquid a vestra memoria jam recessit, quod tempore nostro Hipponiæ adolescens quidam fecit (7), qui ebrietate propulsus (8) ma-

¹ Ephes. v, 18.

(1) Cod. *medicinam*, nisi, quod melius se haberet, legas *medicinam apponit Ecclesia*. — (2) Cod. *conficitur*. — (3) Id. *jejuniorum*. — (4) Id. *protrahatur*. — (5) Id. *quod*. — (6) Id. *dolosum*. — (7) Id. *fuit*. — (8) Id. *perpessus*.

trem prægnantem oppressit, sororem violavit, et patrem, quem valde ante timebat, occidere pertentavit? Ecce quid facit ebrietas; quam Dominum volentem (1) extinguere, hodie desertum intrasse audivimus, ubi non tantum vinum, sed nec herbarum amœnitas videri poterat.

VI. Contra etiam luxuriam introducitur altera fertilis medicina, exemplum tibi apponens de illo qui luxuriose vivendo, omnia bona consumpsit¹. Interponitur etiam velum in Ecclesia inter psallentes et populum, ut lasciviam non tantum cordis, sed etiam oculorum tollamus. Per fenestras enim oculorum mors luxuriæ crebrius (2) solet intrare; quod bene cognovit ille Epicurus, qui gulam refrænare contendens, luxuriam valde despiciens, primo oculos erui sibi fecit, et eunuchus et cæcus deinde permansit; et dum sibi postmodum peteretur quis (3) esset, ait: «Vile sperma, vas stercorum et esca vermium.» Qui etiam, dum centenarius annorum audiret (4) filium sexagenarium luxuriari, tanquam destructorem philosophiæ et bonorum morum extra suam congregationem abjici (5) fecit, nihilque de suo illi (6) relinquens, filius tanquam pauper a patre relictus est. Isti enim Epicuri nominati sunt, quia suam felicitatem in ventrem ponentes, dicebant (7) Deum in alia vita præparaturum fore (8) cete grandia, scilicet pisces hominibus quos (9) in principio creationis rerum produxerat, et se comesturos dicebant in alia vita tales pisces, et sic in præsentī et in futuro dicebant eorum felicitatem esse in ventre, et tamen luxuriam oderant in eorum lege, et super omnia eam abominabantur. Quod forte (9) valde

¹ Luc. xv, 1, etc.

(1) Cod. *Dominus volens*. — (2) Id. *crebilis*. — (3) Id. *quid*. — (4) Id. *centenarium... audiens*. Vox *annorum* videtur abundare; forte legendum *centum natus annos audiret*. — (5) Id. *abjeci*. — (6) Id. *sibi pro illi more solito*; apud quem non legitur *que*. Phrasī aliunde vitiosa. — (7) Id. *dicebat*. — (8) Id. *tum*. — (9) Id. *qui*; pronomen *quos* videtur respicere ad *pisces*, non ad vocem *hominibus*. — (10) Sic cod.; quæ vox poni videtur pro *fortuitum, dubium*.

eis, ut bene comederent, et caste viverent, quodammodo esse puto.

VII. Contra iram hodie apponitur medicina patientiæ, quia audit Dominus in deserto: « Omnia tibi dabo, si » cadens adoraveris me¹. » O quam perniciosam sunt hæc verba, fratres, ut creatura petat a Creatore adorari, quod ipsi soli Deo competit. Hoc ideo, fratres, attendite Salvatorem Pontificem nostrum hodie « Tentatum per omnia²; » nam nihil facilius frangit iram, quam aspicere Salvatoris nostri vitam, et mitigat (1) eum qui passus est injuriam, quam genuflexio: ipse enim actus genuflexionis est tantæ perfectionis, quod (2) non solum homines placat ad pietatem, sed etiam leones ad lacrymas inducit. Naturalis quippe oculorum et genuum est quædam affinitas, quia, ut asserunt qui de naturis rerum agunt, pueri in utero matris oculis superpositis genua flexa sunt (3). Flexis vero genibus naturaliter oculi prorumpuntur ad lacrymas, tanquam collectaneis (4) suis naturali correspondentibus affectione. Attende etiam, quod adversus invidiam etiam paratam medicinam videmus. In fine enim missæ aspice capitis inclinationem et vocem diaconi vel sacerdotis dicentis: « Humiliate capita vestra Deo; » ac si dicatur nobis: Humiliate oculos corporis et mentis, ne videatis unde delectamini (5), vel ne tanquam invidi tristimini, unde pereatis.

VIII. Similiter et contra acediam medicinam habemus. Est enim acedia sæculi tristitia, quando damno (6) rerum vel molestia corporum sic afficimur, ut etiam tædeat nos orare vel legere; quod valde cavendum est, ne acedia inebriemur. Ipsa enim est desperationis soror propinquior,

¹ Matth. iv, 9. — ² Hebr. iv, 15.

(1) Deest vox *mitigat* in cod., quam opinando addidimus. Credo hic aliquam intermediam deesse sententiam. — (2) Forte *ut.. placet .. inducat*. — (3) Sic corrigere conati sumus. Cod. absque sensu *puer in utero matris oculis superpositis genua dixerunt*. — (4) Cod. *collectaneis*. — (5) Id. *delectas*. — (6) Id. *domnum*.

pro qua fugienda ipsa mater Ecclesia rogat, et mandat ut jejunando eleemosynas faciamus, et cum hoc indulgentias Ecclesiarum sollicitè acquiramus (1), et acquisitis, Christum sequi et imitari optime mereamur.

IX. Orandum enim semper est, sicupimus exaudiri: est enim oratio avis velocissima, quæ etiam proprium cælum penetrat, et attingit, et volat usque ad pedes Domini, nec ab eo recedit quousque exaudita fuerit. Oremus ergo singuli, oremus et universi. Orare docere debetis pueros, filios et puellas, et quid orare, et quid in oratione petere debeant (2). Oremus et nos universi, ut mundati per abstinentiam jejuniorum digne accedamus ad mysterium Angelorum, ut tandem trahat nos ad consortium piorum (3) Jesus Christus Dominus noster. Amen.

SERMO XXVIII.

In Quadragesima III.

Educitur hic sermo ex Bibl. Ædil., cod. x, de quo supra. Sequens, quem stampis non submittimus, quia jam in lucem emissus est, a Combesio tribuitur sancto Leoni, sed perperam, ut videtur, unde in editionem Quesnelli rejectus est. Sit iste post sermonem præcedentem cum numero in Quadragesima XI.

SYNOPSIS.

I. Omnia tempore quadragesimæ reviviscunt, quod debemus imitari. II. Christi exemplum non necessitate jejunantis. III. Iracundiæ et irati effigies. IV. Epilogus.

(1) Cod. *acquiras*, et prius *facias*. — (2) Id. *debent*. — (3) Id. *priorum*.

eis, ut bene comederent, et caste viverent, quodammodo esse puto.

VII. Contra iram hodie apponitur medicina patientiæ, quia audit Dominus in deserto: «Omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me¹.» O quam perniciosam sunt hæc verba, fratres, ut creatura petat a Creatore adorari, quod ipsi soli Deo competit. Hoc ideo, fratres, attendite Salvatorem Pontificem nostrum hodie «Tentatum per omnia²;» nam nihil facilius frangit iram, quam aspicere Salvatoris nostri vitam, et mitigat (1) eum qui passus est injuriam, quam genuflexio: ipse enim actus genuflexionis est tantæ perfectionis, quod (2) non solum homines placat ad pietatem, sed etiam leones ad lacrymas inducit. Naturalis quippe oculorum et genuum est quædam affinitas, quia, ut asserunt qui de naturis rerum agunt, pueri in utero matris oculis superpositis genua flexa sunt (3). Flexis vero genibus naturaliter oculi prorumpuntur ad lacrymas, tanquam collectaneis (4) suis naturali correspondentibus affectione. Attende etiam, quod adversus invidiam etiam paratam medicinam videmus. In fine enim missæ aspice capitis inclinationem et vocem diaconi vel sacerdotis dicentis: «Humiliate capita vestra Deo;» ac si dicatur nobis: Humiliate oculos corporis et mentis, ne videatis unde delectamini (5), vel ne tanquam invidi tristimini, unde pereatis.

VIII. Similiter et contra acediam medicinam habemus. Est enim acedia sæculi tristitia, quando damno (6) rerum vel molestia corporum sic afficimur, ut etiam tædeat nos orare vel legere; quod valde cavendum est, ne acedia inebriemur. Ipsa enim est desperationis soror propinquior,

¹ Matth. iv, 9. — ² Hebr. iv, 15.

(1) Deest vox *mitigat* in cod., quam opinando addidimus. Credo hic aliquam intermediam deesse sententiam. — (2) Forte *ut.. placet .. inducat*. — (3) Sic corrigere conati sumus. Cod. absque sensu *puer in utero matris oculis superpositis genua dixerunt*. — (4) Cod. *collectaneis*. — (5) Id. *delectas*. — (6) Id. *dominum*.

pro qua fugienda ipsa mater Ecclesia rogat, et mandat ut jejunando eleemosynas faciamus, et cum hoc indulgentias Ecclesiarum sollicitè acquiramus (1), et acquisitis, Christum sequi et imitari optime mereamur.

IX. Orandum enim semper est, sicupimus exaudiri: est enim oratio avis velocissima, quæ etiam proprium cælum penetrat, et attingit, et volat usque ad pedes Domini, nec ab eo recedit quousque exaudita fuerit. Oremus ergo singuli, oremus et universi. Orare docere debetis pueros, filios et puellas, et quid orare, et quid in oratione petere debeant (2). Oremus et nos universi, ut mundati per abstinentiam jejuniorum digne accedamus ad mysterium Angelorum, ut tandem trahat nos ad consortium piorum (3) Jesus Christus Dominus noster. Amen.

SERMO XXVIII.

In Quadragesima III.

Educitur hic sermo ex Bibl. Ædil., cod. x, de quo supra. Sequens, quem stampis non submittimus, quia jam in lucem emissus est, a Combesio tribuitur sancto Leoni, sed perperam, ut videtur, unde in editionem Quesnelli rejectus est. Sit iste post sermonem præcedentem cum numero in Quadragesima XI.

SYNOPSIS.

I. Omnia tempore quadragesimæ reviviscunt, quod debemus imitari. II. Christi exemplum non necessitate jejunantis. III. Iracundiæ et irati effigies. IV. Epilogus.

(1) Cod. *acquiras*, et prius *facias*. — (2) Id. *debent*. — (3) Id. *priorum*.

I. FRATRES charissimi, quadragesimam hodie advenisse concernimus, gaudeamus; hodie remissio peccatorum nobis appropinquavit, exultemus; hodie asperitatem et carnis macerationem incipimus, perseverantes lætemur. Sicut enim terra sæpe per annum scinditur, ut abundantius fructificet frugibus, sic et nostram carnem scindere sæpe debemus, ut cœlestibus sit apta (1) seminibus: sicut enim redditum (2) uberiores capit, qui frequentius vexando exercet campum, ita et majorem gratiam percipiet, qui exercet sui corporis campum frequentius jejunando. Ecce enim abstinentiæ tempore herba segetum reviviscit (3) in messem: arbores jam præparant se ad flores et fructus; vineæ jam germinare pubescunt, et omnia de inferioribus ad altiora se extendunt, omnia ad cœlum prospiciunt, ut discamus eodem quoque (4) tempore reviviscere spem nostram. In posterum fides perdita reparatur (5); temporalis vita tota proficiat in æternam, et omne humanum genus ad altiora resurgat. Modo ferrum agricola gestans, sarmenta deputat vinearum; ita et nos sordes peccatorum deputare non differamus. Ecce enim, fratres, in isto tempore, in isto quadragesimali circulo, universæ hoc agunt creaturæ; agamus valenter et nos, ut composite et ornate, in sancto Pascha, Christo resuscitato digne occurrere mereamur. Modo, fratres, omnia sunt prægnantia, ut tunc reperiantur in fructu. Tunc enim contra naturæ speciem spina producit (6) rosam, calamus flagrat liliū, asperitatem (7) arida virgulta deponunt, et ita cuncta floribus adornantur, ut festivitatem Dei magni creatura atque festum Creatoris sui celebrare festinet. Igitur et nos, fratres, hoc eodem tempore, affligendo nos et mortificando vitia et peccata, producamus de spinis rosam, de peccatis justitiam, de severitate misericordiam, de avaritiâ largitatem, de luxuria castitatem, de

(1) Cod. *acta*. — (2) Id. *redditum*. — (3) Id. *revivisset*. — (4) Id. *eodemque*. — (5) Id. *reparatur*. — (6) Id. *produceret*. — (7) Id. *evidenter male suavitatem*.

inglue abstinentiâ, de abundantia parcitatem, de negligentia velocitatem. Istæ enim sunt spinæ corporis nostri, quæ perforant animam, de quibus dicitur: «Spinæ et tribulos germinabit tibi terra¹.» Germinabit enim terra nostra spinas luxuriæ et libidinis, quibus pungimur ultra modum. Germinat nobis tribulos, cum (1) divitiarum cupiditate nos cruciat; spina enim Christiano avaritiæ suæ radix est; spinæ enim visui pulchræ sunt satis, sed lædunt: his ergo nisi vigilando et orando curari (2) non possumus. Comburamus ergo has nequissimas spinas igne charitatis; quem tamen ignem habere non poterimus, nisi prius corpora jejuniis et abstinentiâ maceremus; sed si hæc fecerimus, vel has spinas comburemus, vel eas in rosas odoriferas convertemus. Producit enim libido jejunando castimoniam, superbia humilitatem, sobrietas parcitatem; isti enim sunt flores vitæ nostræ, qui suavem odorem Christo faciunt. Hanc igitur quadragesimam largitus est Dominus, ut hujus temporis spatio, in morem totius, concupiscamus virtutum germina, ut in die Paschæ fructum justitiæ proferamus.

II. Hoc autem quadragenario numero ipse Deus se exercuit, non ut profectum inde caperet, sed ut profectum salutis nobis ostenderet; nec tamen in illo erat macula peccati, quæ verteretur velut spina in rosam, quia ipse erat flos natus de spina, et «Virga de radice Jesse².» Virga enim erat Maria nitida, subtilis, et virgo, quæ Christum, velut florem, integritate (3) sui corporis germinavit. Continuatis ergo quadraginta diebus et noctibus hoc non esuriens jejunium (4) Dominus procuravit; sed illum postea esurisse legimus. Quomodo ergo potest fieri, quod (5) tantorum dierum numero famem sitimque non senserit, et postea esurierit? Esuriebat enim plane, nec denegare possumus quod (6) esurierit. Esuriit enim, ut homo; esuriit, ut Deus

¹ Gen. III, 18. — ² Isai. XI, 1.

(1) Cod. *tam*. — (2) Id. *curare*. — (3) Id. *integritatem... germinabit*. — (4) Id. *jejunia*. — (5) Id. *ut quod*. — (6) Cod. *quod non*.

non cibum hominum, sed salutem; nec escarum epulas concupivit, sed animarum desideravit cœlestium satietatem. Christi enim cibus est redemptio populorum; Christi cibus est paternæ voluntatis affectus. Unde ipse Deus ait: « Meus enim cibus est, ut faciam voluntatem Patris mei¹. » Unde et nos esuriamus cibum, non utique terrenum, sed cœlestem. Ille enim corpus ad tempus nutrit, sed cœlestis animam reficit in æternum. Sed quoniam in multis, deficiente cibo corporali, deficit et spiritualis, ideo summe cavendum, ne propter jejunii asperitatem ad iram et conturbationem deveniamus, sicut cholericis sæpe accidisse meminimus.

III. Quanta sit, fratres, iracundiæ culpa pensemus, per quam mansuetudo amittitur, sapientia perditur, et (1) quid agendum sit, penitus ignoratur. Nec mirum, quia ira in sinu stulti requiescit; hæc est quæ veritatis lucem subtrahit, mentem hominum confundit, sanctitatem (2) vitæ amittit, justitiam puram relinquit. Hæc est quæ societatem dissipat, scandala incitat, omnem rationem ignorat; ideo necesse est, ut iracundus solus bestialiter vivat. Hæc est, per quam concordia rumpitur, lux veritatis perditur; a quibus splendor sancti Spiritus excluditur, confusionis tenebræ incurrunr (3). Hæc est inferni mater, Paradisi noverca, civitatum combustio, balneum fatuorum, sapientum abusio, fratrum homicida, diaboli soror, Angelorum inimica, suspendium peccatorum, malorum laqueus. Quid enim ait iracundus? Nam iræ suæ stimulis (4) accensum cor palpitat, corpus tremit, lingua se balbutiendo impedit, fauces et facies ingravescunt, oculi ut sidera sanguinea (5) lucent; sic quidem clamorem format, sed quid loquatur, omnino ignorat, sed manus ad offensionem parat, totusque comburitur, furore et angustia plenus. Nec mirum, fratres,

¹ Joan. iv, 34.

(1) Cod. ut. — (2) Id. pravitatem. — (3) Id. tenebra incurrit. — (4) Id. stimulus. — (5) Id. sanguinem.

quoniam omnis sic iratus, potestatis alienæ factus est, et diaboli damnationi jam datus est.

IV. Quid ergo, fratres, jejunamus, si pro omni verbo modico turbamur? Totum namque quod facimus dissipamus, nisi nos ipsos moderantes ab omni ira et turbatione abstineamus. Tunc enim proderunt nobis nostra jejunia, si a vitiis abstineamus, et abstinendo sæpe etiam constitemur. Nemo, fratres mei, expectet confiteri, sive pœnitere, quando jam peccare non potest. Non enim inquit Deus necessitate, sed proprii arbitrii voluntate (1) peccata confiteri; quo disponat ipse Deus corda vestra ad faciendum ea quæ placita sunt ei qui est benedictus in sæcula. Amen.

SERMO XXIX.

In Quadragesima IV.

Egressus hic sermo ex Bibl. Ædil., cod. x, in Appendicem ponatur, ut ceteri ejusdem familiae, post sermonem præcedentem, cum numero in Quadragesima XII.

SYNOPSIS.

I. Vocandi ad cœnam pauperes, non divites. II. Solvitur objectum de Christo saturante quinque millia hominum, qui non omnes erant pauperes. III. Veri amici pauperes, non divites. IV. Mala malorum amicitia.

I. SANCTAM quadragesimam hodierna die, fratres, intrantes, Christi pauperes ad nostram mensam intrare et compellere non tardemus; ipsi enim sunt amici nostri cha-

(1) Cod. necessitatem... voluntatem.

rissimi, qui Deo repræsentare coguntur bona a nobis recepta. Totum enim quod damus, amittimus, nisi quod amore Christi corde largimur. Sed dicet quis: Numquid non (1) Christum ad nuptias et ad convivia legimus aliquando accessisse? numquid non etiam Lazarus semper Christo convivium faciebat? numquid non et Simon, qui leprosus dicebatur, licet postea curatus fuerit a Christo, convivium præparabat? numquid non et Zachæus, numquid non et Nicodemus, numquid non et multi alii? numquid ergo sequi non debemus caput? numquid non et isti sancti ex hoc reputati sunt? numquid non et Maria in convivio veniam impetravit? numquid non et Zachæus in convivio audire meruit: «Hodie huic domui a Deo salus facta est¹». O homo, hortor et deprecor te, et tuæ charitati supplico, ut istos imiteris, istos sequaris in cunctis; istos in omnibus imitari memento. Nam si Lazarus, vel quicumque alius, Christo convivium præparabat, pauperi præparabat. Nam tantæ paupertatis fuit, ut ubi caput reclinaret non haberet. Pauper ergo fuit, et forma paupertatis triginta tribus annis et amplius appellatus fuit. Fac ergo ut isti, et sufficit.

II. Quid ergo dicis, o Manichæe, qui asseris convivia non solum pauperibus, verum etiam divitibus bonum esse parare? Nam licet Christus ad convivia accesserit, non ut ventrem impleret accedebat, sed sicut doctus (2) piscator et venator peritus in eo loco retia tendit, ubi majorem multitudinem piscium decernit, ut ex multis aliqui saltem capiantur; sic et Magister et Dominus faciebat. Nam suæ prædicationis retia sæpe tendebat, ubi plures convenire sciebat, ut ex multis aliqui caperentur, videntes et audientes quod «Virtus de illo exibat et sanabat omnes³». Ideo sæpe ad convivia vocatus, ire non renuit. Sed dicit ulterius

¹ Luc. xix, 9. — ² Id. vi, 19.

(1) Deest *non* in cod. juxta morem post *numquid*, et sic deinceps. — (2) Cod. *doctor*.

Manichæus: Numquid Christus non quinque millia hominum satiavit? numquid et omnes isti pauperes erant? Absit, inquit Manichæus. Ergo Christus divites satiavit et pauperes; ergo licite et sine peccato possumus ita divites, sicut pauperes satiare. O Manichæe, fortassis verum est quod dicis, quod non omnes pauperes erant. Nam aliqui Christum ad desertum sociaverunt, cupientes videre miracula, ut divites et potentes; aliqui ut videntes dicerent: «In Beelzebub ista signa facit⁴», ut principes sacerdotum; aliqui Christum sequebantur sanari cupientes, ut pauperes et illi qui infirmabantur. Omnes enim qui ibi tunc aderant pauperes erant, quia esurientes, et in deserto panem habere non poterant. Pane enim carere non est paupertas, sed magna miseria.

III. Dimittamus ergo divites, fratres, in mensa, et illos vocemus qui nos iterum invitare non poterunt⁵. Illos in amicos constituamus, qui nobis non deficient tempore necessitatis. Inter veros enim amicos amicitia oritur ex benevolentia. Non enim sunt fideles, quos munus copulat (1), non et gratia; nam cito deserunt, nisi sæpe acceperint. Tales sunt divites et potentes. Dilectio enim quæ munere conglutinatur, eodem disperso dissolvitur. Illa vera est amicitia, quæ nihil quærit ex rebus amici, nisi ut gratis amet amantem. Fere (2) enim amicitia durat, qua servitium quæritur, sed non persona. Ille veraciter amicitiam quærit, qui nihil egendo eam appetit (3). Nam amicitia ex inopia brevis est, sed pauperum amicitia pura et perpetua est.

IV. Amate ergo, o vos divites, pauperes, quorum amor in æternum manebit. Amicitia enim tantum in bonis tenenda est; nam (4) qui ea in malo utuntur, non sibi amici, at (5) inimici existunt. Concordiam malorum contrariam esse bonorum non dubitamus; et sicut semper optandum

¹ Matth. xii, 24. — ² Luc. xiv, 14.

(1) Cod. *quod munus copulatur*. — (2) *Fere* hic ponitur pro *vix*. — (3) Cod. *appetat*. — (4) *Id. non*. — (5) *Id. et*.

est, ut mali semper discordes sint, sic et optandum est, ut boni semper sint concordēs (1). Amicitiam enim honorum semper Deus conservare affectat et dissipare malorum. Sic facere debemus et nos, ut filii Dei vere simus. Impedire namque debemus, in quantum possumus, ne malus bono in aliquo conversetur in occulto, et malum cum malo, in quantum possumus, conversari non permit-
tamus; nam ignis cum igne positus nihil aliud faciet, nisi quod de sui natura est; nunquam quiescet. Amemus ergo, fratres, et cum dilectione corrigamus, et ab invicem separemus malos. Simus « Anima una et cor unum¹ » in Deo, non quia multa corpora habeant tantum unam animam, ut Arianus ille hæreticus aliquando dixit, sed una voluntate in Deo pauperes diligentes, et eis subvenientes, mereamur in die resurrectionis peregrinum Dominum hospitari. Amen.

SERMO XXX.

In Quadragesima V.

Hic sermo, qui extrahitur ex Bibl. Ædil., cod. x, fol. 12, pulcherrimis refertur sententiis et exemplis, nec dubitarem quin eum sancto Augustino tribuerem, nisi obstaret parva codicis auctoritas. Sit locus ejus in Appendice post sermonem præcedentem, cum numero in Quadragesima XIII.

SYNOPSIS.

I. In quadragesima cessandum a malo, ut bonum operemur.

¹ Act. iv, 31.

(1) Addidimus opinando secundum membrum hujus sententiæ, quod desideratur in cod.

II. Quadragesima dierum jejunium. III. Exeundum a vitiis. IV. Vitæ brevitatis attendenda. V. Nihil auferemus, nisi quæ data fuerint pauperibus. VI. Non superbiat, cui brevi erit moriendum. VII. Exempla Romanorum imperatorum. VIII. Exempla philosophorum. IX. Mors, pœnitentiæ magistra. X. Docet nos conculcare terrena, et adamare cœlestia. XI. Hortatio ad pœnitentiam cito peragendam.

I. FRATRES charissimi, sanctam quadragesimam hodierna die intrantes, quid per Apostolum nobis dicatur, aures mentis et corporis omni affectu aperire solerter debemus. Ait enim Vas electionis: « Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis¹. » Attendite igitur, fratres, qui jacentes fuistis in pulvere; vobis præcipitur exire, qui catenis peccatorum hactenus tenebamini. Audite, quod « Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. » Ligati enim estis catenis deliciarum; surgite et convertimini ad Dominum, quia benignus est², quia misericors est, quia placabilis est. Ecce ergo nunc tempus Deo acceptum, quia parata est medicina. Vultis scire, fratres mei, quæ sit hæc medicina? « Quiescite agere perverse, discite bene facere³; » hæc enim duo optime vobis sufficiunt. Qui ergo sanari cupit, has duas potationes omnino sumere festinet. Verus (1) enim medicus quadragesima dies nobis suo exemplo donavit, in quibus casti, humiles, sobrii, benigni, incipiamus (2) quiescere agere perverse, et discere benefacere, ne Ninive civitas subvertatur.

II. Constitutus igitur est numerus istorum dierum, ut jejunemus mente et corpore; sic enim jejunavit Elias quadragesima diebus, et montem Dei ascendit⁴; sic et Moyses, ut Legem Domini mereretur recipere⁵; sic et Salvator noster hunc eundem numerum consecravit⁶. Voluit enim ipse

¹ 1 Cor. vi, 2. — ² Joël. ii, 13. — ³ Isaï. i, 16. — ⁴ Reg. xix, 8. — ⁵ Exod. xxiv, 18. — ⁶ Matth. iv, 2.

(1) Cod. vetus. — (2) Id. in cunctis.

est, ut mali semper discordes sint, sic et optandum est, ut boni semper sint concordēs (1). Amicitiam enim honorum semper Deus conservare affectat et dissipare malorum. Sic facere debemus et nos, ut filii Dei vere simus. Impedire namque debemus, in quantum possumus, ne malus bono in aliquo conversetur in occulto, et malum cum malo, in quantum possumus, conversari non permitamus; nam ignis cum igne positus nihil aliud faciet, nisi quod de sui natura est; nunquam quiescet. Amemus ergo, fratres, et cum dilectione corrigamus, et ab invicem separemus malos. Simus « Anima una et cor unum¹ » in Deo, non quia multa corpora habeant tantum unam animam, ut Arianus ille hæreticus aliquando dixit, sed una voluntate in Deo pauperes diligentes, et eis subvenientes, mereamur in die resurrectionis peregrinum Dominum hospitari. Amen.

SERMO XXX.

In Quadragesima V.

Hic sermo, qui extrahitur ex Bibl. Ædil., cod. x, fol. 12, pulcherrimis refertur sententiis et exemplis, nec dubitarem quin eum sancto Augustino tribuerem, nisi obstaret parva codicis auctoritas. Sit locus ejus in Appendice post sermonem præcedentem, cum numero in Quadragesima XIII.

SYNOPSIS.

I. In quadragesima cessandum a malo, ut bonum operemur.

¹ Act. iv, 31.

(1) Addidimus opinando secundum membrum hujus sententiæ, quod desideratur in cod.

II. Quadragesima dierum jejunium. III. Exeundum a vitiis. IV. Vitæ brevitatis attendenda. V. Nihil auferemus, nisi quæ data fuerint pauperibus. VI. Non superbiat, cui brevi erit moriendum. VII. Exempla Romanorum imperatorum. VIII. Exempla philosophorum. IX. Mors, pœnitentiæ magistra. X. Docet nos conculcare terrena, et adamare cœlestia. XI. Hortatio ad pœnitentiam cito peragendam.

I. FRATRES charissimi, sanctam quadragesimam hodierna die intrantes, quid per Apostolum nobis dicatur, aures mentis et corporis omni affectu aperire solerter debemus. Ait enim Vas electionis: « Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis¹. » Attendite igitur, fratres, qui jacentes fuistis in pulvere; vobis præcipitur exire, qui catenis peccatorum hactenus tenebamini. Audite, quod « Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. » Ligati enim estis catenis deliciarum; surgite et convertimini ad Dominum, quia benignus est², quia misericors est, quia placabilis est. Ecce ergo nunc tempus Deo acceptum, quia parata est medicina. Vultis scire, fratres mei, quæ sit hæc medicina? « Quiescite agere perverse, discite bene facere³; » hæc enim duo optime vobis sufficiunt. Qui ergo sanari cupit, has duas potationes omnino sumere festinet. Verus (1) enim medicus quadragesima dies nobis suo exemplo donavit, in quibus casti, humiles, sobrii, benigni, incipiamus (2) quiescere agere perverse, et discere benefacere, ne Ninive civitas subvertatur.

II. Constitutus igitur est numerus istorum dierum, ut jejunemus mente et corpore; sic enim jejunavit Elias quadragesima diebus, et montem Dei ascendit⁴; sic et Moyses, ut Legem Domini mereretur recipere⁵; sic et Salvator noster hunc eundem numerum consecravit⁶. Voluit enim ipse

¹ 1 Cor. vi, 2. — ² Joël. ii, 13. — ³ Isaï. i, 16. — ⁴ Reg. xix, 8. — ⁵ Exod. xxiv, 18. — ⁶ Matth. iv, 2.

(1) Cod. vetus. — (2) Id. in cunctis.

prius facere, et postea docere¹ nos. Ad comprimendam igitur superbiam satisfactionis exemplum nobis dare voluit, quasi dicat Salvator: Ecce qui peccatum non feci, et tamen pro peccatis primus jejunaire volui⁽¹⁾ in nova Lege.

III. « Ecce nunc dies salutis; » ecce « hora de somno surgere². » Somnus enim noster caligo vitiorum est. Quamdiu in peccatis sumus, in tenebris demoramur, « Et veritas in nobis non est³. » Veniamus omnes ad lucem; non nostram turpitudinem⁽²⁾ erubescamus. Cogitemus quid luxuria, quid superbia, quid avaritia, quid ebrietas, quid scurrilitas, quid mendacium, quid perjurium, quid hominem interficere vel odisse, quid socium perdere, quid usuram facere, quid falsa judicia, quid detractiones, quid crudelitas? quem fructum ex his omnibus habuistis⁴? Ex luxuria namque odium Dei et proximi, et abbreviationem vitæ acquiris. Ex superbia exul Paradisi; ex avaritia mala in præsentia, et pejora in futuro habebis. Ex ebrietate sensum amittis, et irrationabilis quodammodo efficeris. Ex mendacio interfectionem animæ, ex interfectione pavorem acquiris. Ex perditione abominationem consequeris; ex usura Dei maledictionem consequitur⁽³⁾ homo. O homo, numquid ad hæc operandum positus es? numquid ex his operibus justificaris? O homo, quid agis dum opera carnis peragis? « Ducis in bonis dies tuos, et in puncto ad inferiora descendis⁵. » Hinc⁽⁴⁾ caro tua vermibus, et dæmonibus præparatur anima. O luxuriosi, « Quorum deus venter est⁶! » o superbi, quorum deus diabolus est! o avaritia pleni, quorum deus aurum est, ipsi scenerantes, ipsi die noctuque procurantes in calore, fame, siti, frigore et nuditate ditari⁽⁵⁾! O sceneratores, o falsi mercatores, quorum vita nequam, quorum sollicitudo serpentina, quorum timor talpæ est,

¹ Act. 1, 1. — ² Rom. XIII, 11. — ³ 1 Joan. 1, 8. — ⁴ Rom. VI, 21. — ⁵ Job. XXI, 13. — ⁶ Philip. III, 19.

(1) Cod. prius... voluit. — (2) Id. jam nostra turpitudine. — (3) Id. sequeris... sequitur. — (4) Id. hic. — (5) Sic opinando corrigimus; cod. dotati.

quorum devoratio leonina, quorum fames semper est, quorum saturatio nunquam est nec erit in futuro! o raptores insatiabiles, Judæis crudeliores, Paganis nequiores, Christianis omnibus pejores! O quantum animal insatiabile! quid de te erit in novissima die, cogita. Morieris, scenerator, morieris, et sepelieris in inferno¹, et tunc videbis pauperes, quos deprædatus fuisti in sinu Abrahæ, quibus guttam aquæ petes, nec recipere valebis²; tunc videbis eos, sed non pauperes, sed non tibi aliquid petentes, sed non ad gloriam, sed tantum ad tormentum et pœnam tibi se ostendentes⁽¹⁾. Hoc idem accidet, fratres, non solum præstantibus ad usuram, sed etiam falsis iudicibus, qui terram habent regere et iudicare. Tales sunt qui super cathedram Moysi ascendentes et sedentes³, variorum pellibus sunt⁽²⁾ ornati, quibus « Datum est nosse mysteria regni Dei⁴. » Tales sunt vulpibus sagaciores, volventes et exponentes legem sanctam secundum munera copiosa eis largita; talibus ait Dominus per Prophetam: « Væ qui malum bonum, » et bonum malum dicunt⁵; » et bene malum bonum, et bonum malum dicunt, dum proximum iudicant indirecte⁽³⁾ tanquam infecti pretio, precibus, odio vel amore. Tales clerici vel laici sic Christum spoliant, Christum percutiunt, et faciem ejus velant, Christum negant, Christum vituperant, Christum crucifigere clamant, Christum falso adorant, Christum cum Juda produnt, Christum ad crucem perducunt, Christum in crucem⁽⁴⁾ affligunt, Christum sitientem videntes, potum amarissimum illi⁽⁵⁾ porrigunt. Hæc omnia Judæi illi semel fecerunt, sed falsi Christiani, fideles nomine, sed non opere, quoties⁽⁶⁾ in die hæc faciunt, longum esset ad præsens prædicare. O igitur, fratres,

¹ Luc. XVI, 22. — ² Ibid. 23, etc. — ³ Matth. XXIII, 2. — ⁴ Luc. VIII, 10. — ⁵ Isai. V, 20.

(1) Cod. ostendetur. — (2) Deest sunt in cod. — (3) Indirecte, id est non recte, nisi supponas mendum, et legas injuste. — (4) Cod. cruce. — (5) Id. sibi, ut semper, pro illi, et sic deinceps. — (6) Id. quot.

quid nobis cum carne? Nam hæc omnia Salvator tuus a te recipit, et tamen brachiis extensis, latere aperto, capite inclinato, dulciter te invitat. Venite ad me, et ego non recordabor offensionum vestrarum.

IV. «Ecce ergo nunc, fratres, tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. «O fratres et filii,» quos iterum parturio, donec reformetur in vobis Christus¹,» an ignoratis quod vita nostra sit velut lucerna accensa, quæ a modico vento extinguitur? Numquid non (1), dum exaltatur, fumus est; dum præparatur, umbra est; dum decoratur, vermis est? cur ergo superbis, o homo concha putredinis et fetoris? cur non jam quiescis agere perverse? cur non incipis bene facere? cur gloriaris, cum «Dives factus, et cum multiplicata fuerit gloria domus²» tuæ? Numquid non aurum et argentum cito sordescunt? Numquid non dignitas et potestas cito tabescunt? numquid non juvenes et pulchritudo cito senescunt? cur ergo gloriaris, o homo, cujus vita misera consistit in pratorum rivulorumque amœnitatibus, in mulierum venustis aspectibus, in equorum et canum cursibus, in accipitrum volatibus, in domorum picturis, in organorum et cymbalorum sonatibus? Eia, eia, o milites Christi, abjicite opera carnis, «Abjicite opera tenebrarum³, quiescite jam agere perverse, et discite bene facere,» antequam senectus infirmitatis adveniat. Ecce jam cor affligitur, caput jam conculitur, anhelitus jam despicitur, totum corpus jam putredo et vermis efficitur, aures sordescunt, et dentes denigrati putrescunt.

V. Agite ergo pœnitentiam, quia «Ecce jam nunc tempus acceptabile, ecce jam nunc dies salutis.» Sed si pœnitentiam recte agere volumus, cum Christo jejunare cupiamus. Tu qui dives es, disperge bona quæ habes, et da pauperibus, quia nihil tecum portabis, nisi ea quæ sponte pro amore Christi donaveris. Nam Cæsaris et Neronis abun-

¹ Galat. iv, 19. — ² Psal. XLVIII, 17. — ³ Rom. XIII, 2.

(1) Cod. more solito, non habet *non post numquid*, et sic deinceps.

dantiam quis recepit? Alexandri et Holoferni militiam quis calcavit? Antiochi penuria simulata quid profuit? Absalonis pulchritudo ubi est? Aristoteles et Plato cum quibus modo disputant? Seneca moralis ubi residet? Ptolomæus, Ovidius, Socrates, Zeno cum Demetrio quid agunt? Quid de divitiis secum contulerunt? verum et indubitanter, verum quod nihil secum portare potuerunt. Numquid et tu aliquid auri vel argenti portabis? Omnino nihil, nisi quod in præsentis Dei amore donaveris non divitiis, sed pauperibus, tecum portare poteris. Ecce enim modo tempus pœnitentiæ; ergo age pœnitentiam, nec spes in multitudine divitiarum tuarum¹, quia nec pulchritudo, nec divitiæ, nec nobilitas, nec sapientia, nec fortitudo te a morte liberare poterunt. Ecce enim Paulinus, Africæ comes, heri ut multi viderunt sedebat gloriosus in aula, sed modo jacet despectus in tumba; et qui vescebatur curiarum et regum cibariis, modo in sepulcro cibatur a vermibus.

VI. Cur ergo superbis, o navis a ventis agitata, o navis tuo Creatori rebellata? Cur exaltaris, cur superbis, vesica (1) subtilis? Numquid non a modica acus punctura somnum et vigorem amittis? Cur ergo superbis, o vermis et cinis? cur divitias disperendas pauperibus congregas? De vobis enim legitur: «Dormierunt somnum suum, et nihil invenerunt viri divitiarum in manibus suis².» Timete igitur, divites, et agite pœnitentiam; dum tempus habetis acceptabile, plorate et ululate, cognoscentes quod «Divitiæ vestrae putrefactæ sunt, vestimenta vestra a tineis devorata sunt, aurum et argentum vestrum æruginavit, et manducabit carnes vestras³» vermis, et «Ignis non extinguetur⁴,» quia «thesaurizastis vobis iram in novissimis diebus, et merces operum vestrorum, quæ defraudata est a vobis, clamat, et clamor pauperum jam in aures Domini

¹ Psal. LI, 9. — ² Id. LXXV, 6. — ³ Jacob. v, 2, 3. — ⁴ Marc. ix, 43.

(1) Cod. *vexica*.

» Sabaoth intravit¹; » quia « epulati estis super terram, et in
 » luxuriis corda vestra dilatastis², » abundantes in divitiis,
 et ecce pauperes hic fame pereunt. Etiam non subveniendo
 occidistis; ecce inopia filiorum Dei clamat ad Patrem:
 « Vindica eos, Domine, nec sit illis adjutor, nec sit qui
 » misereatur pupillis ejus, pro eo quod non sunt recordati
 » facere misericordiam³. » O dives, quid agis, dum sine
 elemosyna vivis? hodie es, et cras forte non eris. Extende
 ergo manus ad pauperes, et in pace postmodum morere.
 Nam secure tunc mori poteris, quia ante te fidelem nun-
 tium destinasti. Fac igitur elemosynam cum jejunio et
 « Memorare tua novissima⁴, » ut (1) si tunc vixeris, secure
 vivas, si etiam morieris, secure possis (2) mori.

VII. Romani etiam, nostri patres et principes, qui norma
 bonitatis et justitiæ in toto orbe esse consueverant, hoc
 facere cunctis imperatoribus solerter jubebant; nam mox
 imperatore grandi diademate decorato, ad ipsum ingredie-
 bantur metallorum fabricatores dicentes: De quali metallo
 jubes, domine, tibi fieri sepulcrum? O Romani, cuncta-
 rum bonarum legum amatores, quid facere jubebatis regi
 vestro? Nam qui rex vester erat, imperator orbis erat, et
 tamen in bono eum non timentes, legem patrum observare
 volentes, ad ipsum dum in summo gaudio erat et lætitia,
 mortis nuntios destinabatis, dicentes: De quali metallo se-
 pulcrum tibi fieri jubes? Romani igitur, fratres, prudentes
 per hoc nihil aliud suo regi significare volebant, nisi
 « Memorare novissima tua, » quomodo natus, quomodo ad
 mundum intrasti ornatus, vivendo pediculis circumda-
 tus et pulcibus; quomodo et hodie sedes in cathedra,
 et forte quod cras dormies in sepulcro. Volentes ergo Ro-
 mani imperatori significare, quod cito esset corruptibilis,

¹ Jacob. v, 3, 4. — ² Ibid. 5. — ³ Psal. cxxviii, 6, etc. — ⁴ Eccli. vii, 40.

(1) Cod. et. — (2) Deest *possis* in cod., quod verbum necessario suppleri
 dabet, nisi legas *moriaris*.

ne etiam legem eorum transgrederetur, et ut (1) mundum
 pacifice regeret, hoc dicere illi nullo modo curabant (2).

VIII. Dum etiam apud Romam rhetoricam legerem,
 me audisse a Fabiano viro clarissimo bene recordor, licet
 ipse non tunc temporis fuerit, quod, mortuo Alexandro,
 octo sapientes (3) ejus sepulcrum circumdederunt, quo-
 rum primus dixit: Alexander ex auro fecit thesaurum,
 sed nunc aurum ex suo cadavere thesaurum fecit. Secun-
 dus dixit: Heri Alexandro non sufficiebat totus mundus,
 sed hodie illi (4) sufficiunt tres ulnæ terræ. Tertius dixit:
 Heri Alexander populo imperabat, sed hodie populus impe-
 rat illi. Quartus dixit: Heri Alexander multos a morte potuit
 liberare, sed hodie Alexander mortis jacula vitare non po-
 tuit. Quintus dixit: Heri Alexander ducebat exercitum, sed
 hodie ab exercitu ducitur ad sepulcrum. Sextus ait: Heri
 Alexander terram premebat, sed hodie ab eadem terra pre-
 mitur ipse. Septimus dixit: Heri Alexander timebatur a
 gentibus, sed hodie a gentibus vilissimus reputatur. Oct-
 avus dixit: Heri Alexander pascebat corpus (5) proprium,
 sed hodie ipse cibus efficitur vermium.

IX. Quid ergo, fratres, faciemus? quam viam nobis
 eligemus, nisi pœnitentiæ? Ecce ergo nunc tempus pœni-
 tentiæ; « Ecce nunc dies salutis, ecce nunc tempus accep-
 » tabile; » ecce nunc tempus cogitandi mortem, ut non pec-
 cemus in æternum. O mors, cujus memoria beata, cujus
 spes infallibilis, cujus adventus summe a bonis expectatur,
 cujus aggressio malis mala et pessima (6) reputatur! O
 mors fidelissima, quæ nemini parcis, neminem despicias,
 sed cunctos visitare peroptas, quando jusserit ille qui cuncta
 bona creavit, qui etiam te videndo, satis dolere et tædere
 cœpit, ut homo! O mors fecundissima, quid Paganus ille

(1) Deest *ut* in cod., unde sensus subvertitur. — (2) Id est *non timebant*.
 — (3) Cod. *et sapientes*, ubi evidens est quod particula *et* posita fuerit pro
octo, quæ vox scripta erat per abbreviationem. — (4) Cod. *sibi*, et sic dein-
 cept. — (5) Deest *corpus* in cod. — (6) Cod. *pexima*.

de te senserit audiamus. Clama, o prudens Pagane, die discipulis tuis: Sæpe mortis memoriam ad mentem vestram reducite, quæ quasi frenum, miserum hominem frenat, ne defluat, ne deviet ac discurrat per viam ambitionum, cupiditatis et libidinum.

X. Quid enim plura Paganus ille de memoria mortis dicere potuisset? Ordinavit enim ipse Conditor naturarum inter omnia creata terram infimam esse et pedibus conculcandam; nos per hoc docens cuncta terrena despiciere et cœlestia adamare. Conculcate ergo, fratres, mentis pedibus quæ terrena sunt, et conculcantes amate cœlestia. Nam sicut homo super omnia dominus est sapientia et prudentia, sic et anima nostra cunctis perfectior est, et eam a cunctis terrenis elevare debemus, quoniam « Ecce nunc » tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis; » ecce dies gratiæ.

XI. Honestè igitur ambulemus, quia in die sumus¹, quia credimus, quia Christum suscepimus. Assumite, o fratres, indumenta justitiæ et pœnitentiæ, ne nudi in conspectu Domini appareatis². « Estote parati, quia veniet dies Domini, sicut fur in nocte³. » Dies enim Domini mors est, et dicitur dies salutis et dies perditionis, secundum merita et demerita; « Nunc enim propior est nostra salus⁴. » Et Moyses dicit: « Juxta est dies perditionis, et adesse festinant tempora⁵. » Nolite ergo, fratres mei, confidere in vita vestra, quia « Dies perditionis proximus est et adesse festinant tempora. Querite ergo Dominum dum inveniri potest, invocare eum, dum prope est⁶. » Hunc (1) in præsentī vita invocare, quia velox est ad ignoscendum, sed in futuro paratus est ad judicandum. Festinemus hic pœnitere, et converti ad Dominum. Pravas conscientias lavate et eleemosynis peccata vestra suffocate; excutite pulverem

¹ Rom. XIII, 13. — ² 2 Cor. v, 3. — ³ 1 Thes. v, 2, et Matth. xxiv, 44. — ⁴ Rom. XIII, 11. — ⁵ Deut. xxxii, 35. — ⁶ Isai. lv, 6.

(1) Id. hic.

vitiorum; surgite et nolite timere confiteri, quia nemo justus vivens, qui confessione et pœnitentia non indigeat. Rumpite vincula vitiorum, ut mereamini in terra viventium requiem et principem (1) Angelorum. Amen.

SERMO XXXI.

In Quadragesima VI.

Non pertinere ad sanctum Augustinum sermonem sequentem, ex eo manifestum est, quod ipsum laudet scriptor, et Sigiberti se esse compatriotam asserat, quanquam nomen Augustini falso habeat in Bibl. Ædil., cod. x, fol. 15, unde eruitur. Locus ejus in appendice post sermonem præcedentem, cum numero in Quadragesima XIV.

SYNOPSIS.

I. Jejunii sancta efficacia. II. Mali jejunatores. III. Sit moderatio in jejunio. IV. Fugienda præsertim fornicatio. V. Oculi claudendi, accingendique lumbi.

1. FRATRES charissimi, perfectum jejunium et rationale est, quando noster homo exterior jejunat et interior orat; facilius enim per jejunium oratio penetrat cælum. Tunc enim homo affectu (2) Angelis conjungitur, ideoque liberius copulatur. Per jejuniam occulta mysteriorum (3) cœlestium revelantur, divinique sacramenti arcana panduntur. Sic namque Daniel, Angelo revelante, sacramenta

(1) Forte gaudium. — (2) Cod. effectus. — (3) Id. ministeriorum, et sic paulo inferius.

divinorum mysteriorum cognoscere meruit. Hæc enim virtus et Angelorum manifestationes, et eorum annuntiationes ostendit. Jejunia enim fortia sunt tela adversus tentamenta dæmonum. Cito enim per abstinentiam devincuntur, teste Salvatore, qui ait: «Hoc genus dæmoniorum non » eicitur, nisi per orationem et jejunium¹.» Immundi enim spiritus ibi se magis figunt, ubi plus abundare escam et potum cognoscunt, sicut per effectum cognoscere possumus in conviviiis sæcularium. Ibi enim multa mala perpetrata sæpe cognovimus. Et ideo Sancti, quamdiu in hujus sæculi vita habitant, desiderio superni roris corpus aridum portant. Quod si forsitan ille sanctus Job sic filios facere docuisset, forsitan Satan tantam potestatem occidendi filios non habuisset. Dicamus ergo Domino: «Sitivit in te anima » mea; quam multipliciter tibi et caro mea²!» Caro enim tunc demum sivil, quando per jejunium abstinet et arescit. Abstinentia enim vivificat et occidit; vivificat animam, et vitia occidit, corpusque mactat.

II. Sed sæpe hæc abstinentia simulate agitur, ut hypocrita; ore namque pallescunt, facie attenuantur, cordis alta suspiria ducunt, mortem ante faciem semper portare videntur; sibi ipsis valde compatiuntur, peccatores jubent se appellari, ut in foro digito demonstrentur, ut sancti. Isti mel portant in ore, et venenum in corde; gradiuntur capite inclinato, et intus (1) gladium bis acutum ad occidendum portant. Tales sunt inventores malorum, zizaniam et discordiam inter fratres seminantes. Isti sunt raptores et lupi rapaces, qui de alieno sumunt libenter faciunt, et conantur ad mortem. Isti sunt luxuriæ patres, superbiæ fratres, avaritiæ matres, qui bono male et pessime (2) utuntur. Nos autem non sic, fratres, sed jejunium et elemosynam in abscondito faciamus, ut ille qui cuncta abscondita novit, reddat nobis mercedem³: jejunia enim cum

¹ Matth. XVII, 20. — ² Psal. LXII, 2. — ³ Matth. VI, 16-18.

(1) Cod. *inter*. — (2) Id. *pessime*, et ante *bonum*.

bonis operibus acceptabilia sunt spud Deum; qui autem a cibus abstinet et male agit, dæmones imitatur, quibus dæmonibus esca non est et nequitia semper adest. Ille enim vere jejunat, qui, depositis vitiiis, per confessionem a vitiiis jejunat. Non tamen est abstinentia reputanda, ubi fuerit ventris saturitas; spernitur enim jejunium, quod in vespere deliciis compensatur, dicente Isaïa: «Ecce in die jejunii vestri invenitur voluntas vestra¹»; voluptas enim deliciæ intelliguntur. Sicut (1) enim repetitio debitorum lites et contentiones generat, ita et deliciæ improbantur a Propheta in jejunio. Tota enim die epulas in cogitatione ruminant, qui ad explendam gulam vespere sibi delicias præparant.

III. Sollicita enim discretione caro edomanda est, ut non totaliter deficiat, nec in aliquo superbire queat (2). Infirmirate carnis nimia prævalente, ad perfectionem pertingere nemo potest. Quidquid ergo cum moderamento fit, Deo summe acceptum est, et summe salutare est; quidquid nimis et ultra modum est, perniciosum est et stultum. In omni ergo opere modum et temperamentum oportet habere, quia omne quod excedit, periculosum est. Superflua namque in proximo humilitas, sæpe superbia reputatur.

IV. Igitur moderate vestram carnem domantes, super omnia in his sanctis diebus a fornicatione omni abstineamus, per quam membra diaboli statim efficiuntur. Nam dæmones scientes animarum nostrarum pulchritudinem esse castitatem, per quam homines Angelis cœquantur, summo livore percussi, invidia mittunt per sensus corporis desiderium, quatenus a cœlestibus deorsum dejectam animam pertrahant secum ad tartara. Sed, o fratres, attendite quod quando impulsus a dæmonibus mens ad delectationem fornicationis impellitur, divini judicii metum (3) et æterna incendia ante oculos mentis ponere non differamus, quia nimirum omnis pœna, gravioris supplicii formidine

¹ Isaï. LVIII, 3.

(1) Cod. *sic*. — (2) Id. *quiescat*. — (3) Id. *metus*.

superatur. Sicut enim clavus clavum expellit, ita sæpe recordatio ardoris inferni, ardorem expellit luxuriæ. Sed quidam sunt in juventute luxuriose viventes, et in senectute continentibus efficiuntur; tunc enim eligunt servire castitati, cum misera caro jam contempsit habere libidinem. Numquid tales continentibus dicendi sunt? Nequaquam; quia in juventute luxuriose vixerunt. Tales non habent præmium, quia certamen laboris non habuerunt; illos enim expectat gloria in quibus fuerunt laboriosa certamina. Cavere namque semper debemus ne luxuriose vivamus, ne tanquam relicto patre fugientes a patria, glandibus (1) porcos in villa pascentes et custodientes, repellamur a paterno consortio.

V. Prima enim tela fornicationis, oculorum visio est, secunda est verborum; sed qui capitur oculis, mox capitur corde; qui vero non capitur oculis, nec corde; faciliter potest resistere verbis, licet et cæci multa mala luxuriose sæpe faciant. Oculos igitur, sive comedamus, sive incedamus, sive stemus, sive loquamur, claudamus: hoc enim est quod Salvator præcipit fieri, ut « Si oculus scandalizat » te, eruas (2) eum. » Et quid est eruere, nisi claudere, « ne videat vanitatem? » Accinge (3) etiam lumbos tuos, ne deluant. Accingite, inquit Augustinus Aurelius, organum Trinitatis et sanctitatis norma, accingite lumbos vestros super ubera vestra (4). Et quid dicere Pater ille intendit, nisi cordis libidines resecare, quæ ad lumbos pertinent? Nam cor super ubera est et lumbare (5). Libidinis immoderata licentia nescit habere modum; ideo præfatus Augustinus ille gloriosus Aurelius, fratribus zonas pelliceas more Eliæ portare jussit, ut ait Sigibertus (6) compatriota meus, vir

¹ Matth. v, 9. — ² Psal. cxviii. 37.

(1) Cod. *glandes*. — (2) Id. *erue*. — (3) Id. *accingere*, et sic inferius. — (4) Hunc Augustini textum non inveni. — (5) Cod. *lumar*. Forte et *lumborum libidinis*, etc., sine puncto. — (6) Sigibertus, probabiliter Gemblacensis, mortuus an. 1112, non in omnibus fidelissimus, utpote qui Henricum IV imperatorum contra papam defenderit, et causam presbyterorum conjugatorum susceperit vindicandam.

fidelissimus, ut immoderata restricta lumborum libidine (1) libere ad gloriam accedere non pavescant. Caste ergo, fratres, vivamus in cunctis, sine qua (2) nihil boni poterimus in præsentem.

SERMO XXXII.

In Ramis Palmarum.

Multa sunt in hoc sermone utiliter et eleganter dicta, sed et nonnulla singulariter, præterquam quod eruitur ex Bibl. Edil., cod. x, qui propter rationes supra allatas nullum præbet securitatis argumentum. Dignus tamen ille qui legatur. Locus ejus in Appendice post sermonem præcedentem.

SYNOPSIS.

I. Cur Christus venit sedens super asinam? II. Quomodo suscipitur? III. Quid significant asina et pullus ejus. IV. Sedeat Christus in anima digneque suscipiatur a nobis. V. Cavendum impenitentibus, ne videant Christum in sede majestatis. VI. Exhortatio ad penitentiam.

I. « Ecce rex tuus, filia Sion, venit tibi mansuetus, sedens super asinam et pullum ejus¹. » Mandat ergo Dominus nobis per Zachariam prophetam, ut in suo adventu gaudeamus. Venit ad te qui longe jam erat, venit ad te

¹ Matth. xxi. 5.

(1) Cod. *in moderata et restricta*. — (2) Vitiosa locutio; supplendum est substantivum *castitate*.

superatur. Sicut enim clavus clavum expellit, ita sæpe recordatio ardoris inferni, ardorem expellit luxuriæ. Sed quidam sunt in juventute luxuriose viventes, et in senectute continentibus efficiuntur; tunc enim eligunt servire castitati, cum misera caro jam contempsit habere libidinem. Numquid tales continentibus dicendi sunt? Nequaquam; quia in juventute luxuriose vixerunt. Tales non habent præmium, quia certamen laboris non habuerunt; illos enim expectat gloria in quibus fuerunt laboriosa certamina. Cavere namque semper debemus ne luxuriose vivamus, ne tanquam relicto patre fugientes a patria, glandibus (1) porcos in villa pascentes et custodientes, repellamur a paterno consortio.

V. Prima enim tela fornicationis, oculorum visio est, secunda est verborum; sed qui capitur oculis, mox capitur corde; qui vero non capitur oculis, nec corde; faciliter potest resistere verbis, licet et cæci multa mala luxuriose sæpe faciant. Oculos igitur, sive comedamus, sive incedamus, sive stemus, sive loquamur, claudamus: hoc enim est quod Salvator præcipit fieri, ut « Si oculus scandalizat » te, eruas (2) eum. » Et quid est eruere, nisi claudere, « ne videat vanitatem? » Accinge (3) etiam lumbos tuos, ne deluant. Accingite, inquit Augustinus Aurelius, organum Trinitatis et sanctitatis norma, accingite lumbos vestros super ubera vestra (4). Et quid dicere Pater ille intendit, nisi cordis libidines resecare, quæ ad lumbos pertinent? Nam cor super ubera est et lumbare (5). Libidinis immoderata licentia nescit habere modum; ideo præfatus Augustinus ille gloriosus Aurelius, fratribus zonas pelliceas more Eliæ portare jussit, ut ait Sigibertus (6) compatriota meus, vir

¹ Matth. v, 9. — ² Psal. cxviii. 37.

(1) Cod. *glandes*. — (2) Id. *erue*. — (3) Id. *accingere*, et sic inferius. — (4) Hunc Augustini textum non inveni. — (5) Cod. *lumar*. Forte et *lumborum libidinis*, etc., sine puncto. — (6) Sigibertus, probabiliter Gemblacensis, mortuus an. 1112, non in omnibus fidelissimus, utpote qui Henricum IV imperatorum contra papam defenderit, et causam presbyterorum conjugatorum susceperit vindicandam.

fidelissimus, ut immoderata restricta lumborum libidine (1) libere ad gloriam accedere non pavescant. Caste ergo, fratres, vivamus in cunctis, sine qua (2) nihil boni poterimus in præsentem.

SERMO XXXII.

In Ramis Palmarum.

Multa sunt in hoc sermone utiliter et eleganter dicta, sed et nonnulla singulariter, præterquam quod eruitur ex Bibl. Edil., cod. x, qui propter rationes supra allatas nullum præbet securitatis argumentum. Dignus tamen ille qui legatur. Locus ejus in Appendice post sermonem præcedentem.

SYNOPSIS.

I. Cur Christus venit sedens super asinam? II. Quomodo suscipitur? III. Quid significant asina et pullus ejus. IV. Sedeat Christus in anima digneque suscipiatur a nobis. V. Cavendum impenitentibus, ne videant Christum in sede majestatis. VI. Exhortatio ad penitentiam.

I. « Ecce rex tuus, filia Sion, venit tibi mansuetus, sedens super asinam et pullum ejus¹. » Mandat ergo Dominus nobis per Zachariam prophetam, ut in suo adventu gaudeamus. Venit ad te qui longe jam erat, venit ad te

¹ Matth. xxi. 5.

(1) Cod. *in moderata et restricta*. — (2) Vitiosa locutio; supplendum est substantivum *castitate*.

humilis, ut te faciat humilem; venit ad te plorando per viam, ut tu rideas in patria; venit sedens super asinam, ut tu sedeas in cœlesti gloria. Antequam tamen veniret, præmisit legatos, scilicet Patriarchas et Prophetas, dicens eis: «Dicite filiæ Sion,» scilicet Ecclesiæ, quam filiam Sion appello, speculationis et dilectionis, «Ecce rex tuus venit tibi.» Recesserat enim Dominus a filia Sion propter peccatum, ideo condolens Dominus Adæ ait «In aura post meridiem: Adam, ubi es¹?» In quanta miseria positus es! Aura vero ad quam perambulabat Dominus, refrigerationem charitatis in mente hominis esse significabat, et quod ipse ab amore hominis refrigerabat, quæ refrigeratio fuit post meridiem, id est, post calorem charitatis a mente hominis discedentem (1); sed quia recesserat per justitiam, nunc venit sedens super asinam per misericordiam, et venit ad bellum contra principem mundi: et tunc «Princeps mundi ejicietur foras²» a mentibus hominum, in quibus prius regnabat. Ideo elegit paucos secum et pauperes, ut confundat fortia. Quid enim Petrus? quid Andreas? quid Joannes? nisi insipientes et ignobiles; et tamen unus ex illis eum tradidit; et tamen (2) volens Magister Discipulam corrigere, ait cunctis audientibus: «Qui intingit mecum manum in catino, hic me tradet³;» ut cum sciret eum cognoscere cogitationes suas, pœniteret: aliis autem manum retrahentibus, Judas impudentia sua qua traditurus erat, manum cum Magistro suo in catino misit, ut audacia bonæ conscientiæ, se non esse ostenderet cæteris. Traditur ergo a Discipulo Dominus; ad quam traditionem et mortem super asinam venit. Venit ergo non alienus, sed tuus Rex per assumptam, ut diximus, humanitatem; venit ergo tibi, ut moriendo salveris: venit ergo non quod tui indigeat, sed quia videt te indigentem sui. Ecce ergo

¹ Gen. III, 8, 9. — ² Joan. XII, 31. — ³ Marc. XIV, 20.

(1) Cod. *discedente*. — (2) Forte mendum est aliquod in hac iteratione verborum et tamen.

venit ad te sedens super asinam, et veniendo, fratres, Dominus flevit videns peccata Jerusalem.

II. Et factus est clamor in civitate dicentium: Ecce Propheta magnus, qui satiavit quinque millia hominum ex quinque panibus et duobus piscibus: ecce Rex noster, qui postquam nos satiavit, eum regem facere volumus, sed fugit et volavit ad montem divertens a turba: ecce qui cæcum illuminavit, filiam viduæ suscitavit, et Lazarum quatruiduanum a mortuis resuscitavit. Quid ergo faciemus? Nam Propheta est et caput Prophetarum. Quomodo ergo eum recipiemus? Nam si clamabimus: «Benedictus qui venit in nomine Domini, hosanna in excelsis¹;» mox lapidabimur a principibus sacerdotum. Quid ergo faciemus? Doceamus filios nostros, ut sibi occurrentes et clamantes, dicant: «Benedictus qui venit in nomine Domini, hosanna in excelsis.»

III. Sed antequam civitati appropinquaret, et super asinam sederet, misit duos ex Discipulis, dicens: «Ite in castellum quod contra vos est²; quia castellum appellanda erat jam et non civitas, quæ (1) civium voluntate et concordia omnino carebat, «ibi que foris in bivio ante portam invenietis asinam» pro servitio pauperum deputatam, «et ejus pullum: solvite et ducite mihi³.» Per asinam subjugalem, fratres charissimi, intelligere debetis Judæos, qui erant sub jugo Legis ligati, et multis prævaricationibus et peccatis obvoluti: pullus asinæ novellus, Gentilis populus noviter ad fidem conversus; et bene pullus asinæ appellatur, quia ad primitivam Ecclesiam Judæorum, scilicet Apostolorum, sunt conversi; ideo ante januam erant, nec intrare audebant, quia fortiter ibi ligati erant; in bivio erant, quia vias errorum sectabantur. Ecce quomodo ante Christi adventum asina Judæorum, et pullus Paganorum ligati erant ante ostium civitatis. Ostium, fratres, Chris-

¹ Matth. XXI, 9. — ² Ibid. 2. — ³ Ibid.

(1) Cod. *quia*.

tus est; «Veritas et vita¹» ipse est, per quem nullus intrare civitatem celestem Jerusalem audebat, nisi prius mandasset, quod dissolverentur, et dissolutis, super ipsos sedisset. Misit ergo Dominus duos Discipulos, quia duo fuerunt genera prædicatorum, qui directi sunt ad duas Gentes. Isti fuerunt Paulus et Barnabas: missus est tamen Petrus, et alii Discipuli, sed cui datum sit regnum in prædicatione, ut Paulo, ignoro (1): ipse enim portavit nomen Christi coram Regibus, et Gentibus, et filiis Israël super omnes. Barnabas etiam in Lege doctissimus etiam magnalia fecit super omnes illos. Ergo Dominus sedet, quia per inhabitantem gratiam in cordibus illorum Dominus requiem habuit.

IV. Similiter et sedere cupit Dominus super asinam nostram, scilicet super animam ipsam, quæ in supernæ pacis desiderium accedit. Exeamus igitur ei obviam, cum palmis victoriæ habitæ super diabolo et operibus ejus, et cum floribus virtutum ei obviam procedamus. Offerat alius florem charitatis et dilectionis, quæ radix est omnium virtutum. Alius offerat florem virginitatis et liliam castitatis: hæc est illa virtus, quam commendavit Christus in Joanne. Tales sequuntur Agnum sine macula. Alius offerat liliam humanitatis, imitando illum, qui ait: «Discite a me quia mitis sum et humilis corde²». Alius offerat florem et decorem misericordiæ, quia: «Beati misericordes, quoniam misericordiam consequentur³». Alius ramos teneat patientiæ, quia «Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum⁴». Alius concremet thura cum David (1), dicens: «Dirigatur, Domine, oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo⁵». Alius offerat ramum olivarum et misericordiæ, ut Chris-

¹ Joan. xiv, 6. — ² Matth. xi, 29. — ³ Id. v, 7. — ⁴ Ibid. io. — ⁵ Psal. cxl, 2.

(1) Hic de facundia, non de potestate loqui concionatorem manifestum est. — (2) Hic vetustate corrosus est codex; sed ex litterarum reliquiis, hæc videntur olim Scripta fuisse verba.

tum sequentes audiant: «Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis¹»: et ita facientes nullus accedet vacuus ante Deum: et sic vestimenta sternentur in via: sic ramos olivarum evelientes de arboribus, sic cantantes: «Hosanna in excelsis», introducemur cum Christo in sanctam civitatem.

V. Illi vero qui in hac sacratissima quadragesima non jejunaverunt, nec eleemosynam fecerunt, nec confessionem peccatorum receperunt, caveant ne ramos olivarum assumant, quia vestimenta sua in via sternere contempserunt. Non igitur digni sunt tales palmam in manibus portare, quoniam victoriam non habuerunt, et non ad processionem accesserunt, et Christo obviare noluerunt. Ipsum minime videre poterunt, nisi, dum venerit cum senatoribus terræ, tunc obviam ipsi tales procedant (1). Tunc enim videbunt eum non super asinam sedere, sed in sede majestatis suæ: tunc non erit coronatus corona matris suæ², scilicet misericordiæ, sed veniet coronatus Patris potentia (2); tunc veniet «Tanquam potens crapulatus a vino³». Videte ergo, o vos mundi amatores, qui pœnitere erubescitis, videte eum, o filia Sion, regem vestrum in choro misericordiæ; dum tempus est, elevate capita vestra et intueamini Regem vestrum coronatum corona misericordiæ et pœnalitatis. Compungimini, fratres, et considerate, quia videbunt eum impii in corona potentia, et peribunt; et videbunt eum justi in corona gloriæ, et gaudebunt.

VI. Agamus ergo et nos pœnitentiam cum pœnitentibus, præparemus nos ad adventum Judicis cuncta cernentis. Cædamus ramos de arboribus, scilicet doctrinam Novi et Antiqui Testamenti, quod pertinet ad prælatos: sternamus vestimenta in via, sustentantes pauperes et induentes de

¹ Matth. xxv, 40. — ² Cant. iii, 11. — ³ Psal. lxxvii, 65.

(1) Cod. *procedent.* — (2) Id. *potentia.*

honorum nostrorum substantia, quod pertinet ad divites et pauperes; ad divites, ut corde et opere perficiant; ad pauperes autem, ut (1) corde saltem compatiantur. Clamemus: «Hosanna in excelsis,» quod pertinet ad contemplantes. Si sic faciemus, beati erimus, et cum sanctis Apostolis jumento comparabimur. Ipsi vero Apostoli erant velut jumentum, cornibus nocivis carentes, Christum portantes in cornibus suis a mari usque ad mare, et ad terminos orbis terrarum. Occurre igitur, filia Sion, Regi coronato diademate misericordiae, antequam veniat coronatus corona justitiae. Quis tunc poterit nos excusare? Numquid nos excusabit poenitentia, si eam nunc contemnimus? Numquid opera bona, si ea tempore agendi negleximus? Sed si carnis fragilitas nos excusare praesumpserit, attende quod ex adverso stabunt virgines, quae dum essent, sicut et tu, in carne positae, carnis fragilitatem vicerunt. Merito ergo dicet: «Ite, maledicti in ignem aeternum¹,» a quo liberet nos Christus Dei Filius, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in saeculorum saecula. Amen.

¹ Matth. xxv, 41.

(1) Desunt in cod. voces *ad et ut*, qui prius habet *proficiant*.

SERMO XXXIII.

In Traditione Symboli.

Sermo qui sequitur eductus est ex Bibl. Laur. Plut. xvii, cod. xli, fol. 215, cum hoc titulo: Admonitio sancti Augustini de die crastina; de qua nulla fit mentio in toto orationis decursu. De Traditione autem Symboli agitur, quae fiebat saepe in Africa circa finem quadragesimae. Vide Benedictinorum notam ad sermonem cccxii. Concordat in pluribus cum sermone ccxlii appendicis, sed in pluribus etiam differt. Hinc ponendus est in appendice in eundem locum ac sermo ccxlii, cum numero de Symbolo vi. Benedictini autem male illos sermones, qui pertinebant ad sanctam quadragesimam, contra ordinem ab ipsis admissum in operibus sancti Augustini, rejecerunt inter sermones de Diversis.

SYNOPSIS.

I. Symboli necessitas et ordo. II. Ejusdem explicatio.

I. OPORTET utique, dilectissimi fratres, ut in hac sacratissima observatione quadragesimae sicut corpus nostrum mortificamus per jejunium, ita animas nostras vivificemus per spiritale studium, et illuminemus per Dei verbum, ut per interioris hominis voluntatem atque exterioris conversationem possimus in omnibus placere Creatori nostro. Sed haec ante omnia necessaria nobis est fides recta, quia secundum

honorum nostrorum substantia, quod pertinet ad divites et pauperes; ad divites, ut corde et opere perficiant; ad pauperes autem, ut (1) corde saltem compatiantur. Clamemus: «Hosanna in excelsis,» quod pertinet ad contemplantes. Si sic faciemus, beati erimus, et cum sanctis Apostolis jumento comparabimur. Ipsi vero Apostoli erant velut jumentum, cornibus nocivis carentes, Christum portantes in cornibus suis a mari usque ad mare, et ad terminos orbis terrarum. Occurre igitur, filia Sion, Regi coronato diademate misericordiae, antequam veniat coronatus corona justitiae. Quis tunc poterit nos excusare? Numquid nos excusabit poenitentia, si eam nunc contemnimus? Numquid opera bona, si ea tempore agendi negleximus? Sed si carnis fragilitas nos excusare praesumpserit, attende quod ex adverso stabunt virgines, quae dum essent, sicut et tu, in carne positae, carnis fragilitatem vicerunt. Merito ergo dicet: «Ite, maledicti in ignem aeternum¹,» a quo liberet nos Christus Dei Filius, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in saeculorum saecula. Amen.

¹ Matth. xxv, 41.

(1) Desunt in cod. voces *ad et ut*, qui prius habet *proficiant*.

SERMO XXXIII.

In Traditione Symboli.

Sermo qui sequitur eductus est ex Bibl. Laur. Plut. xvii, cod. xli, fol. 215, cum hoc titulo: Admonitio sancti Augustini de die crastina; de qua nulla fit mentio in toto orationis decursu. De Traditione autem Symboli agitur, quae fiebat saepe in Africa circa finem quadragesimae. Vide Benedictinorum notam ad sermonem cccxii. Concordat in pluribus cum sermone ccxlii appendicis, sed in pluribus etiam differt. Hinc ponendus est in appendice in eundem locum ac sermo ccxlii, cum numero de Symbolo vi. Benedictini autem male illos sermones, qui pertinebant ad sanctam quadragesimam, contra ordinem ab ipsis admissum in operibus sancti Augustini, rejecerunt inter sermones de Diversis.

SYNOPSIS.

I. Symboli necessitas et ordo. II. Ejusdem explicatio.

I. OPORTET utique, dilectissimi fratres, ut in hac sacratissima observatione quadragesimae sicut corpus nostrum mortificamus per jejunium, ita animas nostras vivificemus per spiritale studium, et illuminemus per Dei verbum, ut per interioris hominis voluntatem atque exterioris conversationem possimus in omnibus placere Creatori nostro. Sed haec ante omnia necessaria nobis est fides recta, quia secundum

Apostolum : « Impossibile est sine fide placere Deo¹. » Et ideo, quæso, fratres, ut nobis reserantibus expositionem symboli, attentius audiat, quia doctrina symboli virtus est sacramenti, illuminatio animæ, plenitudo credendi, quia quod in eo docetur ac discitur, et unitas est Trinitatis, et Trinitas distincta personis, et opulentia Creatoris, et misericordia Redemptoris. Hoc nexus infidelitatis absolvitur; hoc vitæ janua panditur; hoc gloria æterna præparatur. Hoc obsecro, fratres, memoriæ vestræ rite ac firmiter commendate, et si quos filios vel filias in baptisate proximo habere desideratis, si intelligibilem ætatem adhuc habent, fidem quam profiteri debent, ante baptismum eos scire faciatis; sin autem ætas illa ad hoc minus idonea est, vos quoque illam fidem, quam pro eis profiteri vultis, cum ad ætatem congruam pervenerint, cognoscite ad insinuandum illis vos debitores esse. Est autem symbolum tale, quod ab Apostolis commendatum firmiter tenet sancta Ecclesia. « Credo in Deum Patrem omnipotentem, usquevitam æternam. Amen. » Repetendus est vobis, dilectissimi, sermo symboli hujus, qualiter ea quæ dicimus, vestris sensibus inseramus.

II. « Credo in Deum Patrem omnipotentem, creatorem » cæli et terræ. » In primis dicit, Credo, quia Dominus noster (1) jubet non discutere divina judicia, sed credere, nec rationem requirere, sed fidem simpliciter et immobiliter exhibere. « In Deum Patrem » Non ergo ante Deum esse cœpit et postea Pater; quia ergo semper fuit Pater, semper habuit Filium, cui Pater est. « Omnipotentem » vero ideo dicit, quia omnia potest, eique (2) nihil impossibile est, qui cælum, terram, mare, homines atque omnia quæ sunt, vivunt, sentiunt atque discernunt, non aliquo operis actu (3), sed solo verbi creavit imperio. « Et in Jesum » Christum Filium ejus unicum Dominum nostrum. » Ad-

¹ Hebr. xi, 6.

(1) Cod. male addit *non*. — (2) Id. *cuique*. — (3) Id. *acto*.

vertite quod, quomodo in Patrem, sic et in Filium ejus unicum credendum (1) sit, et quia cum Patre æqualis est Dominus majestate, tantum ipsi quantum et Patri honoris, tantum debemus et servitutis. Jesus Salvator interpretatur, Christus vero a chrismate dicitur; quia sicut antiqui reges ac sacerdotes sacro oleo perfundebantur (2), sic Dominus Deus noster Jesus Christus Spiritus sancti infusione repletus est. « Qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex » Maria Virgine. » Non ergo ex virili semine, sed Spiritus sancti opere caro Christi in utero virginis facta est. Et ideo quæ Salvatorem genuit, et virgo fuit in partu, et virgo permansit post partum. « Passus sub Pontio Pilato. » Iste Pilatus judex erat, illo tempore ab imperatore positus in Judæa, sub quo Dominus passus est; cujus mentio tamen ad temporis significationem (3) pertinet. « Crucifixus, mortuus et sepultus. » Crucem illam, in qua ille crucifixus est corpore, nos per similitudinem gestamus in fronte, et per hanc defendimur (4) ab hoste. Et sicut in veritate natus est Christus, ita et in veritate mortuus et sepultus est. « Tertia die resurrexit a mortuis. » Triduanæ sepulturæ mora evidenter ostendit, quia dum corpus in sepulcro jacuit, anima illa de inferis triumphavit. « Ascendit ad cælos, » id est, conditionem naturæ nostræ, quam de homine matre natus assumpsit super cælos in dexteram Dei, hoc est, in honorem Dei Patris collocavit, ut pro nobis propitiator existeret. « Inde venturus est judicare vivos et mortuos. » In ipso corpore venturus est ad judicium, in quo ascendit in cælum, Christianos judicare (5) et Paganos, justos et peccatores, fideles et impios. « Credo in Spiritum » sanctum. » Advertite, quia sicut in Patrem, ita et in Filium, et in Spiritum sanctum sit credendum. Nam qui vel unam de Trinitate personam non crediderit, in duas illi credidisse non proderit. « Sanctam Ecclesiam catholicam. »

(1) Cod. *credendus*. — (2) Id. *sacro eloquio profundebantur*. — (3) Id. *significationes*. — (4) Id. *defendimus*. — (5) Id. *judicat*.

Sciendum est quia Ecclesiam credere, non tamen in Ecclesiam credere debeamus, quia Ecclesia non est Deus, sed domus Dei est. « Catholicam » dicit, id est, toto orbe diffusam, quia diversorum hæreticorum Ecclesiæ ideo catholicæ non dicuntur, quia per loca atque suas quasque provincias continentur; hæc vero a solis ortu usque ad occasum unius fidei splendore diffunditur. « Sanctorum communionem, » id est, illorum qui in hac fide defuncti sunt, societatem in cælis speramus. « Remissionem peccatorum, » quæ nobis præstatur (1) munere Redemptoris, pleniter in baptismo per fidem, et ea quæ post baptismum committimus, per confessionem, et veram pœnitentiam ac bona opera speramus dimitti. « Carnis resurrectionem. » Carnem videlicet, quam in hac vita sub mortali conditione portamus, resurrecturam esse immortalem, ac rationem reddituram pro animæ consortio credamus. « Vitam æternam. » Amen. » Vitam æternam quoque debetis credere in cælis, fratres, veraciter, quod significat Amen, vos percipere posse cum Christo et sanctis ejus, si hanc quam vobis exposuimus fidem fideliter teneatis ac bonis actibus conservetis; quam obsecro ut memoriæ bonæ commendetis, ac digna conversatione probare, et usque ad finem vitæ istius perducere contendatis, ut per hanc æterna præmia consequi, Christo donante, mereamini.

(1) Cod. præstantur.

FINIS PRIORIS PARTIS TOMI CENTESIMI TRIGESIMI PRIMI.

INDEX

TOMI CENTESIMI TRIGESIMI PRIMI.

CLASSIS VI.

SERMONES INEDITI.

SUPPLEMENTUM II.

PARS PRIOR.

CLASSIS I.

SERMONES DE SCRIPTURA.

	Pag.
VINDICLÆ Sermonum sancti Augustini ineditorum.	1
SERMO I. De Lapsu.	3
— II. De Adam.	7
— III. De Josepho.	15
— IV. De Verbis Evangelii Matthæi : <i>Cum venisset Jesus in domum Petri, vidit socrum ejus jacentem, et febricitantem.</i> Matth. viii, 14.	20
— V. De Verbis Evangelii secundum Matthæum : <i>Dixit Jesus Discipulis suis parabolam hanc : Simile factum est regnum caelorum homini, qui seminavit bonum semen in agro suo, etc.</i> Matth. xiii, 24-30.	25
— VI. De Verbis Evangelii secundum Matthæum : <i>Audivit Herodes tetrarcha famam de Jesu, et ait pueris suis : Hic est Joannes Baptista; ipse surrexit a mortuis, et ideo virtutes operantur in eo, etc.</i> Matth. xiv, 1, 2.	29

Sciendum est quia Ecclesiam credere, non tamen in Ecclesiam credere debeamus, quia Ecclesia non est Deus, sed domus Dei est. « Catholicam » dicit, id est, toto orbe diffusam, quia diversorum hæreticorum Ecclesiæ ideo catholicæ non dicuntur, quia per loca atque suas quasque provincias continentur; hæc vero a solis ortu usque ad occasum unius fidei splendore diffunditur. « Sanctorum communionem, » id est, illorum qui in hac fide defuncti sunt, societatem in cælis speramus. « Remissionem peccatorum, » quæ nobis præstatur (1) munere Redemptoris, pleniter in baptismo per fidem, et ea quæ post baptismum committimus, per confessionem, et veram pœnitentiam ac bona opera speramus dimitti. « Carnis resurrectionem. » Carnem videlicet, quam in hac vita sub mortali conditione portamus, resurrecturam esse immortalem, ac rationem reddituram pro animæ consortio credamus. « Vitam æternam. » Amen. » Vitam æternam quoque debetis credere in cælis, fratres, veraciter, quod significat Amen, vos percipere posse cum Christo et sanctis ejus, si hanc quam vobis exposuimus fidem fideliter teneatis ac bonis actibus conservetis; quam obsecro ut memoriæ bonæ commendetis, ac digna conversatione probare, et usque ad finem vitæ istius perducere contendatis, ut per hanc æterna præmia consequi, Christo donante, mereamini.

(1) Cod. præstantur.

FINIS PRIORIS PARTIS TOMI CENTESIMI TRIGESIMI PRIMI.

INDEX

TOMI CENTESIMI TRIGESIMI PRIMI.

CLASSIS VI.

SERMONES INEDITI.

SUPPLEMENTUM II.

PARS PRIOR.

CLASSIS I.

SERMONES DE SCRIPTURA.

	Pag.
VINDICLÆ Sermonum sancti Augustini ineditorum.	1
SERMO I. De Lapsu.	3
— II. De Adam.	7
— III. De Josepho.	15
— IV. De Verbis Evangelii Matthæi : <i>Cum venisset Jesus in domum Petri, vidit socrum ejus jacentem, et febricitantem.</i> Matth. viii, 14.	20
— V. De Verbis Evangelii secundum Matthæum : <i>Dixit Jesus Discipulis suis parabolam hanc : Simile factum est regnum caelorum homini, qui seminavit bonum semen in agro suo, etc.</i> Matth. xiii, 24-30.	25
— VI. De Verbis Evangelii secundum Matthæum : <i>Audivit Herodes tetrarcha famam de Jesu, et ait pueris suis : Hic est Joannes Baptista; ipse surrexit a mortuis, et ideo virtutes operantur in eo, etc.</i> Matth. xiv, 1, 2.	29

- SERMO VII. De Verbis Evangelii secundum Matthæum : *Egressus inde Jesus secessit in partes Tyri et Sidonis. Et ecce mulier Chananæa a finibus illis egressa, clamavit illi dicens ei : Miserere mei, Domine, Fili David; filia mea male a dæmonio vexatur, etc.* Matth. xv, 22-28. 35
- VIII. De Verbis Evangelii secundum Matthæum : *In illa die accesserunt ad Jesum Sadducæi, qui dicunt non esse resurrectionem, etc.* Matth. xxii, 23, etc. 39
- IX. De Verbis Domini : *Cum videritis abominationem, etc.* Matth. xxiv, 19. 43
- X. De Verbis Evangelii secundum Matthæum : *Cum venerit Filius hominis in majestate sua, et omnes Angeli cum eo, tunc sedebit in sede majestatis suæ, et congregabuntur ante eum omnes gentes, etc.* Matth. xxv, 31, 32. 49
- XI. De Filio Prodigio, Luc. xv, 11, et seqq. 54
- XII. De Pharisæo et Publicano, Luc. xviii, 10, etc. 66
- XIII. De Verbis Evangelii secundum Lucam : *Egressus Jesus perambulabat Jericho, et ecce vir, cui nomen Zacchæus, et hic erat princeps Publicanorum, etc.* Luc. xix, 1, etc. 70
- XIV. De Verbis Evangelii secundum Joannem : *Cum sublassisset ergo oculos Jesus, et vidisset quia multitudo magna venit ad eum, dixit ad Philippum, etc.* Joan. vi, 5-14. 77
- XV. De Verbis Evangelii secundum Joannem : *Perrexit Jesus in montem Oliveti, et diluculo iterum venit in templum, et omnis populus venit ad eum, et sedens docebat eos, etc.* Joan. viii, 1-12. 91
- XVI. De Verbis Evangelii secundum Joannem : *Dixit Jesus Discipulis suis : Amen, amen dico vobis : Non est servus major domino suo, neque apostolus major est eo qui misit illum, etc.* Joan. xiii, 16-32. 100
- XVII. De Verbis Evangelii secundum Joannem : *Dixit Jesus Discipulis suis : Amen, amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis.* Joan. xvi, 23-30. 108
- XVIII. De eo quod ait Apostolus : *Ut sciatis, quæ sit altitudo, latitudo, longitudo et profundum.* Ephes. iii, 18. 119

CLASSIS II.

SERMONES DE TEMPORE.

- XIX. De Adventu Domini I. 120
- XX. De Adventu Domini II. 133
- XXI. In Natali Domini III. 137

- SERMO XXII. In Natali Domini XIV. 139
- XXIII. In Natali Domini XV. 143
- XXIV. In Natali Domini XVI. 150
- XXV. In Natali Domini XVII. 152
- XXVI. In Natali Domini XVIII. 155
- XXVII. In Natali Domini XIX. 160
- XXVIII. In Natali Domini XX. 163
- XXIX. In Natali Domini XXI. 166
- XXX. In Natali Domini XXII. 174
- XXXI. In Natali Domini XXIII. 176
- XXXII. In Natali Domini XXIV. 177
- XXXIII. In Natali Domini XXV. 180
- XXXIV. In Natali Domini XXVI. 184
- XXXV. De Unitate Trinitatis, et de Incarnatione Domini. 190
- XXXVI. De Epiphania Domini VIII. 196
- XXXVII. De Epiphania Domini IX. 202
- XXXVIII. De Epiphania Domini X. 207
- XXXIX. De Epiphania Domini XI. 214
- XL. De Epiphania Domini XII. 218
- XLI. De Domini Epiphania XIII. 222
- XLII. De Epiphania Domini XIV. 226
- XLIII. De Epiphania Domini XV. 229
- XLIV. De Epiphania Domini XVI. 232
- XLV. In Octava Epiphaniæ Domini, seu De Baptismo Christi. 236
- XLVI. In Quadragesima IX. 241
- XLVII. In Quadragesima X. 242
- XLVIII. In Quadragesima XI. 245
- XLIX. In Ramis Palmarum I. 248
- L. In Ramis Palmarum II. 252
- LI. In Cœna Domini. 257
- LII. De Passione Domini, et de duobus latronibus. 263
- LIII. In Vigiliis Paschæ VI. 266
- LIV. De Pascha I. 270
- LV. In die Paschæ XVI. 274
- LVI. In die Paschæ XVII. 277
- LVII. In die Paschæ XVIII. 279
- LVIII. In die Paschæ XIX. 287
- LIX. In die Paschæ XX. 289
- LX. De secunda feria Paschæ. 292
- LXI. In diebus Paschalibus IV. 302
- LXII. De Alleluia. 306

APPENDIX SERMONUM INEDITORUM.

CLASSIS I.

SERMONES DE SCRIPTURA.

SERMO I. De Creatione et Lapsu.	311
— II. Quomodo Christus descendens de monte, leprosum ac servum centurionis sanavit. Matth. viii, 1-13.	315
— III. De Verbis Evangelii secundum Matthæum: <i>Cum intrasset Jesus Ierosolimam, commota est universa civitas dicens: Quis est hic? Populi autem dicebant: Hic est Jesus propheta a Nazareth Galilææ. Et intravit Jesus in templum Dei, et ejecit omnes vendentes et ementes de templo, etc.</i> Matth. xxi, 10-12.	322
— IV. Quomodo Jesus ejecit dæmonia. Luc. xi, 14-28.	325
— V. Quomodo Salvator mundi satiavit quinque millia hominum de quinque panibus et duobus piscibus. Joan. vi, 5-13.	328
— VI. Quomodo Christus se abscondit et exivit de templo. Joan. viii, 48-59.	335
— VII. Quomodo Christus flevit super Lazarum. Joan. xi, 35.	338
— VIII. De Verbis Apostoli: <i>Estote imitatores Dei, sicut filii charissimi, et ambulate in dilectione, sicut et Christus dilexit nos, et tradidit semetipsum oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis; (Ephes. v, 1, 2), sive quomodo debeamus Deum imitari.</i>	343
— IX. Quomodo Christus non rapinam arbitratus est se esse æqualem Deo. Philip. ii, 6.	350
— X. De Adventu Domini I.	355
— XI. De Adventu Domini II.	365
— XII. De Adventu Domini III.	369
— XIII. In nocte Natalis Domini.	374
— XIV. In Natali Domini.	384
— XV. In octava Natalis Domini.	392
— XVI. In Circumcisione Domini.	395
— XVII. In Epiphania Domini I.	403
— XVIII. In Epiphania Domini II.	409

CLASSIS II.

SERMONES DE TEMPORE.

SERMO XIX. In Epiphania Domini III.	413
— XX. In Epiphania Domini IV.	420
— XXI. In Epiphania Domini V.	424
— XXII. In Epiphania Domini VI.	428
— XXIII. De Nuptiis Canæ, et quomodo Christus vocatur, et vocat. Joan. ii, 1, etc.	432
— XXIV. In Sexagesima.	437
— XXV. In capite Jejunii.	442
— XXVI. In Quadragesima I.	446
— XXVII. In Quadragesima II, quomodo Christus intravit desertum.	450
— XXVIII. In Quadragesima III.	457
— XXIX. In Quadragesima IV.	461
— XXX. In Quadragesima V.	464
— XXXI. In Quadragesima VI.	473
— XXXII. In Ramis Palmarum.	476
— XXXIII. In Traditione Symboli.	483

EXPLICIT INDEX.

CAPILLA ALFONSINA

U. A. N. L.

Esta publicación deberá ser devuelta
antes de la última fecha abajo indi-
cada.

BR65

A5

v.24


1835-42

44678

AUTOR

AGUSTIN, SAN, Obispo de Hipona

TITULO



UNANL

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS



